Jur. is. 137

<36622878620017

<36622878620017

Bayer. Staatsbibliothek

Hist lit parl.
L. 3. C. 17.

DANIELIS NETTELBLADT

ICTI HALENSIS

INITIA HISTORIAE LITTERARIAE IVRIDICAE VNIVERSALIS.



EDITIO SECVNDA, AVCTIOR ET EMENDATIOR.

CVM PRIVILEGIIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA
1774.

VIR ILLVSTRISSIME

Quanta ſit litteraturae iuridicae neceſſitas et vtilitas, quis TE ignorat minus, in quo eruditionem et ſapientiam maximam, cum animo excelſo virtutibusque omnibus, omni praedicatione dignis, ſed omni maioribus, coniunctam agnoſcimus et admiramur. Adhaec tanta

TVA eſt humanitas, tantaque in litteras propenſio, vt non poſſis non eorum approbare conatus, qui ad amplificandas ſcientias quidquam conferunt. Quae quum ita ſint, veniam dabis, vt ſpero, benigniſſimam, me audere hunc ad TE deferre libellum, eumque TIBI ſacrum eſſe iubere; licet eius dotes non ſint tantae, vt TVA ſit dignus perluſtratione. Me praeſertim, non vana opinione id coniicere, vel ideo confido, quoniam ſub TVA curatela

in

in Fridericiana iura doceo, ſicque TIBI ad rationes reddendas obſtrictus ſim, quomodo muneris mei partes omni modo implere annitar. Hinc etiam laboris impenſi fructus me tuliſſe vberrimos arbitrabor, ſi intellexero, TIBI non diſplicere meum conatum in Fridericiana reſuſcitandi litteraturae iuridicae ſtudium, et quod inde ſequitur, TE, patrocinio TVO, me non indignum iudicare. Quod ſupereſt, opto, vt DEVS T. O. M. TE litte-

 rarum

rarum praeſidio inuigilantem diutiſſime conſeruet bonis omnibus cumulatiſſimum, TIBIque commendatum habeas

ILLVSTRISSIMI
EXCELLENTISSIMIQVE NOMINIS TVI

deuotiſſimum addictiſſimumque

DAN. NETTELBLADT.

PRAE-

PRAEFATIO
PRIMAE EDITIONIS.

Accidere ſaepe in puncto, quod non ſperatur in anno, me iterum docet viua experientia. Dum occupatus ſum in colligendis ſubſidiis, ad edenda aliquando litteraturae iuridicae elementa, ſecundum ſchema Halenſibus in Symbolis litterariis iuridicis delineatum, neceſſariis, a me deſiderantur ſcholae litterariae iuridicae. Vt itaque, et hac ex parte, officio meo facerem ſatis, aperire eas, in earumque vſum breviſſimis poſitionibus comprehendere litteratu-

ram iuridicam, quoad potiora eius momenta, mecum conſtituebam. Sic enata ſunt ſucceſſiue haec, quae nunc publici iuris facio, initia, opinione mea citius, quum optaſſem me demum pluribus ſubſidiis inſtructum ad hoc opus accedere, eique plus temporis impendere, potuiſſe. Licet vero, occaſione ita ferente, hunc ingenii foetum, citius, ac cogitaueram, lucem videre contingat: omnem tamen, quantum per temporis anguſtiam licuit, adhibui operam, ne ſit immaturus et luce plane indignus. Quid alii, qui ante me iam voluerunt hoc ſaxum, praeſtiterint, conſtat. Licet vero eorum, praeſertim Ill. CAR. FERD. HOMMELII, in rem litterariam iuridicam merita, magni faciam, me tamen, ab aliis iam dicta centies, non tantum compilaſſe, nec ea non niſi nouo habitu induta iterum hic comparere, certo certius mihi perſuaſum habeo. Nonnullas vulgares et ſatis tritas doctrinas, praeſertim in Notitia ICtorum, obuenire, ingenue quidem fateor:

aſt

aſt non mea, ſed eorum culpa, qui hactenus, limites inter hiſtoriam iuris et hiſtoriam litterariam iuridicam transgrediendo, hiſtoriae iuris immiſcuerunt, quae pertinent potius ad litteraturam iuridicam, ſicque ei vindicare debui. Nec in eo, ſi quid video, peccaui, quod, ſeparando a ſe inuicem hiſtoriam iuris et hiſtoriam litterariam iuridicam, entia praeter neceſſitatem multiplicauerim; quum ex ipſis his initiis litteraturae iuridicae ſatis appareat, plane diuerſas diſciplinas eſſe hiſtoriam iuris et hiſtoriam litterariam iuridicam. Interim cenſuram aliorum me effugere non poſſe praevideo, nec metuo eam, quum me ipſum non fugiat multa deeſſe huic libello. Primas lineas, initia, eſſe, quae offero, perpendat velim aequus arbiter. Optima interim, mihique gratiſſima, erit cenſura, ſi cenſoribus placuerit dare meliora, quae auide exſpecto. Dabam Halae die III Maii MDCCLXIV.

PRAEFATIO SECVNDAE EDITIONIS.

Secundam Tibi, BENEVOLE LECTOR, nunc exhibeo huius libelli editionem. Emendaui varia, et ſuppleui quae ſupplenda eſſe duxi. Praeſertim in notitia ſcriptorum iuridicorum, nonſolum quaedam mutaui quoad ipſum ordinem, ſed et recentiſſima ſcripta vbique ſuis locis addita ſunt. Feci, quod potui, aliis negotiis obrutus; ideoque non omnia ſic, vti optaram, perficere potui. Non adfecto gloriam litteratoris: aſt tamen et ex mea parte, aliquid conferre volui ad incrementa hiſtoriae litterariae iuridicae, quae eget adhuc multorum auxilio, ſi ad aliquem perfectionis gradum euehenda. Vehementer opto alium hanc ſpartam ornare et dare meliora, ſicque peccata omiſſionis et commiſſionis a me, quod non diffiteor, commiſſa emendari. Interim fruere his BENEVOLE LECTOR et faue ſaltem laudandae voluntati. Scrib. Halae d. 3. Oct. 1773.

CON-

CONSPECTVS.

PRAECOGNITA HISTORIAE LITTERARIAE IVRIDICAE GENERALIA (§. 1-16.)

NOTITIA IVRISCONSVLTORVM (§. 17-191.)

Praecognita notitiae ICtorum (§. 17-28.)

Pars I. De ICtis in genere eorumque ortu, progressu, sectis, responsis, collegiis, societatibus, honoribus academicis, munere Antecessorio, Deabus tutelaribus, patronis et diebus festis. (§. 29-65.)

Tit. I. De ICtis in genere (§. 29-32.)
- II. De ICtorum ortu et progressu (§. 33-88.)
- III. De Sectis inter ICtos (§. 39-43.)
- IV. De ICtorum responsis (§. 44-49.)
- V. De ICtorum scholis, collegiis et societatibus litterariis (§. 50-56.)
- VI. De gradibus academicis in iure et ICtorum munere Antecessorio (§. 57-62.)
- VII. De ICtorum Deabus tutelaribus, patronis et diebus festis (§. 63-65.)

Pars II. De singulis ICtis (§. 69-171.)

Sect. I. *De ICtis veteribus seu antiquis* (§. 69-123.)

Membrum I. *De ICtis Romanis stricte sic dictis* (§. 71-93.)

Tit. I. De ICtis romanis stricte sic dictis primaevis (§. 72-80.)
- II. De reliquis ICtis Romanis stricte sic dictis (§. 81-93.)

Membrum II. *De reliquis ICtis antiquis, praeter ICtos Romanos stricte sic dictos* (§. 94-123.)

Tit. I.

Tit. I. De ICtis antiquis Sec. III. (§. 100-104.)
- II. De ICtis Sec. IV. (§. 105-108.)
- III. De ICtis Sec. V. (§. 109-113.)
- IV. De ICtis Sec. VI. (§. 114-119.)
- V. De ICtis Sec. VII. VIII. IX. X. XI. et ICtis Graeco-Romanis posteriorum temporum (§. 120-123.)

Sect. II. *De ICtis mediis* (§. 124-144.)

Tit. I. De Glossatoribus (§. 127-137.)

Tit. II De reliquis ICtis mediis praeter Glossatores (§. 138-144.)

Sect. III. *De ICtis nouis seu recentioribus.* (§. 145-171.)

Membr. I. *De ICtis recentioribus iam demortuis* (§. 146-164.)

Tit. I. De ICtis recentioribus Sec. XVI. (§. 147-154.)

Tit. II. - - - Sec. XVII. (§. 155-160.)

Tit. III. - - - Sec. XVIII. iam demortuis (§. 161-164.)

Membr. II. *De ICtis adhuc viuentibus* (§. 165-171.)

Tit. I. de ICtis adhuc viuentibus qui in academiis et gymnasiis docent §. 166-167.)

Tit. II. de reliquis ICtis adhuc viuentibus (§. 169-171.)

Pars III. De ICtorum conditione quoad corpus, animam et statum externum (§. 172-191.)

Tit. I. de ICtorum conditione quoad corpus (§. 172-173.)

Tit. II. - - - animam (§. 178-183.)

Tit. III. - - - statum externum (§. 184-191.)

HISTO.

HISTORIA IVRISPRVDENTIAE (§. 192-307.)

Praecognita historiae iurisprudentiae (§. 192-200.)

Pars I. Historia iurisprudentiae sub ICtis veteribus seu antiquis (§. 201-230.)

Epocha I. De fatis iurisprudentiae sub ICtis Romanis stricte sic dictis primaeuis (§. 201-208.)

Epocha II. - - sub ICtis Romanis stricte sic dictis reliquis praeter primaeuos (§. 209-218.)

Epocha III. - - sub reliquis ICtis antiquis praeter Rom. stricte sic dictos (§. 219-230.)

Pars II. Historia iurisprudentiae sub ICtis mediis (§. 231-256.)

Epocha I. de fatis iurisprudentiae sub Glossatoribus (§. 231-247.)

Epocha II. de fatis iurisprudentiae sub reliquis ICtis mediis praeter Glossatores (§. 248-256.)

Pars III. Historia iurisprudentiae sub ICtis recentioribus seu nouis (§. 257-309.)

Epocha I. de fatis iurisprudentiae sub ICtis recentioribus Sec. XVI. (§. 257-270.)

Epocha II. - - Sec. XVII. (§. 271-282.)

Epocha III. - - Sec. XVIII. (§. 283-309.)

NOTITIA SCRIPTORVM IVRIDICORVM (§. 310-321.)

Praecognita notitiae scriptorum iuridicorum (§. 310-321.)

Pars I. De scriptis iuridicis in genere, eorumque origine, progressu, conditione tam interna quam externa, nec non bibliothecis iuridicis (§. 322-347.)

Tit. I. de scriptis iuridicis in genere (§. 322-325.)

Tit. II. de ortu et progressu scriptorum iuridicorum (§. 326-328.)

Tit. III.

Tit. III. de ſcriptorum iuridicorum conditione externa (§. 329 - 334.)

Tit. IV. de interna ſcriptorum iuridicorum conditione (§. 335 - 337.)

Tit. V. de variis ſcriptorum iuridicorum diuiſionibus (§. 338 - 342.)

Tit. VI. de bibliothecis iuridicis (§. 343 - 347.)

Pars II. De ſingulis ſcriptis iuridicis (§. 348.)

Sectio I. *Bibliotheca iuridica generalis* (§. 346 - 372.)

Membrum I. *De collectionibus ſcriptorum diuerſorum auctorum et varii argumenti* (§. 350 - 366.)

Tit. I. De Tractatu vniuerſi iuris ſeu vulgo ſic dicto Tractatu Tractatuum (§. 351 - 353.)

Tit. II. de Ottonis theſauro iuris Romani (§. 354 - 356.)

Tit. III. de collectione ſub titulo: Iurisprudentia Romana et Attica (§. 357 - 359.)

Tit. IV. de Meermanni theſauro iuris (§. 361 - 363.)

Tit. V. de reliquis collectionibus huius generis (§. 364 - 366.)

Membrum II. *De collectionibus ſcriptorum vnius auctoris et varii argumenti*, *ſeu de operibus et opuſculis ICtorum* (§. 367 - 371.)

Tit. I. de operibus et opuſculis mediorum ICtorum (§. 368. 369.)

Tit. II. de operibus et opuſculis recentiorum ICtorum (§. 370 - 372.)

Sectio II. *Bibliotheca iuridica ſpecialis* (§. 373 - 742.)

Membrum I. *Bibliotheca iuris ciuilis* (§. 374 - 725.)

Caput I. *Bibliotheca iuris ciuilis legalis* (§. 375 - 504.)

I. de

I. de ſcriptis legalibus ſtricte ſic dictis (§. 376-485.)

1. de ſcriptis legalibus ratione legislatoris homogeneis (§. 377-485.)

A. de ſcriptis legalibus iuris ſecularis (§. 378-447.)

a - - iuris romani (§. 379-421.)

𝔄. - - latino-romani (§. 380-413.)

𝔞. - - Anteiuſtinianei (§. 381-393.)

Tit. I. De ſcriptis iuris romani anteiuſtinianei ſingulas eius ſpecies concernentibus (§. 382-383.)

Tit. II. de ſcriptis legalibus Barbarorum populorum (§. 384-387.)

Tit. III. de ſcriptis veterum ICtorum romanorum, aliorumque ſcripta quae ea concernunt (§. 388-391.)

Tit. IV. de collectionibus ſcriptorum legalium iur. roman. Anteiuſtinianei (§. 392. 393.)

𝔟. - - Iuſtinianei et poſtiuſtinianei (§. 394-413.)

Tit. I. de ipſo corpore iur. romani iuſtinianei ſeu corpore iur. civil. (§. 395-399.)

Tit. II. de ſcriptis ſingulas partes corporis iur. civil. concernentibus (§. 400-405.)

** Tit. III.

Tit. III. de ſcriptis quae faciunt ad ſingulorum textuum corporis iuris ciuilis illuſtrationem (§. 406-408.)

Tit. IV. de ſcriptis quae faciunt ad notitiam corporis iuris ciuilis et eius commodiorem vſum (§. 409. 410.)

Tit. V. de ſcriptis quae iur. rom. cenſuram, collationem cum aliis iuribus et valorem concernunt (§. 411-413.)

𝔅. - - graeco romani (§. 414-421.)

Tit. I. de ſingulis ſcriptis iur. graeco romani (§. 415-418.)

Tit. II. de collectionibus ſcriptorum ius graeco-romanum concernentium (§. 419-421.)

b. - iuris francici & iuris aliorum populorum qui germaniam olim inhabitarunt (§. 422-432.)

Tit. I. De ſcriptis legalibus iuris antiquorum populorum qui germaniam olim inhabitarunt generatim (§. 424-427.)

Tit. II. De ſcriptis legalibus iuris feudalis longobardici ſpeciatim (§. 428-432.)

c. - - - iuris germanici (§. 433-447.)

𝔄. - - - Antemaximilianei (§. 434-441.)

Tit. I.

Tit. I. De singulis scriptis iuris germanici Antemaximilian. (§. 435-437.)

Tit. II. De collectionibus scriptorum iur. germ. Antemaximil. (§. 438-441.)

B. - - - Maximilianei et Postmaximilianei (§. 442-447.)

Tit. I. De singulis scriptis legalibus iur. germ. Maximilian. et Postmaximil. (§. 443-445.)

Tit. II. De collectionibus scriptorum legalium iur. germ. Maximil. et Postmaximil. (§ 446. 447)

B. De scriptis legalibus iuris ecclesiastici (§. 448-503.)

a. - - - generalis (§. 449-473.)

A. - - - iuris canonico-pontificii antiqui (§. 450-456.)

Tit. I. De singulis scriptis iur. canonico-pontificii antiqui (§. 451-453.)

Tit. II. De collectionibus scriptorum iur. canonic. pontif. antiq. (§. 454-456.)

B. - - - iur. canon. pontif. medii (§. 457-464.)

Tit. I. De Gratiani Decreto et ad illud pertinentibus ſcriptis legalibus (§. 458.)

Tit. II. De ſcript. legal. Decretales concernentibus (§. 459-462.)

Tit. III. De corpore iuris canonici aliisque ſcriptis legalibus iur. eccleſiaſtic. huc pertinentibus (§. 463. 464.)

C. - - - iuris canonico-pontificii noui (§. 465 - 471.)

Tit. I. De ſcriptis legalibus canones recentiorum conciliorum generalium concernentibus (§. 466. 467.)

Tit. II. De ſcriptis legalibus Recentiorum pontificum conſtitutiones concernentibus (§. 468 - 471.)

b. - - - particularis ſeu ſpecialis (§. 472 - 482.)

Tit. I. De ſcriptis legalibus leges Imperii obiectiue eccleſiaſticas concernentibus (§. 473 - 475.)

Tit. II. De ſcriptis legalibus Statuta ſynodalia et alia particularia iura in praelatorum dioeceſibus concernentibus (476. 477.)

Tit. III. De ſcriptis legalibus corpora et collegia eccleſiaſtica concernentibus (§. 478. 479.)

Tit. IV.

Tit. IV. De ſcriptis legalibus leges eccleſiaſticas euangelicorum concernentibus (§. 480-482.)

2. de collectionibus legum eiusdem obiecti ſeu corporibus iuris ſpecialibus (§. 483-485.)

II. De actis publicis et diplomatum collectionibus (§. 486-504.)

1. De actorum publicorum et diplomatum ſecularium collectionibus (§. 490-496.

Tit. I. De actorum publicorum et diplomatum collectionibus, quae ſtatum publicum externum regnorum et rerumpublicarum Europae concernunt (§. 491-493.)

Tit. II. De actorum publicorum et diplomatum ſecularium collectionibus, quae ſtatum publicum internum regnorum et rerumpublicarum Europae concernunt (§. 494-496.)

2. De actorum publicorum et diplomatum eccleſiaſticorum collectionibus (§. 497-504.)

Tit. I. De collectionibus actorum conciliorum (§. 491-501.)

Tit. II. De epiſtolarum, bullarum et breuium Pontificum collectionibus (§. 502-504.)

Caput II. *Bibliotheca iuris ciuilis doctrinalis*. (§. 505-725.)

I. De ſcriptis doctrinalibus generalibus (§. 506-525.)

Tit. I. De ſcriptis propaedeuticis iuridicis generalibus (§. 507-510.)

Tit. II. De elementis vniuerſae iurisprudentiae vel ſaltim variarum eius partium (§. 511. 512.)

Tit. III. De lexicis iuridicis generalibus (§. 513-520.)

Tit. IV. De ſcriptis vnius argumenti ob eius generalitatem generalibus (§. 521-523.)

Tit. V. De ſcriptis ob plurium argumentorum ex diuerſis iurisprudentiae partibus combinationem generalibus (§. 524-525.)

II. De ſcriptis iur. ciuil. doctrinalibus ſpecialibus (§. 526-711.)

1. De ſcriptis iur. ciuil. theoreticis (§. 527-684.)

A. De ſcriptis iur. publici (§. 528-556.)

a. De ſcriptis iuris publici in ſpecie ſic dicti (§. 529-548.)

𝔄. De ſcriptis propaedeuticis et compendiis atque ſyſtematibus iuris publici (§. 530-537.)

Tit. I. De ſcriptis propaedeuticis iur. publici (§. 531-533.)

Tit. II. De ſyſtematibus et compendiis iuris publici (§. 534-537.)

𝔅. De ſcriptis de ſingulis argumentis iur. publici (§. 538-548.)

𝔞. De ſcriptis de variis ſingulis argumentis iuris publici (§. 539-548.)

Tit. I.

Tit. I. De ſcriptis vnius auctoris de variis ſingulis argumentis iuris publici (§. 540-541.)

Tit. II. De collectionibus ſcriptorum variorum auctorum de ſingulis argumentis iuris publici (§. 542-543.)

b. De ſcriptis de ſingulis argumentis iuris publici quae ſunt ſcripta vnius argumenti (§. 544-548.)

α. De ſcriptis de ſingulis argumentis iuris publici quae ſunt ſcripta vnius argumenti, aſt ad certam partem theoriae iur. publ. referri nequeunt (§. 546-547.)

β. De ſcriptis de ſingulis argumentis iur. publici quae ſunt ſcripta vnius argumenti talia, quae ad certam partem theoriae iur. publici referri poſſunt (§. 548.)

b. De ſcriptis iuris gentium Europaei (§. 549-556.)

A. De ſcriptis iur. gent. europaei generalibus (§. 550-554.)

Tit. I. De ſcriptis propaedeuticis et ſyſtematibus atque compendiis iur. gentium europaei (§. 551.)

Tit. II. De ſcriptis de ſingulis argumentis iur. gent. europaei generalibus (§. 552-553.)

𝔅. De ſcriptis iuris gentium europaei ſpecialibus 554-556.)

a. De ſcriptis iuris gent. europaei ſpecialibus quoad gentem germanicam (§. 555.)

b. De ſcriptis iur. gent. europaei ſpecialis quoad reliquas gentes praeter gentem germanicam (§. 556.)

B. De ſcriptis iuris priuati ſeu ciuilis ſtricte ſic dicti (§. 557-601.)

a. De ſcriptis iuris priuati priuatorum (§. 558-596.)

𝔄. de ſcriptis propaedeuticis et ſyſtematibus atque compendiis iur. priuati priuatorum (§. 559-566.)

Tit. I. De ſcriptis propaedeuticis iuris privati (§. 560-562.)

Tit. II. De ſyſtematibus et compendiis iuris priuati (§. 563-566.)

𝔅. De ſcriptis de ſingulis argumentis iuris priuati (§. 567-586.)

a. De ſcriptis plurium argumentorum ſingularium iur. priuati (§. 568-573.)

Tit I. De ſcriptis plurium argumentorum ſingularium iuris ciuilis quae coniunctim explicata (§. 569-571.)

Tit. II.

Tit. II. De ſcriptis plurium argumentorum ſingularium iuris priuati quae ſunt collectiones ſcriptorum huius generis (§. 572-573.)

b. De ſcriptis vnius ſingularis argumenti iuris priuati (§. 474-596.)

α. De ſcriptis vnius argumenti ſingularis iuris prinati varias theoriae eius partes concernentis (§. 575-582.)

Tit. I. De ſcriptis de definitionibus, diuiſionibus, actionibus et exceptionibus iuris priuati (§. 576-579.)

Tit. II. De ſcriptis de controuerſiis iuris priuati (§. 580-582.)

β. De ſcriptis vnius argumenti ſingularis iuris priuati certam theoriae eius partem concernentis (§. 583-596.)

Tit. I. De ſcriptis de iure in re (§. 584-587.)

Tit. II. De ſcriptis de iure ad rem (§. 588-590.)

Tit. III. De ſcriptis de iure perſonarum (§. 591-593.)

Tit. IV. De ſcriptis de ſucceſſione allodiali (§. 594-596.)

b. De ſcriptis iur. priuati principum ſeu illuſtrium (§. 597-601.)

Tit. I. De ſcriptis propaedeuticis et compendiis atque ſyſtematibus iuris priuati principum ſeu illuſtrium (§. 598-599.)

Tit. II. De ſcripris de ſingulis argumentis iuris priuati principum ſeu illuſtrium (§. 600-601.)

C. de ſcriptis iuris feudalis (§. 602-636.)

a. de ſcriptis propaedeuticis atque ſyſtematibus et compendiis iuris feudalis (603-609.)

Tit. I. de ſcriptis propaedeuticis iuris feudalis (§. 604-606)

Tit. II. de ſyſtematibus et compendiis iuris feudalis (§ 607-609.)

b. de ſcriptis de ſingulis argumentis iuris feudalis (§. 610-636.)

𝔄. de ſcriptis plurium argumentorum iuris feudalis (§. 611-614.)

Tit. I. de collectionibus ſcriptorum de ſingulis argumentis iuris feudalis (§. (§. 612-613.)

Tit. II. de ſcriptis plurium argumentorum iuris feudalis quae collectiones non ſunt (§. 614.)

𝔅. de ſcriptis vnius argumenti iuris feudalis (§. 615-6£6.)

a. de

a. de ſcriptis vnius argumenti iuris feudalis, certam theoriae eius partem non concernentis (§. 616-619.)

b. de ſcriptis vnius argumenti iuris feudalis, certam theoriae eius partem concernentis (§. 620-636.)

Tit. I. De ſcriptis de feudorum origine, natura et indole, perſonis feudalibus, et inueſtitura atque praeſcriptione feudali in genere (§. (§. 621-623.)

Tit. II. De ſcriptis de feudo conſtituendo (§. 624-626.)

Tit. III. De ſcriptis de acquiſitione feudorum (§. 627.)

Tit. IV. De ſcriptis de iuribus et obligationibus feudalibus in ſe ſpectatis (§. 628-631.)

Tit. V. De ſcriptis nexus feudalis diſſolutionem concernentibus (§. 632.)

Tit. VI. De ſcriptis de cauſis feudalibus (§. 633.)

Tit. VII. De ſcriptis doctrinam de feudis imperii concernentibus (§. 634-636.)

D. De ſcriptis iuris eccleſiaſtici (§. 637-684.)

a. De scriptis propaedeuticis et systematibus atque compendiis iuris ecclesiastici (§. 638.)

Tit. I. De scriptis propaedeuticis iuris ecclesiastici (§ 639 - 640.)

Tit. II. De systematibus et compendiis iuris ecclesiastici (§. 641 - 642.)

b. De scriptis de singulis argumentis iuris ecclesiastici (§. 643 - 684.)

A. De scriptis plurium argumentorum singularium iuris ecclesiastici (§. 644-650.)

Tit. I. De collectionibus scriptorum vnius auctoris de singulis argumentis iuris ecclesiastici (§. 645 - 646.)

Tit. II. De collectionibus scriptorum iuris ecclesiastici de singulis argumentis variorum auctorum (§. 647 - 648.)

Tit. III. De scriptis plurium argumentorum iuris ecclesiastici vnius auctoris non collectis (§. 649 - 650.)

B. De scriptis vnius argumenti singularis iuris ecclesiastici (§. 651 · 648.)

a. De scriptis vnius argumenti singularis iuris ecclesiastici, certam quandam theoriae eius partem non concernentis (§. 652 - 653.)

b. De scriptis vnius argumenti certam theoriae iuris ecclesiastici partem concernentis (§. 654 - 684)

α. De

α. De ſcriptis iuris eccleſiaſtici generalis (§. 655 - 662.)

Tit. I. De ſcriptis quae opera pietatis et functiones ſacra concernentes in genere concernunt (§. 656.)

Tit. II. De ſcriptis de ſtatu publico interno ſeu politia eccleſiae pontificiae et euangelicae in genere (§. 657-659.)

Tit. III. De ſcriptis de ſtatu publico externo eccleſiae pontificiae et euangelicae, tam in relatione ad poteſtatem ciuilem germaniae, quam in relatione ad ſe inuicem in genere (§. 660-662.)

β. De ſcriptis vnius argumenti iurisprudentiae eccleſiaſticae ſpecialis (§. 663 - 684.)

Tit. I. De ſcriptis de exercitio religionis, liturgia, diebus feſtis et ſingulis operis pietatis communibus atque functionibus ſacra concernentibus (§. 664.-665.)

Tit. II

Tit. II. De ſcriptis de vniuerſitatibus perſonarum eccleſiaſticis (§. 666-671.)

Tit. III. De ſcriptis de rebus eccleſiaſticis communibus (§. 672-674.)

Tit. IV. De ſcriptis de beneficiis eccleſiaſticis (§. 675-677.)

Tit. V. De ſcriptis de cauſis eccleſiaſticis (§. 678-679.)

Tit. VI. De ſcriptis iuris matrimonialis (§. 680-684.)

2. De ſcriptis iuris ciuilis practicis (§. 685-711.)

A. De ſcriptis practicis ſtricte ſic dictis (§. 688-705.)

Tit. I. De ſcriptis de expeditione negotiorum publicorum (§. 689-692.)

Tit. II. De ſcriptis de expeditione negotiorum priuatorum extraiudicialium (§. 693-695.)

Tit. III. De ſcriptis de iudiciis et de expeditione negotiorum iudicialium in genere (§. 696-699.)

Tit. IV. De ſcriptis de expeditione negotiorum iudicialium voluntariorum (§. 700-701.)

Tit. V. De ſcriptis de expeditione negotiorum iudicialium, quae in cauſarum ciuilium diſcepta-

disceptatione coram iudice obueniunt (§. 702-703.)

Tit. VI. De scriptis de arte acta tractandi (§. 704-705.)

B. De scriptis doctrinam de processu ciuili concernentibus (§. 706-711.)

Tit. I. De scriptis doctrinam de processu ciuili communi concernentibus (§. 707-709.)

Tit. II. De scriptis doctrinam de processu particulari, praesertim iudiciorum imperii, concernentibus (§. 710-711.)

Caput III. *Bibliotheca iuris ciuilis casuistica* (§. 712-725.)

Tit. I. De scriptis quae formulas et exempla sistunt (§. 713-715.)

Tit. II. De deductionibus (§. 716-718.)

Tit. III. De consiliis et decisionibus (§. 719-723.)

Tit.. IV. De reliquis scriptis casuisticis (§. 724-725.)

Membrum II. *Bibliotheca iuris criminalis* (§. 726-743.)

Tit. I. De scriptis iuris criminalis legalibus (§. 727-728.)

Tit. II. De scriptis propaedeuticis et compendiis atque systematibus iuris criminalis (§. 729-730.)

Tit. III. De scriptis plurium argumentorum singularium iuris criminalis (§. 731-733.)

Tit. IV.

Tit. IV. De ſcriptis de ſingulis argumentis iuris criminalis generalis (§. 734-735.)

Tit. V. De ſcriptis iuris criminalis ſpecialis theoretici (§. 736 - 737.)

Tit. VI. De ſcriptis iuris criminalis ſpecialis practici (§. 738-740.)

Tit. VII. De ſcriptis iuris criminalis caſuiſticis (§. 741 - 743.)

Appendix I. Specimem bibliothecae ſcriptorum iuridicorum anonymorum et pſeudonymorum.

Appendix II. Specimen bibliothecae ſcriptorum iuridicorum rariorum.

Appendix III. Index alphabeticus ſcriptorum in *Tractatu tractatuum*, OTTONIS et MEERMANNI *Theſauris* contentorum.

PRAECOGNITA
HISTORIAE LITTERARIAE
IVRIDICAE
GENERALIA.

§. 1.

Quae ſub nomine *hiſtoriae litterariae iuridicae*, ſeu *litteraturae iuridicae*, (*der juriſtiſchen gelehrten Hiſtorie*) venit diſciplina, eſt pars hiſtoriae litterariae particularis, quae continet veritates ſingulares de iurisconſultis, iurisprudentiae poſitiuae fatis et ſcriptis iuridicis. Conf. *Praecognita mea eruditionis generalia.* §. 76.

§. 2.

Ad hiſtoriae litterariae iuridicae cognatas, ab ea tamen curate diſtinguendas diſciplinas, pertinent: 1) *hiſtoria litteraria vniuerſalis*; 2) *reliquae partes hiſtoriae litterariae particularis*; 3) *hiſtoria hiſtoriae litterariae iuridicae*; 4) *hiſtoria iuris*, quae eſt complexus veritatum ſingularium de legum poſitiuarum origine et fatis, ſicque potius *hiſtoria legum* dicenda.

§. 3.

Hiſtoria litteraria iuridica diuiditur in *vniuerſalem* et *particularem*, quarum partium haec ad certae cuiusdam partis iurisprudentiae poſitiuae cultores, fata et ſcripta reſtringitur, illa non.

§. 4.

Hiſtoria litteraria iuridica vniuerſalis abit in tres partes, quae ſunt 1) *Notitia Iurisconſultorum* ſeu *Biographia iuridica*, (*die Kenntnis der Rechtsgelehrten*); 2) *Hiſtoria iurisprudentiae*, (*die Geſchichte der Rechtsgelahrtheit*), 3) *Notitia ſcriptorum iuridicorum*, ſeu *Bibliographia iuridica*, (*die Kenntnis der iuriſtiſchen Schriften*, *iuriſtiſche Bücherkunde*). Iſta circa ICtos ſeu auctores iuridicos; illa circa fata iurisprudentiae poſitiuae; haec circa ſcripta iuridica verſatur.

Conf. *Grundris der iuriſtiſchen gelehrten Hiſtorie*, in *Symbolis litterariis iuridicis Hallenſibus*, (*Halliſchen Beitraegen zu der iuriſtiſchen gelehrten Hiſtorie*) Vol. III. P. XI. p. 569-598.

§. 5.

Hiſtoria litteraria iuridica particularis tot admittit partes, quot ſunt iurisprudentiae partes. Quaelibet harum partium vero iterum ſub ſe continet 1) *Notitiam eorum ICtorum, quorum praeſertim in eam partem, de qua agendum, exſtant merita*; 2) *Hiſtoriam eius partis iurisprudentiae, cuius fata recenſenda*; 3) *Notitiam eorum ſcriptorum iuridicorum quae pertinent ad eam partem iurisprudentiae cuius hiſtoria tradenda.*

Speciminis loco hic conferri meretur *Grundris der gelehrten Hiſtorie des teutſchen Staatsrechts*, in *Symbolis litterariis iuridicis Hallenſibus* Vol. I. P. V. p. 38-73. nec non *Entwurf einer Hiſtorie der Privatrechtsgelahrtheit der erlauchten Perſonen in Teutſchland* l. c. Vol. I. P. I. p. 97-130.

§. 6.

Licet hiſtoria litteraria iuridica vniuerſalis ſub ſe comprehendat particularem omnem, vniuerſalis et particularis hiſtoria litteraria iuridica tamen in eo differunt

inter

inter ſe, *quod, quae in vniuerſali attinguntur ſaltem, in particulari exhaurienda.*

§. 7.

Fontes hiſtoriae litterariae iuridicae vniuerſalis, ſunt vel *communes* fontes, vel huius ſeu illius eius partis (§. 4.) *proprii* fontes. De communibus hic, de propriis infra ſuis locis agendum.

§. 8.

Ad communes fontes referri poſſunt:

I) *Scriptorum priuatorum fide dignorum teſtimonia.*

II) *Scripta publica fide munita, veluti annales academici et praeſertim facultatum iuridicarum annales.*

III) *Ephemerides et Nouellae litterariae.*

IV) *Ipſa ſcripta iuridica, praeſertim praefationes.*

V) *Epiſtolae eruditorum.*

§. 9.

Subſidia huius ſtudii ſunt itidem, vel *generalia*, vel *ſpecialia* huius ſeu illius partis hiſtoriae litterariae iuridicae vniuerſalis (§. 4.) ſubſidia. De ſpecialibus ſuis locis agendum, de generalibus vero hic.

§. 10.

Generalia ſubſidia ſunt ſtudium

I) *Hiſtoriae litterariae vniuerſalis.*

II) *Hiſtoriae hiſtoriae litterariae iuridicae.*

III) *Hiſtoriae iuris* ſeu *hiſtoriae legum.*

§. 11.

Inter haec ſubſidia praecipuum eſt hiſtoria hiſtoriae litterariae iuridicae, de qua notandum eam ſub ſe comprehendere, 1) *Notitiam litteratorum iuridicorum*, id eſt, eorum eruditorum quorum exſtant in hiſtoriam litterariam iuridicam merita; 2) *Hiſtoriam hiſtoriae lit-*

terariae iuridicae in ſpecie ſic dictam quae eſt recenſio fatorum huius diſciplinae; 3) *Notitiam ſcriptorum litterariorum*, quae verſatur circa ea ſcripta, quae non niſi ad hiſtoriam litterariam iuridicam pertinentes veritates continent. De ſingulis his partibus paucis agendum.

§. 12.

Notitia litteratorum iuridicorum, vel *vniuerſalis*, vel *particularis* eſt, prout vel litteratores iuridicos in genere reſpicit, vel in ſpecie eos, quorum praeſertim in hanc vel illam hiſtoriae litterariae iuridicae vniuerſalis partem (§. 4.) exſtant merita. Quod itaque notitiam litteratorum iuridicorum *vniuerſalem*, de qua hic agendum, attinet, litteratorum iuridicorum iam demortuorum praecipui ſunt: *Sextus* POMPONIVS, litteratorum iuridicorum primus; *Bernhard.* RVTILIVS; *Nic.* HENELIVS; *Io.* BERTRANDVS; *Guil.* GROTIVS; *Io.* FICHARDVS; *Marcus* MANTVA; *Guido* PANZIROLVS; *Frid. Bened.* CARPZOVIVS; *Dionyſius* SIMON; *Caſpar* THVRMANN; *Mart.* LIPPENIVS; *Georg.* BEYERVS; *Io. Gottl.* STOLLIVS; *Pierre* TAISSAND; *Nic. Hier.* GVNDLINGIVS; *Io. Gottl.* HEINECCIVS; *Everh.* OTTO; *Burc. Gotth.* STRVVIVS, *Chriſt. Gottf.* HOFFMANN; *Gottl. Auguſt.* IENICHEN; *Paul. Phil.* WOLFHARHDT; *Chriſt. Gottl.* BVDER &c. Inter viuentes vero principatum tenent: *Car. Ferd.* HOMMEL; *Io. Frid.* EISENHART; *Io. Georg.* ESTOR; *Henr. Gottl.* FRANCKE; *Io. Iac.* MOSER; *Car. Frid.* GERSTLACHER; *Io. Frid.* IVGLER; *Aug. de* BALTHASER; *Aug. Rud. Ieſ.* BÜNEMANN, *Carl. Frid.* WALCH; *Chriſt.* WEIDLICHIVS; *Io. Andr.* HOFMANN; *Io. Henr. Chriſt. de* SELCHOW; *Aug. Frid.* SCHOTT etc.

§. 13.

Hiſtoriae hiſtoriae litterariae iuridicae in ſpecie ſic dictae ſtudium breuiſſimis abſolui poteſt, modo

notetur

notetur hanc hiſtoriam eſſe, vel *vniuerſalem*, vel *particularem*, prout vel generatim ad hiſtoriam litterariam iuridicam totam, vel ſpeciatim ad certam quandam eius partem (§. 4.) dirigitur. Sunt vero vniuerſalis historiae hiſtoriae litterariae iuridicae, de qua hic, primae lineae hae. Ante hoc, in quo viuimus, ſeculum, nemo, ne tentauit quidem, quantum conſtat, vniuerſam hiſtoriam litterariam iuridicam in formam artis redigere; ſed potius litteratores iuridici qui vixerunt ante hoc ſeculum, non niſi hanc vel illam eius partem, et potiſſimum non niſi hanc vel illam particularem eius doctrinam, excoluerunt. In hoc noſtro, in quo viuimus, ſeculo vero alii tentarunt tale quid, alii perfecerunt. Tentarunt vero hoc Syndicus quidam prouincialis Pomeranicus CAROCCIVS, de cuius conatu videantur *Relationes litterariae Lipſienſes de a.* 1725. *num.* 37. et *Io. Ernſt.* SCHROETER, qui ſuum propoſitum in *Diurnis litterariis Erlangenſibus de a.* 1741. *num.* 42. p. 329-336. cum orbe litterato communicavit. Qui perfecerunt, aſt, me quidem iudice, non ſatis feliciter, ſunt *Io. Gottl.* STOLLIVS, *Aug. Rud. Ieſaias* BÜNEMANN, *Io. Frid.* EISENHART et *Carl. Ferd.* HOMMEL, editis hiſtoriae litterariae iuridicae elementis, mox laudandis.

§. 14.

Notitia ſcriptorum litterariorum iuridicorum quam exhibent *Symbola litteraria iuridica Hallenſia*, Vol. I. P. II. p. 250-308. et P. III. p. 519-556. verſatur circa ſcripta litteraria iuridica, tam *generalia*, quae nimirum ad certam partem hiſtoriae litterariae iuridicae referri nequeunt, quam *ſpecialia*, quae ad vnam alteramue eius partem (§. 4.) referri poſſunt. Specialia ſcripta ſuis locis in ipſa tractatione obueniunt. Gene-

neralia vero ad ſequentes quatuor claſſes commode reduci poſſunt.

I) *Scripta propaedeutica quoad hiſtoriam litterariam iuridicam in genere.*

Horum ſcriptorum in his praecognitis generalibus ſuis locis mentio facta.

II) *Elementa hiſtoriae litterariae iuridicae*, veluti

Gottl. STOLLII *Einleitung zur Hiſtorie der iuriſtiſchen Gelahrtheit.* Ien. 1745. 4.

Aug. Rud. Ieſ. BÜNEMANNI *hiſtoriae litterariae iuris primae lineae.* Hanov. 1750. 8.

Io. Frid. EISENHARTI *Inſtitutiones hiſtoriae iuris litterariae.* Helmſt. 1752. 8. Edit. ſecunda ibid. 1763. 8.

Car. Ferd. HOMMELII *Litteratura iuris.* Lipſ. 1761. 8. quae lineas ductas in Progr. ſub titulo: *Schola iuris litteraria.* Lipſ. 1758. edito, ſubſequuta eſt.

Dicatur de *Io.* HEVMANNI *apparatu iurisprudentiae litterario.* Norimb. 1752. 8.

III) *Ephemerides litterariae iuridicae generales*, veluti

Acta ICtorum, oder neueſte Nachrichten von gelehrter Iuriſten Leben und Schriften. Witt. 1734-1737. 8. P. 1-8

Iuriſtiſcher Bücherſaal, oder gründliche Nachrichten von den beſten iuriſtiſchen Büchern, der berühmteſten Rechtsgelehrten Leben und anderen zur Rechtsgelahrheit dienenden Sachen. Leipz. 1737-1739. 8. P. 1-16.

Noua acta ICtorum, oder gründliche Auszüge und unparteiiſche Vrtheile über die neueſten iuriſtiſchen Bücher und Diſputationes, nebſt vollſtändigen Lebensbeſchreibungen berühmter Iuriſten. Witt. 1738-1739. 8. P. 1-9.

Allerneueſte Nachrichten von iuriſtiſchen Büchern, academiſchen Abhandlungen, Deductionen und Verordnungen groſſer Herren, Leben der berühmteſten verſtorbenen und noch lebenden Rechtsgelehrten, nebſt anderen zur Rechtsgelahrheit gehörigen Sachen. Frankf. und Leipz. 1739-1755. 8. P. 1-80.

Vnpar-

Vnparteiische Critik über iuristische Schriften in- und ausserhalb Teutschland. Leipz. 1750-1758. 8. Vol. 1-6.
Carl. Frid. GERSTLACHERS *iurist. Bibliothec.* Vol. 1. *Stutg.* 1758. 8. et Vol. 2. P. 1. ibid. 1762. P. 2. ibid. eod.
Iournal de iurisprudence. Bouillon 1763. et 1764. 8.
Io. Henr. Christ. de SELCHOW *Iuristische Bibliotheck.* Vol. 1. Goett. 1764. Vol. 2. ibid. 1768. Vol. 3. ibid. 1770. 8.
Carl Ren. HAVSEN *Bibliothec der Geschichte und einheimischen Rechte.* Vol. 1. Halle 1767. 8.
Aug. Frid. SCHOTT *Vnpartheyische Critik über die neuesten iuristischen Schriften.* Leipz. 1768. P. 1-40. etc.

IV) *Obseruationes litterariae iuridicae*, veluti

Hallische Beitraege zu der iuristischen gelehrten Historie. Halle Vol. I. 1755. Vol. II. 1758. Vol. III. 1762. 8.
Ios. Ant. RIEGGER *alte und neue ciuilistische Bibliotheck.* Augsp. 1765. 8.
Kritisches Wörterbuch über iuristische Sachen. Erstes Buch. Francf. 1770. Zweites Buch. ibid. 1772. 8.

§. 15.

Necessitatem historiae litterariae iuridicae euincit, aquam haurire cribro qui sine scriptorum iuridicorum notitia discere vult iurisprudentiam. Vnde per se fluit necessitas litteraturae iuridicae quoad eam partem quae dicitur notitia scriptorum iuridicorum. Quum vero vulgaris notitia scriptorum iuridicorum non sufficiat, sed eam doctam esse requiratur, et haec acquiri nequeat nisi ab eo qui notitia ICtorum imbutus, ipsiusque iurisprudentiae fata cognita habet, et reliquarum partium necessitas in aprico iacet. Sic euicta historiae litterariae iuridicae necessitate, de eius vtilitate nemo dubitabit, qui perpendit facere eam ad 1) fugienda praeiudicia; 2) euitandos soloecismos litterarios iuridicos; 3) minuendum studii iuridici laborem immensum, quoad theoriam tam, quam quoad praxin; 4) recreationem animi ex amoenissimo hoc studio capiendam.

Io. Gottl. OLEARII Diſſ. *de vtilitate et neceſſitate rei litterariae in iurisprudentia* Regiom. 1713.

Io. Phil. CARRACH Exercit. iurid. *de neceſſario litteraturae iuridicae ſtudio.* Hal. 1751. 4.

Rudolph. Chriſt. HENNE Praef. Delineationi Hiſt. iur. Rom. et Germanici Thomaſianae Erfordiae 1750 a ſe editae, praemiſſa: *de acquirenda notitia iurisprudentiae litteraria.*

§. 16.

Quoad methodum docendi diſcendique hiſtoriam litterariam iuridicam non occurrunt ſpecialia notatu digna praecepta. Generalia praecepta vero, quae vel methodum docendi diſcendique quoad omnes diſciplinas concernunt, vel etiam ſpeciatim in docenda diſcendaque hiſtoria omni obſeruanda, iam alia occaſione, nimirum in *Praecognitiis meis eruditionis generalibus* Sect. III. a me tradita, hic repetere nolo.

Aug. de BALTHASAR *Vorbericht von den Nutzen des ſtudii hiſtoriae litterariae, und der Art und Weiſe daſſelbe beſonders in der Rechtsgelahrheit nützlich und ordentlich zu tractiren.* Vid. EIVS Spicilegium ſupplementorum ad Bibliothecam iuridicam Lippenio - Ienichianam. Gryphisw. 1752. 4.

NOTI-

NOTITIA
IVRISCONSVLTORVM.

PRAECOGNITA

NOTITIAE IVRISCONSVLTORVM.

Praef. mea: *Von der Kenntnis der Rechtsgelehrten*, praemissa P. 1. *der zuverläßigen Nachrichten von den ietztlebenden Rechtsgelehrten*, quae auctore WEIDLICHIO prodierunt.

§. 17.

Notitia ICtorum est pars historiae litterariae iuridicae vniuersalis, quae continet veritates singulares de ICtis (§. 4.).

§. 18.

Differt itaque Notitia ICtorum hic obiectiue et pro disciplina quadam sumta a 1) *Notitia ICtorum subiectiue* seu *habitualiter* sumta, quae in eo consistit, quod animus alicuius sit imbutus veritatibus singularibus de ICtis, estque vel *vulgaris*, vel *docta*, prout hae veritates vel vulgares sunt, veluti nomen, aetatem, statum externum, vel non vulgares, veluti capacitatem, scientiam, merita, ICtorum concernunt, Conf. *Praecognita mea eruditionis generalia* §. 9; 2) *Lexico ICtorum*, in quo non systematice, sed secundum ordinem alphabeticum, et quidem non omnes veritates singulares de ICtis, sed tantum singulorum ICtorum vitae recensentur.

§. 19.

Fontes proprii (§. 7.) huius partis historiae litterariae iuridicae sunt:

I. *Intimationes et programmata in promotiones et funera ICtorum publicata.*

II. *Personalia concionibus funebribus adiuncta et Orationes in memoriam ICtorum habitae.*

III. *Epi-*

III. *Epitaphia ICtorum.*

IV. *Numiſmata in ICtorum memoriam cuſa.*

V. *Inſignia, Symbola et Effigies ſeu Icones ICtorum, praeſertim iis haud raro ſubiectae inſcriptiones.*

Praef. *Von den vielerley Quellen, aus welchen Lebensbeſchreibungen vornehmer Iuriſten geſamlet werden können*, quae vitae PAVLI WEHNERI ab ERNSTIO ſcriptae eſt praemiſſa.

Chriſt. Theod. SCHOSSERI *Epitaphia praecipuorum ICtorum Europae.* Hamb. 1615. 8.

Car. Ferd. HOMMELII *Effigies ICtorum in ordinem redactae.* Lipſ. 1760. 8.

Nachricht von Bildniſſen berühmter Rechtsgelehrten. In den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. P. I. p. 360 ſeq.

§. 20.

Ad ſubſidia ſpecialia (§. 9.) notitiae ICtorum referri poſſunt.

I. *Conuerſatio cum ICtis per commercium epiſtolicum et converſationem in ſpecie ſic dictam, quorſum facit iter litterarium iuridicum.*

II. *Collectio iconum ICtorum.*

III. *Studium hiſtoriae hiſtoriae litterariae, quoad hanc partem hiſtoriae litterariae iuridicae.*

§. 21.

De primo ſubſidio nimirum itinere litterario iuridico, notandum, ad duo ſumma capita redire quae ab eo ſunt obſeruanda, qui cum fructu huius generis peregrinationem inſtituere vult. Haec ſunt 1) quorſum hoc iter ſit dirigendum; 2) quid peregrinantem ibi, vbi ſubſiſtit, occupatum tenere debeat, tam *a*) in genere, quam *b*) in ſpecie in certis locis, veluti in iis in quibus vigent academiae.

Ab-

Abhandlung: von rechter Einrichtung einer gelehrten iuristischen Reise. Vid. Hallische Beiträge zur iuristischen gelehrten Historie. Vol. 1. P. IV. p. 668 seqq.

Georg. Paul. HOENII *Iter litterarium iuridicum, quod iurium cultor per Belgium, Angliam et Italiam iucunda cum utilitate instituere potest.* Witt. 1687. 12.

Io. Gottl. KLINGNERI Comm. *de promotionibus studiosorum iuris ad iter iuridicum pertinentibus.* Lips. 1744. 4.

Rom. TELLER *Rede von den Vortheilen einer vernünftigen Reise, und das dieselbe weit grösser bey einem Rechtsgelehrten als bey einem Gottesgelehrten sind.* Leipz. 1728. 4. mai.

Io. Guil. BERGERI Pr. *de ICto peregrinatore* Vit. 1740. quod etiam insertum EIVS Stromateo academico p. 803 seqq.

Christ. Frid. REVSCHENS *Vortheile des Vaterlandes von dem Reisen eines Rechtsgelehrten.* Königsb. 1750. 4. quod scriptum etiam insertum *P.* 1. *der Schriften der freien Geselschaft in Königsberg* p. 348 - 356.

Christ. Gottl. BVDERI Praef. *de vtilitate peregrinationis litterariae pro ICto*, quae praemissa SCHOTGENII et KREISIGII Hist. Script. medii aeui Tom. 3.

§. 22.

Licet icones ICtorum ipsi ad fontes notitiae ICtorum referri possint (§. 19. num. V): collectionem iconum ICtorum tamen tanquam secundum subsidium huius studii laudare licet. Si enim eiusmodi collectio debito modo ordinata, sicque ICtorum effigies chartae candidae insitae, secundum ordinem chronologicum, nulla formae aut magnitudinis ratione habita, in capsulis sine ligatura asseruantur, non vno modo facit ad faciliorem in studio biographico progressum. Frequens enim adspectus eiusmodi collectionis memoriam iuuat, quae in hoc studii genere praesertim quouis modo subleuanda. Dein, qui intuetur dignissimos venera-

neratione vultus doctiſſimorum ICtorum, eum per adſpectum ad eorum gloriam et famam acquirendam excitari, facile contingere poteſt. Accedit quod ex facie habituque corporis non leuis de moribus et indole animi coniectura deſumi poſſit.

Sigiſmundi APINI *Vitae et effigies procancellariorum academiae Altorffinae.* Nor. 1741. 4.

Illuſtrium ICtorum imagines quae inueniri potuerunt ad viuam effigiem expreſſae. Ex muſaeo MARCI MANTVAE BENAVIDII. Romae 1566. fol. min. Graphio repetitus hic primus liber minoribus virorum vultibus, atque alia manu prioris artificis artem non attingente. Venetiis 1570.

Illuſtrium virorum ICtorum effigies Liber II. Ex muſaeo M. MANTVAE BENAVIDII. Venetiis 1570. fol. min.

§. 23.

Tertium ſubſidium, nimirum hiſtoriam hiſtoriae litterariae iuridicae, quoad eam partem hiſtoriae litterariae iuridicae, de qua hic agendum, ſicque hiſtoriam notitiae ICtorum, quod attinet, illud ſub ſe comprehendit 1) *notitiam eorum litteratorum iuridicorum, quorum praeſertim in notitiam ICtorum exſtant merita; 2) hiſtoriam notitiae ICtorum; 3) notitiam ſcriptorum litterariorum iuridicorum biographicorum.*

§. 24

Sunt vero ii ex litteratoribus iuridicis ſupra §. 12. recenſitis, quorum praeſertim in notiam ICtorum exſtant merita, GROTIVS, HEINECCIVS, OTTO, PANZIROLVS, SIMON, TAISAND, MOSERVS et WEIDLICHIVS.

§. 25.

Hiſtoriae notitiae ICtorum primae lineae hae ſunt. Hactenus nemo ne tentauit quidem totam notitiam ICtorum, tanquam peculiarem diſciplinam, ſyſtematico

matico ordine pertractandi, licet *Perill.* ESTOR in *Notitia Auctorum iuridicorum*, quae Marburgi 1748 prodiit, aliquam eius partem dicto modo exhibuerit. Ast tales qui lexicon ICtorum, quod tamen a notitia ICtorum, tanquam disciplina in formam artis redacta, differt (§ 18.), concinnandi consilium coeperunt, immo tale quid actu praestiterunt, non desunt. Tentarunt CASPARVS THVRMANNVS, et V. C. IO. FRID. IVGLERVS. Prior enim teste MOLLERO in *Cimbria litterata Tom. 2. p* 870 *seqq.* catalogum omnium ICtorum, qui unquam scriptis inclaruerunt, compilauit; ast lucem nunquam vidit hoc scriptum. Posterior vero a. 1741 in *Epistola ad Leyserum de concinnando lexico ICtorum* Lipsiae typis vulgata, notum fecit orbi litterato se moliri lexicon ICtorum, et leges quas sibi hanc in rem praescripsit his indicat verbis: „Primo vitam cuiusque ICti, „pleniore, quam vulgo solet, penicillo depingam et „ingenium illius indolemque, quantum licet, explo„rabo. Nullius dignitatem laedam verbis, acerbitate „quadam permixtis. Praeterquam enim quod non „sic inter bonos agatur, minime conueniunt haec ta„lia meam aetatem, nostrique seculi consuetudinem. „Si quis igitur notandus necessario sit, faciam illud qui„dem duce veritate, at comite semper modestia, iu„dicioque suffultus aliorum faciam, qui periti harum „rerum et a partium alieni studio fuerunt. Peracto „hoc ad scripta me vertam, et, quo prodierunt ordi„ne, illa constituam Varia hic erunt obseruanda. Di„cam de pretio, vel si hoc definiri vix possit, scripto„rum singulorum plagulas recensebo: haud obliuiscar „editionum praestantiorum: iudicabo saepius occasio„nem, quae hunc vel illum foetum in lucem produxit: „occupatus ero in enarrandis quos scripta concitarunt „nonnunquam tumultibus, vel amicis saltim contro-

„uerſiis: ſubiungam, ſi librorum quidam ſint rario„res, praecipua illorum capita: peruolutabo rei pu„blicae litterariae annales, et, ne ignoret futurus Le„ctor, vbi de ſcriptis nonnullis dictum ſit copioſius, „ipſa diligenter loca adſeram: mentio abs me fiet me„thodi atque opinionum quas aliquis vel elegit primum „ac diuulgauit, vel cum paucis minimum communes „habet: iuſtis denique laudibus eos proſequar, qui in „iurisprudentiae partibus, fracta glacie, commodio„rem poſteris viam aperuerunt.„ Nondum tamen liberauit fidem datam IVGLERVS, licet vehementer optem tale lexicon mox lucem publicam adſpicere. Qui tale quid praeſtiterunt ſunt quoad ICtos omnis aeui TAISAND; quoad ICtos ab Irnerio vſque an finem Sec. XVII SIMON, et quoad viuentes ICtos MOSERVS atque WEIDLICHIVS, in ſcriptis infra ſuis locis nominandis.

§. 26.

Quoad notitiam ſcriptorum litterariorum iuridicorum biographicorum notandum, huius generis ſcripta eſſe:

. *Scripta propaedeutica biographica.*

Quae huc pertinent ſcripta ſuis locis in his praecognitis ſunt recenſita, praetereaque huc referri debent.

Paul. Phil. WOLFHARDT Sched. *de modis acquirendi notitiam ICtorum.* Rint. 1746. 8.

Io. Gottl. OLEARII Diſſ. hiſt. *de biographis veterum ICtorum.* Regiom. 1714 rec. Witt. 1735. Inſerta etiam eſt haec diſſertatio den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſtorie. Vol. 1. P. 2. p. 265.

Praefationes quas FRANKIVS, HOFMANNVS et LEICKHERVS ſuis ſcriptis de vitis ICtorum, infra ſuis locis laudandis, praemiſerunt.

II. *Ele-*

II. *Elementa notitiae ICtorum.*

Praeter ESTORIS notitiam auctorum iuridicorum, cuius mentio iam facta, desunt adhuc scripta quae huc referri possent.

III. *Scripta de ICtorum ortu, progressu, collegiis, societatibus, sectis, responsis, gradibus academicis, munere antecessorio, Deabus tutelaribus, Patronis et diebus festis.*

Quae huc pertinent scripta infra suis locis recensenda.

IV. *Vitae singulorum ICtorum.*

1. *plurium simul*, et quidem

A. *promiscue, nulla habita temporis aut loci quo floruerunt ratione, secundum ordinem alphabeticum*, veluti

Dionys. SIMON *nouuelle bibliotheque historique et chronologique des principaux auteurs et interpretes du droit civil, canonique et particulier de plusieurs Etats et provinces depuis Irnerius, avec le caractere de leur esprit et des iugements sur leur ouvrages.* Tom. 1. Paris 1692. 12. Tom. 2. ibid. 1695. 12.

Pierre TAISAND *les vies des plus celebres Iuris Consultes de toutes les nations, tant anciennes que modernes, savoir Latins ou Romains, Francois, Espagnols, Italiens, Allemans, Anglois, Hollandois &c.* Paris 1721. 4. Nova editio emendatior et auctior prodiit ibid. 1737. 4.

B. *sigillatim*, ratione

a. *certi temporis quo floruerunt.*

De his scriptis in ipsa tractatione suis locis agendum.

b. *certi loci vbi floruerunt*, veluti

Memoriae ICtorum Helmstadiensium qui diem suum obierunt. In *Gebh. Theod.* MEIERI Monumentis Iuliis, memorias Professorum Helmstadiensium, qui diem suum obierunt, exhibentibus. Helmst. 1680. p. 73. seqq.

Io. Casp. ZEVMERI *Vitae Professorum iuris Academiae Ienensis.* Ienae 1705. 8. et inter EIVSDEM Vitas Professorum Ienensium. Ien. 1710. 8.

Nic. REVSNERI Or. *de praecipuis luminibus academiae Ienensis maxime iu iurisprudentia.* Extat in Vol. 2. Orat. paneg. EIVS. Orat. XV. p. 194 seqq.

Io. ZANGERI Or. Sec. *de initiis et incrementis doctrinae et doctorum iuris in academia Vitebergensi sub Illustrissimis Saxoniae Electoribus Friderico* III. *Ioanne, Io. Friderico, Mauritio, Augusto et Christiano* I. habita Vitteb. 1602. Vid. SVEVI Academia Wittenbergensis cui inserta est.

Io. Henr. BERGERI Or. *de ICtis Academiae Vitebergensis qui superiori Seculo vixerunt, habita* 1703. Adiecta est EIVS Enarrationi in l. 10. ff. de iure fisci. Lipsiae 1705.

Aug. de BALTHASAR tredecim *Programmata de vitis et fatis ICtorum Gryphiswaldensium* ab a. 1737 successiue publicata, de quibus vid. EIVS Catalogus scriptorum suorum Rostochii 1759 editus. p. 25 seqq.

Sebast. BACMEISTER *Megapoleos litteratae, speciatim Rostochiensis Lib.* 1. *singularis, quo agitur de ICtis Rostochiensibus ab a. academiae initiali ad a.* 1700. *apud* WESTPHALVM in monumentis ineditis &c. Tom. 3. p. 1307 seqq.

Godofr. ELEND Pr. *in quo vitae ICtorum qui in Christiano-Albertina floruerunt, breuiter delineantnr.* Kil. 1734.

Christ. Vlr. GRASSI Or. *de quibusdam ICtis Altorfinis.* In Actis sacrorum secularium quae a. 1723 celebrauit academia Altorfina. p. 294 seqq.

Sigism. APINI *Vitae et effigies procancellariorum academiae Altorfinae,* Norimb. 1721. 4.

Car. Seb. ZEIDLER *Vitae Prof. Iur. in Academia Altorfina.* Nor. 1770. 4.

Nach-

Nachricht von der Salzburgischen Rechtslehrer Leben und Schriften in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Historie. Vol. 3. P. 9. p. 65 - 100.

Lüd. MENCKEN Or. *de luminibus ordinis ICtorum Lips. praeteriti seculi.* Lips. 1709.

Eph. DONDORF Pr. *de luminibus ordinis ICtorum Lipsiensis nostri seculi.* Lips. 1727.

Gottl. Frid. IENICHEN Pr. *de ordinariis facultatis iuridicae Lipsiensis in funere Lüd. Menckenii propositum.* Lips. 1726.

Nachricht von den Ordinariis, welche vom Anfang der Academie Leipzig bis auf diesen Tag dieses wichtige und ansehnliche Amt verwaltet haben. In dem iuristischen Büchersaal. P. 1. p. 44.

Car. Ferd. HOMMEL Or. *de ordinariis facultatis iuridicae Lipsiensis.* Lips. 1763. 4. Edit. secunda ibid. 1767. 8.

Nic. Pasq. ALIDOSI *li Dottori bolognesi di legge canonica e ciuile, dal principio di essi per tutto l'anno* 1619 *con li viventi per ordine del loro Dottorato.* Bologna 1620. 4.

Iul. a PVTEO *Elogia collegii Veronensis iudicum, aduocatorum, doctrina, natalibus, honoribusque illustrium.* Veronae 1653. fol.

Franc. ARISII *Spectabiles causarum patroni ex inclyto Cremonensi collegio.* Placentiae 1697. 4.

Fasti doctorales iuris vtriusque, hoc est, Doctores et Professores iuris vtriusque, quotquot in academia Louaniensi supremum hunc titulum adepti sunt, aut aliunde attulerunt. Louanii 1629. 4.

2. *huius vel illius ICti.*

Horum scriptorum recensio ipsi tractationi reseruanda.

Io. Casp. ZEVMERI *Vitae Professorum iuris Academiae Ienensis.* Ienae 1705. 8. et inter EIVSDEM Vitas Professorum Ienensium. Ien. 1710. 8.

Nic. REVSNERI Or. *de praecipuis luminibus academiae Ienensis maxime iu iurisprudentia.* Extat in Vol. 2. Orat. paneg. EIVS. Orat. XV. p. 194 seqq.

Io. ZANGERI Or. Sec. *de initiis et incrementis doctrinae et doctorum iuris in academia Vitebergensi sub Illustrissimis Saxoniae Electoribus Friderico* III. *Ioanne, Io. Friderico, Mauritio, Augusto et Christiano* I. habita Vitteb. 1602. Vid. SVEVI Academia Wittenbergensis cui inserta est.

Io. Henr. BERGERI Or. *de ICtis Academiae Vitebergensis qui superiori Seculo vixerunt, habita* 1703. Adiecta est EIVS Enarrationi in l. 10. ff. de iure fisci. Lipsiae 1705.

Aug. de BALTHASAR tredecim *Programmata de vitis et fatis ICtorum Gryphiswaldensium* ab a. 1737 successiue publicata, de quibus vid. EIVS Catalogus scriptorum suorum Rostochii 1759 editus. p. 25 seqq.

Sebast. BACMEISTER *Megapoleos litteratae, speciatim Rostochiensis Lib.* 1. *singularis, quo agitur de ICtis Rostochiensibus ab a. academiae initiali ad a.* 1700. *apud* WESTPHALVM in monumentis ineditis &c. Tom. 3. p. 1307 seqq.

Godofr. ELEND Pr. *in quo vitae ICtorum qui in Christiano-Albertina floruerunt, breuiter delineantnr.* Kil. 1734.

Christ. Vlr. GRASSI Or. *de quibusdam ICtis Altorfinis.* In Actis sacrorum secularium quae a. 1723 celebrauit academia Altorfina. p. 294 seqq.

Sigism. APINI *Vitae et effigies procancellariorum academiae Altorfinae,* Norimb. 1721. 4.

Car. Seb. ZEIDLER *Vitae Prof. Iur. in Academia Altorfina.* Nor. 1770. 4.

Nach-

Nachricht von der Salzburgischen Rechtslehrer Leben und Schriften in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Historie. Vol. 3. P. 9. p. 65-100.

Lüd. MENCKEN Or. *de luminibus ordinis ICtorum Lipſ. praeteriti ſeculi.* Lipſ. 1709.

Eph. DONDORF Pr. *de luminibus ordinis ICtorum Lipſienſis noſtri ſeculi.* Lipſ. 1727.

Gottl. Frid. IENICHEN Pr. *de ordinariis facultatis iuridicae Lipſienſis in funere Lüd. Menckenii propoſitum.* Lipſ. 1726.

Nachricht von den Ordinariis, welche vom Anfang der Academie Leipzig bis auf dieſen Tag dieſes wichtige und anſehnliche Amt verwaltet haben. In dem iuriſtiſchen Bücherſaal. P. 1. p. 44.

Car. Ferd. HOMMEL Or. *de ordinariis facultatis iuridicae Lipſienſis.* Lipſ. 1763. 4. Edit. ſecunda ibid. 1767. 8.

Nic. Pasq. ALIDOSI *li Dottori bologneſi di legge canonica e ciuile, dal principio di eſſi per tutto l'anno* 1619 *con li viventi per ordine del loro Dottorato.* Bologna 1620. 4.

Iul. a PVTEO *Elogia collegii Veronenſis iudicum, aduocatorum, doctrina, natalibus, honoribusque illuſtrium.* Veronae 1653. fol.

Franc. ARISII *Spectabiles cauſarum patroni ex inclyto Cremonenſi collegio.* Placentiae 1697. 4.

Faſti doctorales iuris vtriusque, hoc eſt, Doctores et Profeſſores iuris vtriusque, quotquot in academia Louanienſi ſupremum hunc titulum adepti ſunt, aut aliunde attulerunt. Louanii 1629. 4.

2. *huius vel illius ICti.*

Horum ſcriptorum recenſio ipſi tractationi reſeruanda.

V. *Scripta de ICtorum conditione quoad animam, corpus et ſtatum externum.*

Infra ſuis locis haec ſcripta laudanda.

Dicatur de 1) *Io. Wolffgangi* FREYMONII *Symphonia iuris vtriusque chronologica &c.* Franc. 1574. fol. 2) *Ioſ. Aur.* de IANVARIO *republica ICtorum*, quae prodiit Neapoli 1731. 4. Lipſiae vero 1732. 8. cura FRID. OTT. MENCKENII recuſa; 3) SCHWARZII *vitis ICtorum qui doctrinae famaeque celebritate academiam Altorfinam illuſtrarunt*, ab aliis allegatis; 4) ſcriptis biographicis iuridicis deperditis e. g. de THOMAE DIPLOVATATII *Lib. XII de praeſtantia Doctorum et clariſſimis ICtis;* BALDI ſcripto *de illuſtribus iuris vtriusque doctoribus &c.*

§. 27.

Quae in genere de hiſtoriae litterariae iuridicae vtilitate et neceſſitate dicta ſunt (§. 5.), et partis eius, quae ſub Notitiae ICtorum nomine venit, neceſſitatem et vtilitatem evincunt. Speciatim vero Notitia ICtorum hunc ſpondet vſum, quod incitet ad ſimilia tentandum, ſi cognoſcimus quanti viri, Muſarum ope ac beneficio, euaſerint alii.

§. 28.

Quoad methodum docendi diſcendique Notitiam ICtorum in ſpecie notandum, hic maxima opus eſſe cautione, ne quoad ſingulos ICtos, tam ratione eorum quorum mentio facienda, vel non, quam ratione eorum quae in vitae deſcriptione obſeruanda, vel in exceſſu, vel in defectu peccetur, qua de re infra pluribus agendum.

TRAC-

TRACTATIO IPSA.

PARS I.

DE ICTIS IN GENERE EORVMQVE ORTV, PROGRESSV, SECTIS, RESPONSIS, COLLEGIIS, SOCIETATIBVS, HONORIBVS ACADEMICIS, MVNERE ANTECESSORIO, DEABVS TVTELARIBVS, PATRONIS ET DIEBVS FESTIS.

TIT. I.

DE

IVRISCONSVLTIS IN GENERE.

§. 29.

Qui hic ſub *Iuriſconſultorum* ſeu *Auctorum iuridicorum* nomine veniunt eruditi, ſunt, ſumta hac voce in ſenſu latiſſimo, omnes ii qui callent iurisprudentiam poſitiuam; vt itaque iidem ſint qui et *Iurisperiti*, *Iurisprudentes*, *Iuriſtae* appellari ſolent.

§. 30.

Apud Romanos vero non omnes ii qui iuris peritiam profitebantur, in proprio et ſtricto ſenſu Iurisconſulti appellari ſolebant, ſed erant eorum varia nomina. Obueniunt nimirum *Studioſi iuris*, *Prudentes*, *Anteceſſores*, *Pragmatici*, *Aſſeſſores*, *Aduocati* et denique *Iuriſconſulti.* Qui ICti appellantur, a conſulendo ita dictos eſſe, certo certius eſt, ſicque qui ſua iuris peritia vtebantur aliis conſilia ſuppeditando in negotiis iuridicis, *in proprio et ſtricto ſignificatu ICti* dicti

 ſunt.

ſunt. Aſt tamen in ſenſu generali et reliquos, qui praeter eos iuris peritiam profitebantur, ſub ICtorum nomine veniſſe, vel ex CICERONIS *de Orat. Lib.* 1. *Cap.* 48. verbis colligi poſſe videtur. Ait enim: *ſi autem quaereretur quisnam ICtus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et conſuetudinis eius qua priuati in ciuitate vterentur et ad reſpondendum, et ad agendum, et ad cauendum peritus eſſet.* Erat itaque, ſi quid video, ſub libera republica et ante ortum ſcholarum iuridicarum, *ſtudioſi iuris* appellatio generalis, et omnes ſub ſe comprehendebat quibus legum ſtudium curae cordique erat. Ex his, pro modi quo iuris peritiam profitebantur diuerſitate, alii appellabantur *ICti in ſenſu ſpeciali*, modo definiti; alii *Aſſeſſores*, qui Magiſtratibus, ſaepe imperitis, ius ſuggerebant, *l.* 1. *ff. de offic. aſſeſſ.*; alii *Pragmatici*, qui contractuum, teſtamentorum, aliorumque inſtrumentorum formulas concipiebant, hoc tempore etiam Anteceſſores dicti. Quod vero, tempore liberae reipublicae et ante ortum ſcholarum iuridicarum, *ICti in ſpecie ſic dicti*, *Prudentis* et *Aduocati* diſtincta officia fuerint, ſicque inter eos qui iuris peritiam profitebantur, Prudentes et Aduocati ab ICtis ſtricte ſic dictis diſtinguendi, hactenus, quicquid dicant alii, perſpicere nequeo.

Cornelius van BYNCKERSHOECK Obſerv. iuris. Lib. 6. Cap. 3. *De anteceſſoribus et ſtudioſis iuris nonnulla.*

Io. Nic. FVNCCIVS Pr. *de origine et auctoritate Prudentum apud Romanos olim iuris legumque interpretum.* Marb. 1754. fol.

Adr. STEGER Pr. *de nomine Aduocatorum honorificentiſſimo* Lipſ. 1735. 4.

§. 31.

Licet eorum qui iurisperitiam profitebantur apud Romanos diuerſa erant officia, praetereaque et alias eru-

eruditionis partes, praesertim philosophiam et artem oratoriam, cognitas et perspectas habuerint ICti, prout ex infra dicendis patebit: dici tamen nequit ICtos apud Romanos, praeter ICti officium, simul Philosophi et Oratoris officium gessisse. Erant potius apud Romanos, sub libera republica, aliae *ICti*, aliae *Philosophi*, aliae *Oratoris* seu *Rhetoris* partes; licet ICti ex aemulatione cum Philosophis nonnunquam pii et honesti regulas inculcauerint, et Oratores causas agentes, si quid maioris momenti incideret, ICtos interrogasse constet. Mansit etiam semper officium ICti et Philosophi apud Romanos diuersum, sicque falsa est GERARDI NOODTII doctrina cui visum est, duplicem personam, alteram Philosophi, alteram Iurisconsulti, egisse veteres ICtos. ICti et Oratoris itidem distinctum officium vero sub Imperatoribus coniunctum, et ex ea coniunctione ICti dicti fuerunt Oratores et Rhetores.

Io. Gottfr. SCHAVMBVRG Prol. acad. *de ficto ICtorum veterum duplici officio.* Ienae 1736. 4. Adiecta etiam est EIVS Tractationi *de iurisprudentia veterum ICtorum Romanorum Stoica* p. 207-223.

Corn van BYNCKERSHOECK Observ. iur. Lib. 7. Cap. 6. *Officium Oratoris et ICti antea distinctum post coniunctum fuisse.*

§. 32.

Non quilibet eruditus qui iurisprudentiam positiuam callet, sicque omnino in sensu generali ICtus dicendus (§. 29), ideo, si in historia litteraria eruditi in classes secundum scientias, in quibus excellent, redigendi sunt, ad ICtorum classem referri debet, eiusque notitia huc pertinet. Requiritur potius, vt quis hic ad ICtos referri possit, eum, praeterea quod sit eruditus, et citra hunc respectum ICtus dici possit, talem esse, 1) qui, nisi sit Polyhistor, studium iuridi-

cum, tanquam principale ſtudium, elegit; 2) cuius exſtant immediata merita in iurisprudentiam poſitiuam, potiſſimum per docta ab eo edita ſcripta iuridica acquiſita. Vnde facile diiudicari poteſt an, et quo ſenſu, ad ICtos referri poſſint M. T. CICERO, HORATIVS, VIRGILIVS, APOSTOLVS PAVLVS, REX DAVID, HVGO GROTIVS, GOD. GVIL. LEIBNIZIVS, CHRISTIANVS WOLFIVS aliique.

Ant. SCHVLTING Or. *de iurisprudentia Ciceronis.* Franecq. 1702. Reperitur etiam in EIVS Triade Diſſert. ibid. 1708. vt et in VHLII Opuſculis ad hiſtoriam iuris pertinentibus p. 312-350.

Cornelius van BYNCKERSHOECK *de Cicerone non ICto.* In Praetermiſſis ad l 2. ff. de O. I. ad §. 46.

Rud. HENNE Prol. Acad. *de Cicerone non ICto.* Erfurt. 1736. 4.

Io. Chriſt. FVGMANN Diſſ. *de Ciceronis iurisprudentia in libris de officiis comprehenſa.* Witt. 1679.

Henr. BROCKES Diſſ. *de Cicerone iuris ciuilis teſte et interprete, ſpeciatim de Cicerone ICto.* Vit. 1738.

IDEM Diſſ. *de Cicerone iur. civ. teſte et interprete, ſpeciatim in ſuis de inuentione libris.* Ibid. 1739.

IDEM Diſſ. *de Cicerone iuris ciuilis teſte et interprete, ſpeciatim in primo de oratore libro.* Cap. 1 - 38. ibid. 1741.

Henr. Ernſt. KESTNER Diſſ. *de Cicerone ICto, in tractatu de officiis.* Rint. 1719.

Io. Georg. ESTOR Praef. *de iurisprudentia Q. Horatii Fl.* quae praemiſſa eſt Opuſculis HAMBERGERI.

Erhardus REVSCHIVS Diſq. *de P. Virgilio Marone Iureconſulto.* Helmſt. 1728.

IDEM Diſſ. *de iurisprudentia Regis Dauidis.* Rint. 1706.

Aug. Chriſt. MARCHE *Specimen iurisprudentiae Apoſtoli Pauli quoad rem tutelarem.* Lipſ. 1736.

Georg. Guil. KIRCHMAIERI Diſſ. *de D. Pauli iurisprudentia, ſigillatim locum ſacrum iuſtificationis penitus enucleante.* Vit. 1730.

Io. Samuel STRYK Diſſ. *de iurisprudentia Pauli Apoſtoli.* Halae 1695. rec. ibid. 1734.

Io.

Io. Ortw. WESTENBERG. Or. *de iurisprudentia Pauli Apostoli*, recitata Franequerae a. 1721. et ibidem impressa, recusa 1738. sumtibus Orphanotrophei Barutini, operibus EIVS Hanouerae editis vero non inserta est.

Der Apostel Paulus als ein grosser Rechtsgelehrter bey dem Leichenbegängnis Io. Paul. Kressens vorgestellet von *Christ. Thim.* SEIDEL. Helmst. 1741. fol.

Abhandlung: *von den Verdiensten des Freyherrn von Wolff vm die positive Rechtsgelahrtheit*, in den Hallischen Beiträgen zur iuristischen gel. Historie. Vol. 1. p. 2. P. 208-247.

TIT. II.

DE

ICTORVM ORTV ET PROGRESSV.

§. 33.

Quum certum sit inter mortales qui terram inhabitarunt ante diluuium mundi vniuersale, non fuisse tales eruditos qui ad ICtos sub aliqua veritatis specie referri possunt: ICtorum origo apud populos post diluuium ortos quaerenda, inter quos, non *Asiae* et *Africae*, sed potius *Europae* incolae primos produxerunt ICtos. Quicquid enim dicant alii de νομοδιδασκαλῶν, apud Hebraeos paulo post captiuitatem Babylonicam ortorum, legum peritia, ea tamen talis non erat, vt eruditorum classi ideo adscribi possint, sicque ICtos fuisse dici nequit.

Theod. Christ. LILIENTHAL Medit. epistolica: *de νομικοις iuris vtriusque apud Hebraeos doctoribus priuatis.* Halae 1740. 4.

Christ. Gottl. Frid. WOLFF Sendschreiben: *von den Aduocaten der Israeliten.* Leipz. 1754. 4.

§. 34.

§. 34.

Mitto itaque Asiam Africamque atque Europam me conuerto, vt definiam an *Graecia*, an vero potius *Roma* produxerit primos ICtos, dum reliqui Europae populi in censum non veniunt, si origo ICtorum inuestiganda. Quum vero, Graeciam quod attinet, inter eius sapientes inueniam neminem qui ICtus dici posset et aetate superaret eos apud Romanos qui sine dubio tales fuerunt, Romae ICtos suam debere originem nullus dubito. ORPHEVM, LINVM et MVSAEVM certe, ICtos fuisse, dici nequit, prout nec LYCVRGVS, nec DRACO, nec SOLON, nec ZALEVCVS huc referri possunt. Ast quid dicendum de APOLLINE? Non in Deorum choro, sed inter mortales quaero primos ICtos.

Carol. Ferd. HOMMELII *de Apolline Iurisperito dissertatio, in qua ostenditur oracula primis temporibus non de futuris, sed de iure consulta fuisse.* Lips. 1748.

Io. Frid. ECKHARD Pr. *de Apolline iurisperito.* Franckenh. 1754.

§. 35.

Ast Roma sub Regibus nondum vidit ICtos, sed potius demum sub libera republica, post latas LL. XII. Tabb. Videlicet, licet et apud Romanos iam exstiterint ante hoc tempus viri qui legum aliqua peritia tincti, quorsum patricios refero, in quorum fidem iam a ROMVLO dati plebeii, qui ideo patroni eorum dicti, hi vero clientum eorum nomine insigniti, hi patroni tamen veri nominis eruditi, sicque ICti, non erant. Quum vero postquam LL. XII Tabb. compilatae erant, cepit, vt naturaliter euenire solet, et POMPONIVS l. 2 §. 5. ff. *de O. I.* testatur, earum interpretatio, et deinde ex his legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent, quod vtrumque factum a Prudentibus, vti eos appel-

lat

lat POMPONIVS l. c. et paullo poſt, per eos Pontifices ſeu Pontificum collegium intelligi, non obſcure declarat, nunc aderat materia, ex qua, forma artis accedente, prima iurisprudentiae ſtamina oriri poterant. Is itaque, qui primus huic materiae dedit aliquam artis formam, ſine dubio pro primo ICto habendus, idque feciſſe APPIVM CLAVDIVM, qui *coecus*, a POMPONIO vero l. c. §. 36. *centemmanus*, dicitur, et diuerſus eſt ab illo APPIO CLAVDIO qui inter Decemviros erat, teſtis eſt idem POMPONIVS l. c. dum eum actiones ſcripſiſſe et de vſurpationibus librum compoſuiſſe narrat. Quae cum ita ſint APPIVS CLAVDIVS iure meritoque pro primo, quem vidit orbis litteratus, ICto habendus, et falſa eſt vulgaris ſententia, iam ex eo tempore quo *Patroni* ſunt orti, originem cepiſſe ICtos apud Romanos: prout etiam defendi nequit *Prudentes* ſeu *Pontifices*, quos POMPONIVS l. c. laudat tanquam primos interpretes LL. XII. Tabb. et inuentores legis actionum, ad ICtos eſſe referendos.

Daniel. MITZIVS *de origine ICtorum romanorum.* Baſil. 1747. 4.

Abhandlung: *von dem wahren Urſprunge der Rechtsgelehrten* in den Halliſchen Beiträgen zur iuriſt. gel. Hiſtorie Vol. 1. P. 2. p. 327-354.

Io. Burch. GEIGER Pr. *de origine et fatis ICtorum Romanorum.* Erl. 1764.

§. 36.

Qui ſic apud Romanos orti ſunt ICti 1) floruerunt ſemper a ſua origine ad hunc usque diem: 2) omnes, quotquot vixerunt vnquam veri nominis ICti, ſunt veterum ICtorum Romanorum propago; 3) per omnia Europae regna ſenſim diſſeminata. Licet enim quod attinet *primum* negari nequeat, huius generis eruditos, non quouis tempore eadem nominis celebritate

tate ad posteros propagata, floruisse; praesertim a Sec. post natum mundi Saluatorem III, vsque ad Sec. XII. celebrium ICtorum, quorum memoria ad nostra vsque tempora pertingit, numerum esse valde exiguum: nonnullos tamen, qui et hoc tempore floruerunt, esse, ex infra dicendis patebit. Licet porro, quod *secundum*, non nisi legum patriarum sui regni periti, nulla vero iuris Romani cognitione tincti, et in specie veterum Germanorum Sachibarones, Romanorum ICtorum successores non sint: hoc non obstante defendi tamen potest, totam ICtorum veri nominis cohortem a Romanis ICtis suam ducere originem. Qui enim non nisi sui patrii iuris in forman artis non redacti periti sunt, ICtorum nomen non merentur (§. 29.) et de iis omnibus valet, quod de ICtis Angliae olim ICtos Romanos dixisse fertur: *quod anglicarum legum Doctores desinant esse in numero eruditorum extra Angliam.* Qui vero callent ius suum patrium in formam artis redactum, veri nominis ICti quidem sunt, ast hi semper aliqua iuris Romani cognitione sunt tincti. Et quod in specie attinet veterum Germanorum *Sachibarones*, seu *Sagibarones*, a *Sache* lite, causa, rixa, et *Bar* viro, ita dictos, et a *Scabinis* distinguendos, hi erant viri honesti et sapientes, qui magistratui apud Germanos a consiliis erant ius iis suppeditando, sicque Assessoribus apud Romanos (§. 30.) et hodiernis Syndicis ciuitatum, simillimi. Fuisse itaque morum apud Germanos peritos Sachibarones, indeque et *legales homines* subinde appellatos esse, negari quidem nequit, in ea tamen aetate vixerunt, in qua Germania nondum produxit eruditos, et formae artis tum vix simulacrum habebat ius germanicum. Licet tandem quoad *tertium*, hoc vel illud regnum Europae prae aliis superbiat pluribus et celebrioribus ICtis, vel demortuis,

vel

vel adhuc viuentibus, nullum tamen allegari poteſt, quod plane deſtitutum ICtis veri nominis et iuris romani cognitione inſtructis.

Car. Erid. SCHOEPFF Pr. *de Sagibaronibus in mallobergiis, von alten teutſchen Rechtsgelehrten in Oberhöfen.* Suevofurthi 1740. 4. inſertum den Halliſchen Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſtorie. Vol. 2. P. 8. p. 621-637.

Henr. BROCKES Pr. *de veterum Sachibaronibus*, Ienae 1753. 4.

Chriſtiani L. B. de NETTELBLA Praefatio: *qua ICti Suetici vindicantur ab eorum accuſationibus qui eos Iur. Rom. prorſus imperitos putant, eosque tantundem ſibi ſumere poſſe, quantum ICti Germaniae, oſtenditur*, praemiſſa EIVS Themidi Romano-Suecicae. Gryphisw. 1729.

M. Nic. OSANDER Diſſert. ſub titulo. *Fama eruditorum in Suecia virorum praeſertim ICtorum ac Hiſtoricorum a contemtu iuris publici patrii et documentorum medii et nouiſſimi aeui quam ipſis tribuit E. I. W. vindicata.* Gryphisw. 1725. Inſerta etiam haec Diſſ. *der Schwediſchen Bibliothec* P. V. num. I.

§. 37.

Dudum etiam ius ciuitatis impetrarunt ICti in orbe litterato. Sunt veri eius ciues, et ridicula eſt controuerſia in Gallia olim, SALLONE et MENAGIO auctoribus, agitata, vtrum ICti inter eruditos ſint referendi, cui anſam praebebat SALLONIS recenſio amoenitatum iuris MENAGII in Ephemeridibus ſuis, *Iournaus de Scauans*, dictis. Hinc ICti eandem in orbe litterato ſuſtinent perſonam ac alii eruditi, nec illis in hac et futura vita ne hilo quidem poſtponendi. Sunt et inter eos eruditi 1) *praecoces*; 2) *autodidacti*; 3) *inuentones*; 4) *eademque vtuntur cum aliis eruditis ſentiendi libertate, nullam admittentes imperium, niſi rationis et modeſtiae.* Aſt, cum et in republica litteraria dentur ciues male morati, boni ciuis officia non inplentes, et inter ICtorum

rum nationem tales proh dolor obueniunt. Sunt enim et inter hos qui, vt alii eruditi; 1) *praeiudico auctoritatis occoecati*; 2) *nimio disputandi amore abrepti*; 3) *in disputando affectibus nimium indulgentes*, 4) *plagii litterarii rei*; nec non ἀλλοτριοεπίσκοποι qui nimirum temere artis suae fines transgrediuntur. De reliquis vitiis et virtutibus ICtorum infra Parte III. dicendum, quum hic tantum eatenus de iis agendum, quatenus respectum habent ad litterariam rempublicam, suosque in ea conciues. Ceterum et iuris cultorum numerus nonnunquam per apostatas minuitur, ast nec deficiunt transfugae.

Beni. Christ. OLEARIVS Rede *von dem Vorzuge der Theologen vor den Rechtsgelehrten im ewigen Leben.* Ienae 1747. 4.

Herrn. Beni. Christ. OLEARII Rede *von den Vorzügen der Theologen vor denen Rechtsgelehrten im ewigen Leben, nach ihren Aberglauben und Unwahrheit betrachtet von Friedrich Theophilo* FELLERN sacr. minist. candidato ob crumenae vacuum non promoto. Francof. et Lipf. 1753. 4

Io. Henr. STOLTENBERG Epist. *de claris ICtis qui in ipso iuuentutis flore peculiarem sui nominis famam consequuti sunt.* Ienae 1714. 4.

Georg. Ludw. GOLDNER *Selectae autodidactorum bibliothecae ordinis II. qui politicos et ICtos complectitur. Exercitationes octo.* Gerae 1715. et 1716.

Io. Vl. L. B. de CRAMER Or. *De ICto inuentore.* Marb. 1733 et Opusc. Tom. 3. num. 13.

Io. Ludov. LANGHVHT Diss. *de libertati sentiendi iurisperitorum veterum Romanorum hodiernorumque.* Lipf. 1735.

C. H. TROTZ Or. inaug. *de libertate sentiendi dicendique Iurisconsultis propria.* Franeck. 1742. fol.

Herm. Henr. ENGELBRECHT Orat. inaug. *de nullo inter eruditos et sigillatim ICtos imperio.* Gryphisw. 1737. 4.

Gottl.

Gottl. Ger. TITII Pr. *de libertate iuridica.* Lipſ. 1710.

Chriſt. SCHOENE Pr. *de ſeruitute iuridica.* Lipſ. 1729. 4.

IDEM Diſſ. *de leguleiismo.* Erfordii 1714.

Aug. LEYSER *de ſuperſtitione iuridica.* Helmſt. 1722.

Io. Henr. BERGER ſ. Reſp. *Aug.* LEYSERVS Diſſ. *de logomachiis in iure.* Vit. 1707.

Aug. a LEYSER Diſſ. *de ICto diſputatore.* Vit. 1749.

IDEM Diſſ. *de pugnis ICtorum.* Ibid. eod.

Guil. Hier. BRÜCKNER Pr. *de plagio litterario in ſtudio iuris.* Ienae 1717.

Frid. Bened. CARPZOV Diſſ. *de ἀλλοτριοεπισκοπία ICtorum.* Witt. 1743.

Io. Gottl. OLEARIVS Diſſ. *de Luthero ex iuris ſtudioſo theologo, et Zieglero ex Theologo ICto.* Ienae 1709.

§. 38.

Non in orbe litterato ſolum ICti ſe praeſtant viros, ſed et reipublicae ciuilis, niſi me omnia fallunt, quam maxime intereſt florere in ea ICtos cordatos et ſapientes. Quae eruditorum ſpecies maximam afferat reipublicae vtilitatem, et anne ICtis haec concedenda praerogatiua, quod iis praeſertim ſine inſigni detrimento carere nequeat ciuitas? iam definire nolo. Sufficiat quemlibet qui perpendit, quantum faciat ad reipublicae finem rem iudiciariam eſſe bene ordinatam et iuſtitiam bene admiſtrari, conceſſurum, egregie falli eos, qui ICtorum, qui ſui officii partes implent, in republica neceſſitatem in dubium vocant.

G. M. T. id eſt *Georg. Mich.* THILO Diſc. *de neceſſitate ICti ad Hypoliti a Lapide praefationem libri cui titulum fecit de ratione ſtatus.* Argent. 1751. 12.

Henr. Erneſt. KESTNERI Or. *quod nulla reſpublica absque Doctore iuris ſubſiſtere poſſit.* Rint. 1715.

Boetius EPO Oratio: *de romanae perfectaeque iurisprudentiae fructibus genuinis.* Duaci 1564. 12.

Sam. Frid. WEITZMANN Medit. *de felicitate reipublicae ſapientibus ICtis ornatae* 1739. 4.

Herm. Henr. ENGELBRECHT Praef. *de eo quod intereſt imperantis vt in academiis collegia ICtorum floreant;* praemiſſa conſultationibus ICtorum Academiae Gryphiswaldenſis.

TIT. III.

DE SECTIS INTER ICTOS.

§. 39.

Quae in orbe litterato inter ſuos conciues non vltimum occupat locum, ICtorum natio, cum aliis et in eo conuenit, quod et hanc nationem fere ſemper turbauerit et adhuc turbet ſectarum ſtudium. Agendum itaque hic paucis de ICtorum ſectis, aſt ita, vt nec origo earum inueſtigetur, nec quomodo per ſectas ipſa iurisprudentia turbata ſit, eiusque incrementis obex poſitus, oſtendatur; quippe quae ſibi merito vindicat hiſtoria iurisprudentiae: ſed ita potius vt non niſi generalia quaedam, de hoc malo orbis litterati iuridici neceſſario, hic praemittantur.

§. 40.

Prout non omnes diſſenſiones eruditorum, indeque ortae controuerſiae, erumpunt in ſectas: ita et idem valet de ICtorum diſſenſionibus et diſputationibus. Tum enim demum ex eruditorum, et ſpeciatim ICtorum, diſſenſionibus, ſectarum ſemine, naſcuntur ſectae, ſi, orto inter ICtos diſſenſu, non tam hanc vel illam ſpecialem doctrinam, quam potius vniuerſae iurisprudentiae ſeu partis cuiusdam principia et oeconomiam concernente, contingit, multos, non infimi ſubſellii, ICtos, ſtare ab vna, aliosque ab altera parte; licet alii ſint medii ſeu neutrarum partium ICti.

§. 41

§. 41.

Quae cum ita ſint facile patet, ICtorum diuerſas quaſi familias inde ortas, quod hi vel illi ICtorum, huius vel illius iuris, ratione originis diuerſi, ſtudio tantum ſe conſecrauerint, vel huius ſeu illius, ratione obiecti eius, diuerſae partis iurisprudentiae amore capti, eam prae reliquis excoluerint et in deliciis habuerint, ad ſectas ICtorum referri non poſſe. Male itaque ſectis annumerantur, quae olim floruerunt diuerſae quaſi ICtorum familiae *Legiſtarum* et *Decretiſtarum*, et hodie diuerſas ſectas ICtorum conſtituere ſic dictos *Ciuiliſtas*, *Canoniſtas*, *Criminaliſtas*, *Feudiſtas*, *Publiciſtas &c.* dici nequit. Idem etiam valet de ea ICtorum differentia, quod alii ſint *Theoretici*, alii *Practici*, ſiue ex differentia occupationum, ſiue ex differentia partium iurisprudentiae in quibus excellent, deducatur haec ICtorum diuiſio.

§. 42.

Sunt itaque potius ad ſectas ICtorum, easque illuſtriores, referendae *Sabinianorum* et *Proculeianorum*; *Bulgarianorum* et *Goſianorum*; *Realiſtarum* et *Humaſtarum*; *Naturaliſtarum*, ſeu ſi mauis *Haereticorum* et *Orthodoxorum*; *Methodiſtarum* ſeu *Syſtematicorum* et quos dicere liceat *Textualium*; *Latiniſtarum*, ſpeciatim *Romaniſtarum*, et *Germaniſtarum*, ſectae, de quibus ſingulis ſuo loco in hiſtoria iurisprudentiae agendum.

Io. Iul. SVRLAND Pr. *de ICtis haereticis.* Marb. 1749.
Dicatur de ſecta compendiariorum et perfectioniſtarum, quam ſibi fingit IENICHEN in orat. *de ſecta compendiariorum et perfectioniſtarum iurisprudentiae perquam fatali.* Gieſſae. 1750.

§. 43.

Quae ſunt in genere ſectarum inter eruditos cauſae, ſunt etiam ſectarum inter ICtos cauſae. Hinc

nouandi et per nouationes inclarescendi pruritus, auctoritatis praeiudicium, lucri bonus odor ex re qualibet &c. sunt sectarum inter ICtos causae generales; licet et veritatis amori nonunquam sectas originem debere, negari nequeat. Ex quibus causis specialibus vero, haec vel illa ICtorum secta orta, in historia iurisprudentiae inuestigandum.

Io. Christ. DRESLER Epist. *de varia illustriorum sectarum inter modernos ICtos causa et indole.* Lips. 1724.

Christ. Lud. SCHEIDIVS Diss. *de optuma inter dissentientes ICtos secta.* Goett. 1738.

TIT. IV.

DE ICTORVM RESPONSIS

§. 44

Iurisconsulti artem suam, vt alii eruditi, colunt viua voce docendo et scribendo. Exercent vero eam potissimum *respondendo de iure*, id est, quid in casu dato iuris sit, declarando. Quum vero culturae quae fit docendo et scribendo, iurisprudentia debeat sua fata, de hac ICtorum occupatione in ipsa historia iurisprudentiae agendum, indeque hoc loco tantum de eorum responsis scitu necessaria sunt proponenda.

§. 45.

Respondendo de iure ICtos artem suam exercere, est antiquissimus mos, ortus cum ipsis ICtis. Interim tamen non semper responsorum ICtorum eadem fuit conditio, indeque distincte et sigillatim agendum de *ICtorum romanorum responsis*, tam sub *libera republica*, quam sub *Imperatoribus*, et de *reliquorum ICtorum responsis*.

§. 46.

§. 46.

Apud I. *Romanos* et quidem ſub *libera republica* reſpondebant omnes de iure qui habebant fiduciam ſui, quibuscunque conſultoribus, ſiue partibus, ſiue oratoribus, ſiue ipſis iudicibus de ſententia ferenda ambigentibus. Liberum vero erat iudicibus ICti opinionem ſequi et non ſequi, nec neceſſitate ſequendi eorum effata conſtringebantur. Hinc POMPONIVS in *l.* 2. §. 47. *ff. de O. I.* ait: *Maſurius Sabinus in equeſtri ordine fuit et publice primus ſcripſit. Poſteaquam hoc coepit beneficium dari a Tiberio Caeſare: hoc tamen illi conceſſum erat. Et, vt obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publici reſpondendi ius non a Principibus dabatur, ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant conſulentibus reſpondebant: neque reſponſa vtique ſignata dabant: ſed plerumque iudicibus ipſi ſcribebant; aut teſtabantur qui illos conſulebant.*

§. 47.

Sub *Imperatoribus* iam AVGVSTVM aliquid immutaſſe quoad ICtorum reſponſa certiſſimum quidem eſt; aſt, quid mutatum ſit? et quamdiu durauerit haec mutatio? non ſatis liquet. Sunt enim POMPONII verba l. c. obuia, quae huc pertinent, obſcura. Ita autem ille pergit. *Primum diuus Auguſtus, vt maior iuris auctoritas haberetur, conſtituit, vt ex auctoritate eius reſponderent: et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit. Et ideo optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri praetorii peterent vt ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, ſed praeſtari ſolere: et ideo ſi quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe; populo ad reſpondendum ſe praepararet. Ergo Sabino conceſſum eſt a Tiberio Caeſare vt populo reſponderet.* Interim maxime probabile eſt, AVGVSTVM quidem promiſcuam de iure reſpondendi facultatem plane ſuſtuliſſe, aſt tamen certis ICtis de

iure reſpondendi facultatem ita indulſiſſe, vt eorum reſponſa eſſent inſtar legis a quibus iudici recedere non licuit, ſicque reliqui adhuc libere, vt ſtante republica, reſpondebant de iure. Quae cum ita ſint, diſtinguendum eſt inter reſponſa ICtorum *publica* et *priuata*, prout vel ab iis ICtis data quibus AVGVSTVS publicam de iure reſpondendi facultatem conceſſerat, vel ab aliis. Quamdiu vero durauerit haec diuerſitas? Quid a TIBERIO conceſſum SABINO quem primum publice *ſcripſiſſe* dicit POMPONIVS l. c. et ſub HADRIANO viris Praetoriis petentibus, vt ſibi liceret reſpondere, denegatum? nondum ſatis expeditum eſt. Interim certum eſt, huc plane non pertinere, nec de reſponſis ICtorum loqui, VALENTINIANEAM conſtitutionem in *l. vn. C. Th. de reſponſis Prudentum* obuiam.

§. 48.

Sufficiant haec de ipſa de iure reſpondendi facultate veterum ICtorum Romanorum et autoritate reſponſorum prudentum. Quod attinet modum reſpondendi de iure, hic aliter ſe habebat quoad *reſponſa ſub libera republica*, cum quibus in omnibus conueniunt reſponſa priuata ſub Imperatoribus, aliter quoad *reſponſa publica ſub Imperatoribus*. De poſterioribus plura dabit ſequens ſegmentum, et de prioris generis reſponſis tantum accipienda ſunt, quae de iis hinc inde narrat CICERO. Haec data ſunt ab ICtis, vel domi in ſolio ſedentibus, vel transuerſo ambulantibus in foro. Haec dabantur variis de rebus, non ſolum vt de iure ciuili ad conſultores referretur, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique officio aut negotio. Eos ICtos qui priuata auctoritate reſpondebant, accedebant conſultores ſolenni ritu quaerentes: LICET CONSVLERE? Hi modeſte reſpon-

respondebant: CONSVLE, et causa a consultore prolata respondebant: SECVNDVM EA QVAE PROPONVNTVR EXISTIMO, PLACET, PVTO. Rotunda miscent quadratis, qui hic inter publica et priuata responsa non distinguunt.

Io. Christ. BALSERI Comment. *de responsis prudentum ad §. 8. I. de I. N. G. et C.* Giessae 1742. 4.

Henr. Frid. EGGERS Epist. grat. *de ritu veterum Romanorum ICtos variis de rebus consulendi.* Jenae 1748. 4.

Georg. Christ. GEBAVERI *Excursus ad librum primum Institutionum Iustinianearum. Excursus* 1. *ad Cap. VIII. I. de iur. nat. gent. et civ.* in EIVS Ordine Institutionum Iustinianearum. Goett. 1752. 8.

Andr. OCKEL *ICtus rationalis, siue de rationibus decidendi veterum ICtorum Romanorum.* Halae 1702. 8.

§. 49.

Progredior II. ad reliquorum ICtorum responsa (§. 45.). Huc vero referri nequeunt 1) sic dicta *consilia et responsa prudentum Germaniae*, tam veterum Sachibaronum (§. 36.) quam Scabinorum medii aeui, quippe qui ad ICtos veri nominis referri nequeunt, sicque nec eorum responsa et consilia verae species responsorum ICtorum sunt, quae successerunt in locum priorum. Nec 2) proprie huc referri possunt sic dicta *responsa ecclesiastica episcoporum ecclesiae christianae, praesertim ecclesiae Romanae*, quum nec semper de iure consulti Episcopi, nec fuerunt artem professi ICti. Potiori iure itaque *ICtorum recentioris aeui responsa ab iis a Sec. XII. inde data et petita*, huc pertinent. Haec responsa sunt verae species responsorum ICtorum et vel publica auctoritate concipiuntur a collegiis ICtorum ad respondendum de iure constitutis, veluti Scabinati-

bus hodiernis et Facultatibus iuridicis, vel priuati Doctores eorum auctores ſunt. Differunt tamen haec reſponſa a reſponſis veterum ICtorum Romanorum quam maxime, quoad facultatem de iure reſpondendi, reſponſorum auctoritatem, et modum reſpondendi, ſuntque praeſertim inde, quod ICtis a Sec. XII. occaſione reſponſorum eccleſiaſticorum placuerit ea multis rationibus dubitandi et decidendi, nec non allegationibus interpretum, firmare, nata prolixiſſima ICtorum a Sec. XII. vsque ad noſtrum Seculum, reſponſa, conſultationes et deciſiones. Mos ab academiis petendi reſponſa vero in Italia primum viſus eſt, et poſtmodum Germaniae itidem probatus circa finem Sec. XV, quo tempore reſponſa prudentum Germaniae medii aeui peti deſierunt, cum ICti academici germanici ad morem Italorum rationes ex iure adderent. Ab initio vero ipſi ICti germani lingua latina, vt Itali, plerumque vtebantur in ſuis reſponſis, donec demum Sec. XVI lingua germanica vti coeperunt.

Chriſt. Gottl. BVDER Pr. *de conſiliis et reſponſis prudentum Germaniae medii aeui.* Ienae 1749.

Io. Petr. de LVDEWIG Praef. *von rechtlichen Gutachten in Römiſchen und Teutſchen Reich*, quae Tom. I. Conſ. Hallenſ. ICtorum praemiſſa.

Iuſt. Henn. BOEHMER Praef. *de more ICtorum antiquo et recentiori de iure reſpondendi et reſponſorum collectionibus*, quae ornat frontem Tom. I. EIVS Conſult. et Deciſion. iuris.

Henr. Chriſt. L. B. de SENCKENBERG *quando reſponſa ſententiaeque facultatum lingua germanica primum condi coeperint.* In Medit. de vniuerſo iure et hiſtoria. Faſc. II. Med. 2.

TIT.

TIT. V.

DE

ICTORVM SCHOLIS, COLLEGIIS ET SOCIETATIBVS LITTERARIIS.

Nic. REVSNERI Or. *de academiis et scholis praesertim ICtorum.* Vid. EIVS Orationes Ienae 1595 iunctim editas Vol. 2. Orat. 14 p. 160.

§. 50.

Differunt inter se ICtorum scholae, collegia et societates litterariae stricte sic dictae, in eo, quod *ICtorum scholae* seu *scholae iuridicae* destinatae sint culturae iurisprudentiae, quatenus fit docendo discendoque iurisprudentiam; *collegia ICtorum* ad respondendum de iure publica auctoritate sint constituta; *societatum litterariarum iuridicarum* finis vero sit cultura iurisprudentiae per noua inuenta. Dicam nunc de singulis, quae huc pertinent, hic tradendo; reliqua dabit historia iurisprudentiae.

§. 51.

Quoad I. *scholas iuridicas* distingendum est inter scholas iuridicas *academiis antiquiores* et scholas iuridicas *in academiis* seu *studiis generalibus*, in quibus et ICti docent, constitutas. Scholae iuridicae academiis antiquiores ante natum Christum non fuerunt, quum priuata institutio ICtorum sub libera republica apud Romanos, pro scholarum iuridicarum initio, haberi nequeat. Fuerunt itaque primae scholae iuridicae publicae quae *Romae*, *Beryti* et *Constantinopoli*, demum post natum Christum, ortae sunt, et solae apud Romanos manserunt postquam IVSTINIANVS alibi, veluti *Alexandriae* et *Caesariae*, iura explicari interdixit.

Scholae ICtorum in Academiis constitutae vero sunt a Sec. XII in academiis Europae successiue enatae scholae iuridicae, quatenus nimirum hae academiae, vel statim ab initio, vel expost, facultatibus iuridicis instructae.

Gottfr. Leonh. BAVDIS Pr. inuit. ad audiendam Orat. auspicalem: *de scholarum publicarum Romani iuris ante et post Iustinianum habitu et indole*, in quo, *de scholis iuridicis apud veteres*, actum. Lips. 1734. 4.

Io. STRAVCHII *Berytus* seu *ad. Tit. Cod. de metropoli Beryto dissertatio publica, recitata in illustris Salanae superiori anno habita panegyri Doctorali. Nunc vberius et auctius edita.* Brunsw. 1661. 4.

Iac. HASAEVS *de Berytensi ICtorum academia*, in Fasciculo V. librorum rariorum Halae 1716. 8.

Georg. Tob. SCHWENDENDÖRFFER Pr. *de vrbe Roma communi et praecipua legum schola.* Lips. 1668.

Franc. Car. CONRADI Or. *de scholae iuris ciuilis Romanae fatis*, quae EISENHARTI historiae iuris litterariae annexa.

§. 52.

Quod attinet porro II. *ICtorum collegia*, nec *Oracula*, nec *Pontificum collegium*, huc referri possunt. Primum itaque de quo, ast saltem probabiliter, constat, quod exstiterit, collegium ICtorum, fuit 1) *collegium eorum ICtorum quibus ab* AVGVSTO *data est publica de iure respondendi facultas* (§. 47). Sum enim, cum LVDEWIGIO aliisque, in ea haeresi, ICtos tempore AVGVSTI ad respondendum de iure constitutos formasse collegium quoddam, nec singulos sigillatim de iure respondisse. Horum itaque publica auctoritate collegialiter concepta et signata responsa publica plane diuersa erant a responsis ICtorum priuatis de quibus §. 48. actum.

§. 53.

§. 53.

Licet porro dubio careat, 2) *hodierna collegia Scabinorum*, quaeque vix umbram priſtinorum ſcabinatuum ſeruarunt, ad collegia ICtorum referri poſſe: idem tamen de *antiquis illis ſcabinatibus* ſeu *ſcabinagiis*, vulgo *Oberhöfe* etiam dictis, defendi nequit. Erant enim olim haec collegia conſeſſus virorum honeſtorum et morum germanicorum peritorum, qui praeterea quod eſſent iudicium ordinarium, ob inſignem acquiſitam famam ab exteris conſuli et de iure reſpondere ſolebant. Quum itaque hi antiqui ſcabini, licet morum germanicorum periti, eruditorum claſſi adſcribi nequeant, nec eorum collegia, ICtorum collegia, dici poſſunt.

Chriſt. Frid. HARPRECHT Diſſ. *de curiis ſuperioribus in Germania von den Oberhöfen in Teutſchland.* Tub. 1732. *Sam. Frid.* BOEHMER Praef. *de conſultationibus et prouocationibus quibus maiores noſtri in Germaniae curiis ſuperioribus denen Oberhöfen ſeſe manciparunt*, *ſententiasque ab his velut oraculis petierunt*, quae praefixa Tom. 3. P. 2. *Conſult. et Deciſionum iuris* IVST. HENN. BOEHMERI.

§. 54.

Superſunt ſatis nota collegia iuridica, quae ſub nomine 3) *Facultatum iuridicarum* ſeu *ICtorum* vel *Iuriſtarum*, in Academiis ſeu Vniuerſitatibus adhuc hodie florent. Quum per facultatum iuridicarum ortum iurisprudentia magna ceperit incrementa, nec tantum eo fine haec collegia ſint conſtituta vt de iure reſpondeant, ſed et praeterea per ea iurisprudentiae cultura inſigniter promouetur, quae de origine Facultatum iuridicarum dicenda reſeruo hiſtoriae iurisprudentiae, et hoc loco tantum quaedam monenda ſunt, quae earum internam conſtitutionem concernunt. Quod itaque eam attinet,

net, Facultates iuridicae in eo quidem conueniunt cum reliquis Facultatibus, quod vnus ex membris earum *Decani* officio fungatur; in eo vero differunt, quod praeter Decanum facultatis iuridicae, in Germaniae facultatibus iuridicis, licet non omnibus, *Ordinarii* obueniant, quorum officium a Decanorum officio plane diuersum, quodque, licet regulariter academiae tantum vna Facultate iuridica vniuersali ad vtrumque ius directa gaudeant, dentur tamen academiae, vel *duabus Facultatibus iuridicis*, altera *iuris canonici* seu *pontificii*, altera *iuris ciuilis* seu *Caesarei*, quarum quaeque suum habet Decanum, vel *vna tantum particulari*, veluti iuris pontificii, instructae.

Sigism FINCHELTHAVS Or. *de collegiorum iuridicorum origine et auctoritate*, *officio atque vtilitate*, a. 1636 Lipsiae recitata, EIVS Tr. de iure patronatus adiecta.

Io. Georg. ESTOR *Einladungsschrift zu seinen Wintervorlesungen*, *nebst einer Nachricht von der ehmaligen Einrichtung der Iuristen Facultäten*, *dem Vrsprung und Amt eines Ordinarius.* Marb. 1742.

Geschichte der Iuristen Facultät in der Vniuersität zu Rostock, *aus denen bisherigen Sammlungen derer gelehrten Rostockischen Sachen für gute Freunde und andere Quellen.* Rost. 1745. 8.

Erste Fortsetzung der Geschichte der Iuristen Facultät in der Vniuersität zu Rostock. Rost. 1746. 8.

Paul. Wilh. SCHMIDT Praef. *in qua memorabilia quaedam collegiorum iuridicorum Ienensium exposita*, quae ENGAVII *Dec. et Resp.* praemissa.

Christ. Frid. Imm. SCHORCH Praef. *de facultatis iuridicae Erfordiensis ortu*, *constitutione*, *fatis aliisque ad eam pertinentibus rebus*, quae ornat frontem *Collectionis inclytae facultatis iuridicae Erfordiensis responsorum et sententiarum selectiorum* ab eo editae.

Angeli GAGGI *Collegii Bononiensis DD. Pontificii*, *et Caesarii iuris origo et dotes.* Romae 1710.

§. 55.

§. 55.

Ab his hactenus recensitis ICtorum collegiis III *societates litterariae iuridicae* distinguendae, si modo adessent societates litterariae quae hoc nomen merentur. Huc enim referre velle, si duo pluresue libros communi studio scribunt, non satis concinnum. Quae Lipsiae, sub nomine: *Die hochteutsche Rechtsgelehrte Societaet*, et directione IO. HENR. ROTHERI, innotuit societas, fuisset quidem talis, si modo exstitisset. Exitu etiam caruit IO. PETRI de LVDEWIG consilium Halae erigendi academiam scientiarum, in eaque classem iuridicam adornandi. Idem fatum experta est societas illa, quae a 1755. a quibusdam celsissimae camerae imperialis membris proposita eo fine, vt per eam rei iudiciariae et processus huius iudicii cultura promoueatur. *Academia iuris publici Hanouiensis* (*Hanauische Staats und Cantzelei Academie*) a IO. IAC. MOSERO 1750 erecta, mox iterum interiit, praetereaque potius scholis iuridicis accensenda. Societas Pomeranica sub nomine: *collectorum historiae et iuris patrii*, Griphiswaldiae 1742 ab AVG de BALTHASAR et IO. FRID. de BOLTENSTERN fundata, floruit quidem adhuc 1743, ast ab eo tempore exstincta est.

Veranstaltung wegen einer bey der Vniuersitaet zu Halle zu errichtenden Societaet der Wissenschaften, in LVDEWIGS gelehrten Anzeigen P. I. p. 40.

B.C. H. N. S. *Ohnziehlsetzlicher Vortrag eine gelehrte Privatgesellschaft zur Erläuterung, Verbesserung und Erleichterung des Kaiserlichen Reichs Cammergerichts Iustitzwesens und processus einzurichten.* 1755. 4.

Io. Iac. MOSERS *Entwurf einer Staats- und Cantzlei Academie, oder nähere Anleitung und Zubereitung iunger von Vniuersitaeten und Reisen kommender Prinzen, Grafen und andere Personen zu der europäischen, besonders der*

Teut-

Teutschen Staats-Klugheit, zu den ietztüblichen Völkerrecht in Friedens-und Kriegs Zeiten, zu den neuesten Europäischen, besonders denen teutschen, Comitial-Iudicial und extraiudicialen Staats-Angelegenheiten und Streitigkeiten, zu allen Arten von Staats-und Cantzelei Aufsätzen und zu der in einem wohlgeordneten Cantzelei-Collegio, auch bey Congressen, Conferentien u. s. w. üblichen Handels-Weise.

Maasregeln der Pommerschen Geselschaft, welche unter den Nahmen der collectorum historiae et iuris patrii zu Greifswalde im Iahr 1742 *errichtet, vnd am* 1 *Oct. desselben Iahres eröfnet worden.* 4. Vid. das Greifswaldische Wochenblatt de h. a. num. 2. art 2.

Verzeichnis der iährlichen Bemühung der vnter den Nahmen der collectorum historiae et iuris patrii alhier blühenden Geselschaft. Greifswald 1745. 4.

§. 56.

Caeterum non possum non adhuc, tanquam valde singulare, de Gymnasio Patauino annotare, illud constare duabus vniuersitatibus, quarum vtraque aliquando suum habuit Rectorem. Altera vocatur *vniversitas Iuristarum*, eiusque Rector appellatur Rector Iuristarum, ipsos Archi-Episcopos et Episcopos praecedens. Altera *Vniuersitas Artistarum* dicitur, ad quam Philosophi, Medici et Theologi referuntur.

De constitutionibus et immunitatibus almae vniuersitatis Iuristarum Gymnasii Patauini Libri quatuor. Ex Illustr. Senatus Veneti auctoritate denuo correcti et emendati. Pataueii 1564. 4.

Instituta et priuilegia ab Excell. Senatu Veneto Almae vniversitati DD. Iuristarum Patauini Archigymnasii concessa, in libros quinque digesta quorum vltimus postremo adiunctus. Editio Sexta. Pataueii. Typis Io. Bapt. Pasquati Impr. Vniuersit. 1645. 4.

Statuta

Statuta et priuilegia iuridicae Facultatis in Vniuersitate Patauina, aucta et commodiori ordine digesta die 30 *Ian.* 1718. Patauii 1718. 4.

Dicatur de PASQVATI *historia Academiae Iuristarum Patauinae*, quam allegant alii.

TIT. VI.
DE
GRADIBVS ACADEMICIS IN IVRE ET ICTORVM MVNERE ANTECESSORIO.

§. 57.

Nec de origine graduum academicorum in genere, nec in specie de eorum origine in iure, hic agendum; quum prior tractatio huius loci non sit, et, quod in specie graduum academicorum in iure originem attinet, demum in historia iurisprudentiae inuestigandum, quo tempore et qua occasione sint introducti. Hic itaque non nisi hoc quoad originem graduum academicorum in iure notandum, IVSTINIANI diuisionem cupidae legum iuuentutis secundum annos doctrinae in *Dupondios* seu *Iustinianeos nouos*, *Edictales*, *Papinianistas*, *Lytas* et *Prolytas*, infra suo loco explicandam, huc non pertinere.

§. 58.

Equitis legum, (*Ritter der Rechte*) titulum quod attinet, is itidem non denotat gradum quendam academicum in iure: sed potius ex comparatione militiae sagatae et togatae, magnaque quae est inter equites, et eos qui gradibus academicis in iure ornati sunt, similitudine, factum hos equites legum appellatos esse. Prout etiam qui apud Anglos introducti sunt honores in iure anglico *Barristarii* (*Barrister at Lavv*) ac *Seruientis ad legem* (*Ser-*

(*Sergeant at Lavv*) non nisi ad exemplum graduum academicorum in iure excogitati sunt.

Georg. Henr. AYRERI Commentatio *de Equitibus legum.* Goett. 1748. Vid. EIVS Opusc. Sylloge noua n. IV.

§. 59.

Sunt potius veri nominis gradus academici in iure, postquam *Magistri legum* titulus in vsu esse desiit, tres noti academici gradus *Baccalaureatus*, *Licentia* et *Doctoratus iuris*, quatenus Doctoratus dignitatem quandam, non nudum docendi munus, significat, et loco tituli Magistri et quoad ICtos substitutus. Distincti vero ab initio fuerunt gradus academici in iure Caesareo seu ciuili et in iure Pontificio, postquam hi gradus, olim soli iuri Ciuili proprii, cum Decreti studiosis communicati. Hinc olim alii iuris *Caesarii* seu *Ciuilis*, alii *Pontificii* seu *canonici* iuris Baccalaurei, Licentiati et Doctores fuerunt, et hi gradus separatim collati, ita vt e. g. Licentiatus iuris ciuilis, non simul Licentiatus iuris pontificii fuerit, licet vni vterque gradus separatim conferri potuerit. Ast postea illis separatis promotionibus a Sec. XVI fere sublatis, iuris vtriusque creari solent Baccalaurei, Licentiati et Doctores, immo hodie gradus Baccalaurei in iure fere in vsu esse desiit. Caeterum omnino, et hodie adhuc, in promotionibus iuridicis, tam apud pontificios, quam protestantes, et ipsos reformatos in Belgio, sub *vtriusque iuris* nomine ius ciuile et canonicum intelligitur, et tantum iuris vtriusque, non triplicis aut quadruplicis iuris, Doctores creantur. Vnde, quod habemus in nostra academia exemplum, Doctoris triplicis iuris, *Romani* nimirum *Canonici* et *Germanici*, ita a LVDEWIGIO promoti, et candidati qui sub THOMASII praesidio disputauit *pro licentia*

summos

summos in iure DIVINO *et* HVMANO *honores capescendi*, in suo genere vnicum esse, certo mihi persuasum habeo.

Gothof. Lud. MENCKEN Pr. *de origine tituli I. V. D.* Viteb. 1717. 4.

Paul. VOETIVS *de more promouendi Doctores vtriusque iuris*, quae tractatio facit Caput VI. libelli ab eo editi: *de vsu iuris civ. et canon. in Belgio vnito.*

§. 60.

Quum Doctores in genere vel *bullati*, vel *academici* sint, prout vel a Comitibus Palatinis diplomatis seu bullae interuentu, vel in Academiis insignia Doctoralia consequuntur: ita et Doctores iuris vel *bullati*, vel *academici* sunt. Quod praeterea et ii qui gradibus academicis in iure ornati, in aliis facultatibus superioribus ad supremos academicos honores adscendere possint, sicque non desint exempla ICtorum duarum vel trium facultatum superiorum Doctorum, vix opus est vt moneam. Caeterum reliqua de gradibus academicis in iure dicenda, praesertim quod attinet *priuilegia* et *praerogatiuas* Doctorum iuris, remitto ad doctrinam de conditione ICtorum quoad statum externum, de qua infra.

Vlr. MARBACH Diss. *de doctore iuris bullato positiones* 30. Argent. 1695.

§. 61.

Cum dignitates academicae seu gradus academici differant a munere docendi, nunc etiam de ICtorum docendi munere quaedam monenda. Ortis scilicet scholis iuris Romani, orta est *Studiosorum iuris* seu *Auditorum*, *Aduocatorum* seu *togatorum ICtorum* et *Antecessorum* differentia, nuncque haec nomina in

alio ſenſu, ac olim (§. 30.), veniunt. Qui fuerint *iuris ſtudioſi*, a ſcholis in quibus ſtudent ſic dicti, per ſe patet. *Togati ICti* ſeu *Aduocati* vero erant, qui cauſas orabant et in foro legum ſcientiae, quam ſibi acquiſiuerant, faciebant periculum. Ab his differebant ii quibus munus, leges in ſcholis publicis profitendi, erat demandatum, qui *Doctores in vulgari ſenſu*, *Profeſſores*, et praeſertim *Anteceſſores* dicebantur, quae denominatio iis propria. Hi anteceſſores prouinciam iura docendi exſequebantur, tradendo elementa iuris et ipſas leges interpretando in cathedra, hisque officiis abſoluta erat prouincia iis commiſſa, et vel maxime praeter ea paratitla ſcribebant. *Iuris ſtudioſi* ſeu auditores vero praeſcriptis iis temporibus penſum ſuum abſoluebant. Ad ſpecialiora hic non deſcendo, quae dabit hiſtoria iurisprudentiae.

Car. Frid. W[illegible]LCH *ICtus anteceſſor ex variis iuris ciuilis veterumque auctorum locis deſcriptus.* Ienae 1752. 8.

§. 62.

Ab his Anteceſſoribus differunt recentiores Sec. XII. in Italia orti, et hodie in academiis et gymnaſiis docendi iura prouinciam ornantes, *Lectores* ſeu *Profeſſores iuris*, qui itidem titulo ICti Anteceſſoris ſibi placere ſolent. Licet vero ab initio iis diſtinctae et determinatae profeſſiones non fuerint aſſignatae, ſed diuerſae lecturae inter eos diſtributae, ſucceſſiue tamen in Germaniae academiis determinatae profeſſiones iuridicae ortae ſunt, veluti profeſſiones *Decretalium*, *Pandectarum*, *Codicis*, *Inſtitutionum*, *de verborum ſignificatione et regulis iuris* &c.

Car. Otto RECHENBERG Pr. *de origine et hiſtoria profeſſionis de V. S. et R. I. eiusdemque Profeſſoribus in academia Lipſienſi.* Lipſ. 1715. 4. Legi etiam poteſt in den Hall. Beiträgen zur iuriſt. gel. Hiſtorie Vol. II. P. V. p. 27 - 37.

TIT. VII.

TIT. VII.

DE ICTORVM DEABVS TVTELARIBVS, PATRONIS, EORVMQVE DIEBVS FESTIS.

§. 63.

Inter Deos Deasque artium et ſcientiarum tutelares, arti noſtrae duas praeſides dederunt diuinitatum architecti, THEMIDEM nimirum et ASTRAEAM, quae ſunt itaque ICtorum Deaè tutelares. THEMIDEM veteres finxerunt foeminam venuſtam et blandam, Coeli et Telluris filiam, coniugem IOVIS ſecundam, eique tres peperiſſe filias EVNOMIAM, DICEN et IRENEM. ASTRAEA autem virgo perhibetur, aſt moroſa et contractae ad triſtitiam frontis, eamque pro IOVIS et THEMIDIS filia habendam ipſamque *Dicen* ſeu *Iuſtitiam* eſſe, multi contendunt, aliis diſſentientibus. *Putabant* porro *antiqui*, teſte FESTO voce: *Themis*, THEMIM *Deam quae hominibus praeciperet id petere quod fas eſſet illamque id eſſe exiſtimabant quod fas eſt*, ſicque THEMIDIS partes non, vt aliorum Deorum legiferorum, in legibus ferendis, ſed applicandis, poſitas eſſe apparet. Tres filias THEMIDOS vero, nihil aliud quam tres iuſtitiae proprietates eſſe, facile patet. EVNOMIA enim bonam legum diſpoſitionem denotat: DICE iuſtitiam, ad iuſti regulam omnia diſtribuens; et IRENE pacem et concordiam iuſtitiae omnis finem. Caeterum veteres THEMIDEM ſtatua terminali, id eſt, capite tantum, ſine manibus, ſine pedibus, expreſſerunt, et tres filiae ſtatuam terminalem circumſtant in ſigno, quod aeri inciſum, ex STEPHANI PIGHII *Themide Dea* ſeu *lege diuina*, GRONOVII *Theſauro graecarum antiquitatum* Vol. IX. p. 1139 ſeqq. inſerta, exhibui in libelli huius titulo.

Gaudet porro THEMIS quatuor ſymbolis origano, pectine, enſe et lucerna, quibus ſymbolis huius Deae virtutes denotari creduntur.

Chriſt. Gotthold WILISCH Diſſ. *de numinibus ICtis olim ſacris.* Lipſ. 1720.

Chriſt. WOLLE *de Themide diua iuſtitiae praeſide e ſacra Chriſti ciuitate proſcribenda.* Lipſ. 1737. 4.

§. 64.

Mitto Gentilium Deas ICtorum tutelares, cum et patronorum eorum, e gremio ſanctorum ab iis electorum, aliqua hic mentio facienda. Inter plures ICtos in ſanctorum numerum relatos, eſt etiam Diuus IVO, ille inter plures Iuones, itidem ICtos, qui in Britanniae minoris pago Martini (Kermatin) a MCCLIII natus et poſtquam ſanctiſſimam vitam d. XIX. Maii a. MCCCIII finiuerat, a Pontifice CLEMENTE VI a. MCCCXLVII die eius ipſo emortuali XIX Maii coelitum numero ritu ſolenni adſcriptus. Hic IVO is eſt qui ICtorum Patronus inter ſanctos ICtos eſt, praeter quem ICti etiam S. CATHARINAM tanquam patronam ſuam venerantur.

Io. ROBERTVS *Elogia quinquaginta ſanctorum iurisperitorum contra populare commentum de ſolo Iuone.* Leodii 1631. 12.

Sam. HEYDEN Or. *de Iphone qui olim iurisprudentiae patronus creditus eſt.* Tub. 1595. 4.

Panegyris Diuo Iuoni ICtorum tutelari dicta a VALERIO ANDREA DESSELIO *I. V. D. Louianii a* 1622. *XIV Kal. Iunii. Accedit laudatio Eiusdem V. C. Petro Gudelino auctore. Sine loco et anno impreſſionis.* 12.

MAVROGORDATI et IVRATI Orationes binae: *de S. Catharina virgine, tutelari ICtorum praeſide.* Patav. 1660.

§. 65.

Sunt et dies feſti ICtis proprii. Huc refero 1) *feſtum* PAPINIANI, a ſic dictis Papinianiſtis olim celebratum

tum

tum, cuius meminit IVSTINIANVS in *Conſtit. ad Anteceſſores* dum inquit: *Ne autem tertii anni auditores quos Papinianiſtas vocant nomen et* FESTIVITATEM *eius amittere videantur, ipſe iterum in tertium annum per belliſſimam machinationem introductus eſt: librum enim hypothecariae ex primordiis plenum eiusdem maximi Papiniani fecimus lectione, vt et nomen ex eo habeant et Papinianiſtae vocentur et eius reminiſcentes et laetificentur et* FESTVM DIEM, QVEM CVM PRIMVM LEGES EIVS ACCIPIEBANT, CELEBRARE SOLEBANT, PERAGANT; *et maneat viri ſubli-miſſimi praefectorii Papiniani et per hoc in aeternum memoria.* Porro huc pertinet 2) *feſtum* IVONIS, quo olim ICti omnis generis d. XIV Kal. Iunii ſeu d. 19 Maii, huius ſui Patroni memoriam religione ſacrorum quotannis colere ſolebant, licet alii hoc feſtum ad d. VI. Kalend. Septembr. collocent.

Dan. PRIEZACI *Dies natalis Papiniani ex praeſcripto Iuſtiniani celebratus.* Vid. EIVS Miſcellanea. Lut. Pariſ. 1658. p. 68-100.

Chriſt. Hartm. Sam. GATZERT *de natali Papiniani ſeu ad* §. 4. *Conſtit. Iuſtin. ad Antec. Commentarius.* Goettingae 1766. 8.

PARS II.

DE SINGVLIS IVRISCONSVLTIS.

§. 66.

Ampliſſimum nunc ingredior campum, dum ſingulos ICtos recenſere ſuſcipio, quorum numerus vltra quindecim millia adſcendit, ſolis iis numeratis qui per ſcripta iuridica inclaruerunt in orbe litterato. Quum vero hic non lexicon ICtorum concinnandum (§. 18.), ſed potius ſyſtematico ordine ſinguli ICti recenſendi ſunt; non niſi eorum ICtorum mentio facienda,

cienda,

cienda, qui inter eos excellentiſſimi ſunt; niſi quod in iis ſeculis, in quibus deeſt tanta ICtorum, quorum memoria ad noſtra vsque tempora pertingit, copia, vt excellentiſſimi inter eos eligi poſſint, in fugam vacui tales ſubſtituendi, qui ad primae magnitudinis ICtos referri nequeunt.

§. 67.

Vt vero haec recenſio ſingulorum ICtorum ita fiat, prout fieri debet, ſi notitia ICtorum ſyſtematice pertractanda, in certas claſſes redigendi ſunt ICti omnis aeui In his conſtituendis inhaerendum quidem ordini chronologico, aſt tamen ſimul eo deſpiciendum, vt plane diuerſi generis ICti a ſe inuicem ſeparentur. Huic duplici fini vero optime inſeruit ICtorum diuiſio in ANTIQVOS ſeu VETERES, MEDIOS et NOVOS, ſicque ſecundum eam ſinguli ICti ſunt recenſendi.

Abhandlung: *von der Eintheilung der Rechtsgelehrten in alte, mittlere und neue* in den Hall. Beytr. zu der iuriſt. gel. Hiſtorie Vol. III. P. I. p. 29.

§. 68.

Quod porro attinet methodum docendi notitiam ICtorum quoad hanc eius partem, per ſe patet nec hic ſingulorum ICtorum ſcripta eſſe recenſenda, nec definiendum eſſe, an et quatenus huic vel illi debeat iurisprudentia ſua incrementa, vel decrementa, quippe quae partim in Notitia ſcriptorum iuridicorum, partim in Hiſtoria iurisprudentiae demum tradenda: ſed potius non niſi eo dirigendam eſſe hanc tractationem, vt conſtet de nomine, aetate et praecipuo charactere diſtinctiuo ſingulorum excellentium ICtorum. Sunt itaque vitarum eorum primae lineae ducendae, cum perpetua remiſſione ad eos ſcriptores qui pleniori penicillo depinxerunt cuiusque ICti vitam. Haec enim ſunt

ſunt quae in Notitia ICtorum, ſyſtematice, vt hic, pertractanda, de ſingulis ICtis dicenda. Reliqua, quae nimirum in deſcriptione vitae cuiuslibet ICti pertractanda ſunt, ſi ex inſtituto ICtorum vitae enarrandae, in lexico ICtorum quaerenda. (§. 18.).

SECTIO I.
DE
ICTIS VETERIBVS SEV ANTIQVIS.

Chronologiſches Verzeichnis der alten Rechtsgelehrten, in den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. III. P. XII. p. 607-725.

§. 69.

Sub *veterum* ſeu *antiquorum* ICtorum nomine comprehendo omnes eos ICtos qui ante IRNERIVM, vel etiam in Graecia poſt IRNERIVM, floruerunt. Sicque ad ICtos veteres, praeter eos ICtos qui partim ante natum *Chriſtum*, partim poſt natum *Chriſtum* Seculis I-XII. floruerunt, referri debent ii ICti qui adhuc Sec. XII. XIII. XIV. et XV, vsque dum Imperium Romanum orientale a Turcis euerſum, in Graecia vixerunt, cum eos ad ſequentia tempora referri magis turbaret ordinem, quam fit, ſi his ICtis adnumerantur.

§. 70.

ICti veteres ſunt duplicis generis, dum in eo differunt inter ſe, quod alii ſint ii qui ante ea tempora, quibus cum HERENNIO MODESTINO obmutuerunt ICtorum oracula, ſicque Romae, partim ſub libera republica, partim ſub Imperatoribus, vsque ad dimidium Sec. III. floruerunt: alii ii qui poſt haec tempora, ſicque a dimidio Sec. III. vsque ad Sec. XII, et, Graeciam quod attinet, ad Sec. XV, vixerunt. Liceat priores

res appellare ICtos ROMANOS STRICTE SIC DICTOS, VE ſic poſteriores ſub nomine RELIQVORVM VETERVM ICTORVM comprehendi poſſint.

MEMBRVM. I.

DE

ICTIS ROMANIS STRICTE SIC DICTIS.

Sexti POMPONII *liber ſingularis Enchiridii*, ex quo excerpta dedit TRIBONIANVS in *l. 2. D. de O. I.*

Commentatores ad l. 2. D. de O. I. quorum nonnullos collegit V. C. VHLIVS ſub titulo: *Opuſcula ad hiſtoriam iuris et maxime ad Pomponii Enchiridion illuſtrandum pertinentia.* Halae 1735. 4.

Index ICtorum codici Digeſtorum Florentino praemiſſus.

Scriptores hiſtoriae Iuris Romani, potiſſimum HEINECCIVS et BACHIVS.

Ant. AVGVSTINVS *de nominibus Pandectarum propriis.* Taracone 1579 et in OTONIS *Theſ iur. Rom.* Tom. I.

Bernh. RVTILII *Vitae veterum ICtorum.* Romae 1536. 8. rec. Baſ. 1537. 4. Argent. 1538. 8. iterumque Baſiliae 1555. 4.

Io. BERTRANDI Βιοι νομικῶν *ſiue de iuriſperitis* Lib. II. Toloſ. 1617. 4. Ibid. 1622. 4. Lugd. Bat. 1675. 8.

Guil. GROTII *Vitae ICtorum quorum in Pandectis exſtant nomina.* Lugd. Bat. 1690. 4.

Io. Chriſt. FRANCK *Vitae tripartitae ICtorum veterum a Bernh.* RVTILIO, *Io.* BERTRANDO *et Guil.* GROTIO *conſcriptae.* Halae 1718. 4.

Nic. HENELIVS ab HENEFELD *de veteribus ICtis e quorum legibus iuſtitiae Romanae templum exaedificatum eſt.* Lipſ. 1641. et 1654. 8. cui acceſſerunt Nic. HENELII *ICtorum veterum, quorum verba pro legibus in Pandectis leguntur, commemoratio metrica;* Caſp. CVNRADI *in veteres ICtos duodequadraginta diſticha;* Io. LORIGII *catalogus ICtorum veterum.*

Io. STRAVCHII *Vitae veterum aliquot ICtorum.* Ienae 1723. 8.

TOR-

TORTORELLI di FOGGIA *degli antichi Giureconsulti Romani.* Napoli 1736. 4.

§. 71.

Vt veteres ICti, quos ICtos romanos in ſpecie ſic dictos appello, ad quos tamen LVCIVS TITIVS, cuius frequens mentio fit in Pandectarum libris, referri non poſſet, ſi et inter Romanos vnquam vixiſſet aliquis huius nominis, ita a ſe inuicem diſtinguantur, prout a ſe inuicem in vſum hiſtoriae iurisprudentiae diſtinguendi ſunt; ii ICti romani ſtricte ſic dicti qui ante ortum ſectarum ſub AVGVSTO, ſicque potiſſimum ſub libera republica, floruerunt, a reliquis, ſub nomine ICTORVM PRIMAEVORVM ſeparandi, hique ſunt qui in Digeſtis nonnunquam appellantur ICti veteres veluti *l.* 3. §. 19. *D. de acq. vel amitt. poſſeſſ.*

Vita Lucii Titii apud ICtos celeberrimi viri ex pandectarum libris recens edita PAPIRIO MASSONIO auctore. Lugduni 1597. 8.

TIT. I.

DE ICTIS ROMANIS STRICTE SIC DICTIS PRIMAEVIS.

§. 72.

ICti primaeui hodie adhuc cogniti, nobis innotuerunt ex CICERONE, GELLIO aliisque Auctoribus qui eorum ſcripta citarunt, in Digeſtis vero pauciſſimorum fit mentio. Multorum itaque, ne nomina quidem ad nos peruenerunt, et omnes qui cogniti ſunt, ICti in ſtrictiſſimo ſenſu ſumti (§. 30.) fuerunt, cum, nondum ortis ſcholis publicis iis temporibus quibus vixerunt, Anteceſſores inter eos non obueniant (§. 61.). Ex iis vero quorum memoria ad noſtra vsque tempora pertingit, potiores ſunt qui nunc ſequuntur.

§. 73.

Prodeat itaque nunc primus, quem orbis litteratus vidit, ICtus veri nominis, omnium reliquorum dux. Fuit is I. APPIVS CLAVDIVS dictus *Coecus*, ante coecitatem autem *Crassus*, quem POMPONIVS *l. 2.* §. 36. *D. de Or. Iur.* CENTEMMANVM appellat. Distinguendus est ab APPIO CLAVDIO Decemuiro, cuius abnepos est, floruitque circa a. V. C. CCCCXL.

Henr Theod. PAGENSTECHERI Diss. philol. iurid. *de Appio Claudio Centemmano.* Duisb. 1738. Vid. EIVS Dissertationum trias. Lemg. 1739 cui num. III. inserta.

§. 74.

Hunc excipit II. TI. CORVNCANIVS a V. C. D. primus ex plebe Pontifex creatus, de quo, quod a. V. C. DIX. obierit, constat.

Lud. Aug. WÜRFFEL Comment. *de Tiberio Coruncanio, ICto Romano, diuini humanique iuris instauratore atque interprete.* Halae 1740. 4. inserta den Hall. Beitr. zu der iurist. gel. Hist. Vol. I. P. IV. p. 634-667.

§. 75.

His temporibus circa a. V. C. DL. floruerunt etiam duo fratres AELII, ex quibus sufficit vnicum tantum nominare, nempe III. SEX. AELIVM PAETVM *Catum* quem egregie cordatum hominem appellat ENNIVS; nec non pater et filius CATONES. Pater IV. M. PORCIVS CATO obiit in summa senectute a. V. C. DCV. Filius vero, itidem V. M. PORCIVS CATO dictus, turbato mortalitatis ordine ante eum a. V. C. DC. naturae debitum reddidit.

Casp. SAGITTARII *Vita M. Porcii Catonis.* Ienae 1667. 4. quae deinde subiuncta EIVS *Commentationi de vita et scriptis Liuii Andronici, Cn. Naeuii* &c. Altenburgi 1672. 8. vnde eam repetiit et suis *vitis summorum dignitate et eruditione virorum restitutis inseruit* IO. GERH. MEVSCHEN Tom. IV. p. 165-190.

§. 76.

Nunc me ad ſe vocant celeberrimi ICti ex gente MVCIA, quae iurisprudentiam pro gentilitio bono habuit, hosque hic, ne confundantur, coniungere placet. Tres eorum hic tantum nominabo, quorum princeps eſt VI. P. MVCIVS P. F. Q. N. SCAEVOLA; cuius frater patruelis erat VII. Q. MVCIVS Q. F. Q. N. SCAEVOLA, augur dictus; filius vero VIII. Q. MVCIVS P. F. P. N. SCAEVOLA. Liceat, vt facilius a ſe inuicem diſtingui poſſint, primum appellare *fundatorem iuris ciuilis*, ſecundum *augurem*, tertium MVCIVM *iuniorem*.

Franc. BALDVINI Commentarius *de iurisprudentia Mutiana.* Baſil. 1558. 8. et cum praefatione *Gundlingii.* Hal. 1729. 8.

Georgii d'ARNAVD *Vitae Scaeuolarum.* Diſſertatio poſthuma. Edidit, adiecta praefatione, obſeruationibus et indice *Henr. Ioan.* ARNTZENIVS. Trai. ad Rhenum. 8.

§. 77.

In fundando iure ciuili *P. Mucii Scaeuolae* fundatoris iuris ciuilis, collegae fuerunt IX. M. IVNIVS BRVTVS et X. M' MANILIVS. *Q. Mucii Scaeuolae* auguris auditor vero, qui nominis celebritatem tanquam ICtus conſequutus, eſt XI. P. RVTILIVS RVFVS in exilio Smyrnae mortuus. Aſt multo plures auditores *Q. Mucii iunioris* innotuerunt, quorum princeps haud dubie fuit XII. C. AQVILIVS GALLVS, qui a. V. C. DCLXIV diriſſima morte periit.

Ant. OISELII *Vita P. Rutilii* in *Meermanni* Theſauro iur. Rom. et Can. Tom. I.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita C. Aquilii Galli* Vid. EIVS vitas veterum ICtorum p. 112.

Io. Gottl HEINECCII Or. *de C. Aquilio Gallo.* Francof. ad Viadr. 1731 et in Sylloge Opuſculorum varii argumenti.

menti Exercit. XXII. p. 766-787 in cuius Praef. supplementa quaedam dedit.

§. 78.

Mitto MVCIOS eorumque cöetaneos et discipulos, quum dignior adsit qui ostia pulsat, dignissimus nimirum omnium ICtorum huius classis XIII. SER. SVLPITIVS LEMONIA RVFVS, qui egente Sulpitia erat, cuius vna ex vndecim familiis erat familia Ruforum, et Lemoniae tribui adscriptus fuit. Erat *Aquilii Galli* discipulus, et ex eius schola iterum magna ICtorum turba, tanquam ex equo Troiano, prodiit. Mortuus est a. V. C. DCCXII.

Euer. OTTO *de vita, studiis, scriptis et honoribus Seruii Sulpitii Lemonia Rufi ICtorum principis liber singularis.* Traj. ad Rhenum 1737. 8. Inseruit etiam hoc scriptum suo Thesauro Iur. Rom. Tom. V. p. 1549 seqq.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Seruii Sulpitii* in EIVS vitis veterum ICtorum p. 68.

§. 79.

Inter eos qui *Sulpitium* praeceptorem suum venerantur, prae ceteris inclaruerunt XIII. A. OFILIVS et XIV. ALFENVS VARVS, quorum itaque hic mentio facienda, licet aetatem Imperatorum iam attingant, sicque eos ad sequentis classis ICtos referendos esse, videri posset. Quum *Ofilii* auditor iterum fuerit XV. Q. AELIVS TVBERO et eum ad hanc classem referre placet.

Ev. OTTO *Alfenus Varus* Vlt. 1736. 8. Est etiam EIVS vitae Sulpitii adiectus, vt et Thesauro Iur. Rom. Tom. V. p. 1619 insertus.

Andr. Flor. RIVINI Pr. *ad l. 2. §. 46. de O. I. quaedam singularia de Tuberone ICto.* Vittemb. 1746.

§. 80.

Claudat agmen ICtorum huius classis, ex quibus paucos tantum selegi XVI. C. TREBATIVS TESTA, magni nomi-

nominis ICtus *Caesari* et *Ciceroni* familiarissimus et ab ipso *Augusto* in consilium adhibitus. Quo tempore floruerit, ex iis quae de eius amicis dicta sunt, iam patet.

Nic. Hier. GVNDLING *C. Trebatius Testa ICtus ab iniuriis veterum atque recentiorum scriptorum liberatus.* Halae 1710. et in EIVS *Exercit. acad.* P. I. n. 5. Iterata editio prodiit Lipsiae cum variis additamentis in titulo nouo expressis: *recensuit opus, praefationem de ICtis romanis illustribus absolutissimae perfectissimaeque virtutis exemplis adiecit, et singularia quaedam de Trebatio annotauit Gottl. Aug.* IENICHEN. Lips. 1736. 4.

Paul. Phil WOLFHARHT Pr. *de responso Trebatii ad quaestionem Ciceronis: Possitne heres quod furtum antea factum esset, furti recte agere.* Rint. Vid. EIVS Sched. de modis acquirendi notitiam ICtorum p. 209.

TIT. II.

DE

RELIQVIS ICTIS ROMANIS STRICTE SIC DICTIS.

§. 81.

Absoluta ICtorum Romanorum stricte sic dictorum, quos primaeuos appellaui (§. 71.), notitia, nunc et de reliquis ICtis Romanis stricte sic dictis agendum, quorum notitia adhuc maiorem spondet vtilitatem ac praecedentium, quum potissimum ex horum scriptis Digesta sint compilata.

§. 82.

Licet vero hi ICti in eo differant inter se, quod alii eorum sint *Sectatores*, quum hoc tempore sectae *Sabinianorum* et *Proculeianorum* ortae, alii uero *Erciscundi* seu *Miscelliones*; hic tamen, hac differentia non attenta, de singulis huius classis ICtis agendum, et

et quae de harum ſectarum ortu et indole dicenda ad hiſtoriam iurisprudentiae remittenda, ibique definiendum quinam ICtorum huius aeui ad hanc vel illam eorum claſſem referendi.

§. 83.

Differunt porro ICti huius temporis et in eo, quod alii fuerint in ſcholis iuridicis (§. 51.) his temporibus iam exiſtentibus, *Anteceſſores*, alii *non*. Aſt quum, licet certum ſit Anteceſſores iam exſtitiſſe, eorum memoria tamen temporum iniuria periit, haec differentia ICtorum hic attendi nequit.

§. 84

Tertia horum ICtorum differentia itaque, quae oritur ex diuerſitate temporis quo floruerunt, hic vnice attendenda eſt; ſicque ſecundum ſeriem Imperatorum ſub quibus floruerunt, ſinguli ICti huius aeui ſunt recenſendi, qui tantam nominis celebritatem ſunt conſequuti, vt hic eorum mentio facienda.

§. 85.

Duces inter ICtos nunc recenſendos ſunt I. C. ATEIVS CAPITO et II. M. ANTISTIVS LABEO, qui floruerunt ſub AVGVSTO, et priorem circa a. C. 22. mortuum eſſe conſtat. Notandum vero LABEONEM, de quo hic, non confundendum eſſe cum patre ſuo eiusdem nominis, qui floruit adhuc ſub libera republica, aſt non tantae famae, quam hic eius filius, fuit.

Chriſt. THOMASIVS Pr. *Comparatio Antiſtii Labeonis et Atteii Capitonis.* Lipſ. 1683. et inter Programmata Thomaſiana iunctim edita. Halae 1724. num. 1. p. 1-13.

Idem Pr. *Comparatio Labeonis et Trebatii.* Ibid. 1684. et inter dicta programmata num. 2. p. 13-28.

Corn. van ECK Orat. *de vita, moribus et ſtudiis Q. Antiſtii Labeonis et C. Atteii Capitonis.* Franeq. 1692.

Adiecta

Adiecta est haec oratio *Thes. nou. diss. in Acad. Belg. habitarum* Vol. 1. Tom. 2.

Paul. Phil. WOLFHARDT Pr. *de posterioribus Labeonis seu de libris aliquot Labeonis post eius diuulgatis obitum, indeque Posteriorum nomine insignitis.* Rint. 1741.. 4.

§. 86.

Inter ICtos qui sub *Tiberio* qui successit *Augusto* a. C. 13. floruerunt, notatu digni sunt III. MASVRIVS SABINVS et IV. M. COCCEIVS NERVA, sub patris nomine a sequenti eiusdem nomis filio distinguendus. Prior is est cui a *Tiberio* facultas de iure respondendi data (§. 47.).

Dan. Guil. MOLLER Diss. *de Masurio Sabino.* Altorf. 1693.

§. 87.

Sub *Caligula*, *Claudio* et *Nerone*, sicque a. C. 37. vsque ad a. 68, innotuerunt inter ICtos V. C. CASSIVS LONGINVS, *Sabini* discipulus, et VI. M. COCCEIVS NERVA praecedentis ICti huius nominis filius et pater Imperatoris *Neruae.*

Paul. Phil. WOLFHARDT Pr. *de supremis vitae diebus Cassii Longini.* Rint. Vid. EIVS Sched. de modis acquirendi notitiam ICtorum p. 201.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Cassii* Longii in EIVS vitis veterum ICtorum p. 30.

IDEM Pr. *de* M. *Cocceio Nerua* l. c. p. 104.

§. 88.

Tempora *Vespasiani*, qui a. C. 70. Imperator lectus, nobis dederunt tres celeberrimos ICtos, veluti VII. CAECILIVM SABINVM VIII. SEMPRONIVM PROCVLVM et IX. PEGASVM.

Henr. Theod. PAGENSTECHER Oratio *de Pegaso ICto ad l. 2. §. 47. de O. I. publice dicta XI Kal. Quinct. M. DCCXXVII.* Vid. EIVS Ius Pegasianum cui haec oratio adiecta.

Io.

Io. STRAVCHII Pr. *de Vita Pegasi.* Vid. EIVS vitas veterum ICtorum p. 75.

§. 89.

Progredior ad Imperatorum *Neruae* et *Traiani*, qui a. C. 99. vsque ad a. C. 117 regnarunt, tempora, quibus inter ICtos eminent X. IVVENTIVS CELSVS filius; XI. PRISCVS IAVOLENVS; et XII. NERATIVS PRISCVS. Primus inter hos a patre eiusdem nominis distinguendus, et propter celebre responsum quod *Domitio* cuidam *Labeoni* dedit *l. 27 ff. qui test. fac. poss.* notandus, cum inde insulsae quaestiones vocentur *Domitianae. Priscus Iauolenus* Caecilii Sabini discipulus fuit, eumque vltimis *Traiani* temporibus fatis concessisse probabile est. *Neratius Priscus* Imperatori *Traiano* amicissimus et familiarissimus fuit.

Io. Gottl. HEINECCIVS Pr. *de P. Iuuentio Celso ICto eximio, suique Seculi ornamento.* Franc. ad Viadr. 1727 et in Sylloge Opusc. EIUS p. 503 seqq.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Celsorum patris et filii*, in EIVS vitis veterum ICtorum p. 12.

Gottl. Aug. IENICHEN *de Prisco Iauoleno ICto incomparabili et praecipuo Seculi sui ornamento* Lips. 1734.

Hier. van ALPHEN Diss. *continens spicilegia de Iauoleno Prisco ICto et spec. obs. ad quaedam eius fragmenta in Pand.* Trai ad Rhenum. 1768.

Car. Beni ACOLVTHI Or. *de Neratio Prisco.* Ien. 1756. 4.

§. 90.

Sub *Hadriano*, *Antonino pio* et *M. Aurelio Antonino*, philosopho cognominato, cum fratre quem collegam sibi adsciuit, *L. Vero*, qui duo in digestis appellari solent *Diui Fratres*, sicque Sec. II, vixerunt XIII. VLPIVS MARCELLVS; XIV. SALVIVS IVLIANVS, conditor edicti perpetui; XV. SEX POMPONIVS primus litteratorum iuridicorum (§. 12.); XVI. CAIVS seu GAIVS magni nominis

ICtus

ICtus, XVII L. VOLVSIVS MAECIANVS, *Divi Marci* praeceptor in iure ciuili; XVIII. Q. CERVIDIVS SCAEVOLA, ex cuius ſchola *Papinianus* prodiit.

Marc. TYDEMANN *de Vlpii Marcelli vita et ſcriptis*. Trai. ad Rhenum 1762 et in Theſ. nouo Diſſ. in acad. belgicis habit. Vol. I. T. I.

Io. Theoph. SEGER *de Vlpio Marcello*. Lipſ. 1768.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Saluii Iuliani* in EIVS vitis veterum ICtorum p. 1.

Io. Gottl. HEINECCIVS Pr. *de Saluio Iuliano ICtorum ſua aetate Coryphaeo*. Halae 1733. et in EIVS Sylloge Opuſc. var. p. 788 ſeqq.

Bern. Henr. REINHOLD Or. *de Sex. Pomponio* Herb. 1710. et in Opuſculis a IVGLERO editis p. 502-648.

Henr. BROCKES Diſſ. *de Pomponio hiſtoriae romanae ignaro*. Vitteb. 1733.

IDEM Diſſ. *de Pomponio hiſtoriae litterariae ignaro* ibid. 1736.

Io Gottl. HEINECCII Praef. *de vita Pomponii*, *Vhlii* Opuſc. ad hiſt. iur. pertinentibus, praemiſſa.

Henr. Theod. PAGENSTECHER *Sexti Pomponii ICti quae in Pandectis reliqua ſunt ex libro ad Sabinum*. P. 1-4. Lemg. 1725-1733. 4.

Franc. Car. CONRADI Obſerv. *de vera Caii, inſtitutionum auctoris, aetate*. In Actis erudit. Lipſ. M. Febr. 1727.

EIVSDEM *vindiciae huius obſeruationis* in Parergis L. II. Parerg. V. p. 279.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita L. Vol. Maeciani* in EIVS vitis veterum ICtorum p. 46.

Io. WVNDERLICH *de L. Voluſio Maeciano ICto itemque ICto Voluſiano* Commentatio. Hamb. 1740. 4.

Io. Ortw. WESTENBERG Or. *Q. Ceruidius Scaevola*. Lugd. Bat. 1734. 4.

Io. Lud. CONRADI *de vita et ſcriptis Q. Ceruidii Scaeuolae ICti liber ſingularis*. Lipſ. 1754. 4.

§. 91.

Antequam ad ſequentium temporum ICtos progredi licet, hic aliqua ICTORVM SATVRNINORVM mentio facienda. Varii occurrunt ICti in corpore iuris qui SATVRNINI appellantur, diuerſae tamen aetatis, et praenominibus diuerſis a ſe inuicem diſtincti, nimirum XIX QVINTVS SATVRNINVS, XX. CLAVDIVS SATVRNINVS et XXI VENVLEIVS SATVRNINVS. Sicque omnino tres, non duo tantum, ICti SATVRNINORVM cognomine celebres, occurrunt. CLAVDIVS et QVINTVS floruerunt ſub Diuis Fratribus, VENVLEIVS vero demum ſub Alexandro.

Io. Gottl. HEINECCIVS Pr. *de variis Saturninis ICtis*. Franc. ad Viadr. 1731. 4. Collocatum eſt in *Vhlii* Opuſc. ad hiſt. iuris pertinentibus. p. 351 - 356.

Ier. Eberh. LINCK *de ICtis Saturninis*. Argent. 1730.

Hermann OOSTERDYK *ad Fragmenta quae ex Venuleii Saturnini libris de officio Proconſulis ſuperſunt*. Trai. ad Rhenum. 1755. et in Theſ. nou. Diſſ. belg. Vol. 1. T. 2.

§. 92.

Ad ICtos qui poſt Diuos fratres floruerunt, et quidem ſub *L. Septimio Seuero*, *Caracalla*, et *Alexandro Seuero*, ſicque Sec. III, pertinet, praeter XXII. CLAVDIVM TRYPHONINVM, omnium ICtorum huius aeui Princeps XXIII. AEMILIVS PAPINIANVS, natus circa a. C. 177. et a. 212 a *Caracalla* interfectus. Iungo ei XXIV. Q. SEPT. FLOR. TERTVLLIANVM ſub ICti nomine ab alio *Tertulliano*, patre eccleſiaſtico, de quo infra, diſtinguendum.

Chriſt. RAV *De Claudio Tryphonino ICto romano*. Lipſ. 1768.

Matt. WESENBECII *Papinianus*. Wittenb. 1570.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Aemilii Papiniani* in EIVS vitis veterum ICtorum p. 38.

Ev. OTTO *Papinianus*, *ſeu de vita*, *ſtudiis*, *ſcriptis*, *moribus et morte Aemilii Papiniani*, *ICtorum Coryphaei* Diatriba. Duisb. 1718. 8. et ex repetita praelectione auctior. Bremae 1743. 8

Io.

Io. LECTII Oratio *de vita et scriptis Papiniani.* Geneuae 1694 et apud *Ottonem* in Thesauro Iur. Rom. Tom. 1. p. 41 seqq.

Io. Phil SLEVOGT Pr. *de philosophia Papiniani.* Ien. 1681.

Io. Paul. KRESSII Or. *de religione iudicantium Papinianea.* Helmst. 1714.

Franc. BALDVINI *Vita Papiniani*, quae eius disputationibus de iure ciuili ex Papiniano praemissa. Heidelb. 1561. et Halae 1730. 8.

§. 93.

Reliqui quos haec tempora produxerunt celeberrimi ICti sunt, XXV DOMITIVS VLPIANVS, Papiniani aemulus; XXVI. IVLIVS PAVLVS, omnium veterum ICtorum πολυγραφωτατος; XXVII. AELIVS MARTIANVS, XXVIII. CALLISTRATVS; XXIX. FLORENTINVS; XXX. LICINIVS RVFINVS, et, qui paulo post haec tempora floruit, XXXI. HERENNIVS MODESTINVS, cum quo ICtorum oracula obmutuerunt in medio Seculo III. quique est vltimus ICtorum huius classis.

Iac. LECTIVS Or. duae *de vita Domitii Vlpiani et scriptis* 1601. in OTTONIS *Thesauro iur. Rom. Tom* 1. *p.* 51-66.

Petrus de TOVLLIEV Or. *de Vlpiano, an Christianis infenso? contra Baronium et alios* 1724 et in EIVS *collectaneis* p. 495-515.

Adr. STEGER *Domitius Vlpianus.* Lips. 1724.

Io. Gottl. HEINECCIVS Pr. *de Vlpiani ICti hebraismis.* Francof. 1730. et in EIVS *syll. Opusc. var.* num. XVIII. p. 696-703.

Christoph. WOLLII Ep. crit. *de Hebraismis Vlpiani ICti.* Lips. 1739.

Nachricht von denen zu des Vlpians Leben gehörigen Abhandlungen, welcher ADR. STEGERI *Dissertatio de Domitio Vlpiano und* WOLLII *Epistola de hebraismis Vlpiani beigefüget worden*, in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. II. P. VI. p. 199-268.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Iulii Pauli* in EIVS vitis veterum ICtorum p. 91.

Franc. Car. CONRADI Prol. acad. ſub. titulo: *Iulius Paulus ab iniuriis criticorum vindicatus.* Helmſt. 1733 et in EIVS Parergis L. IV. Parerg. II. p. 507.

Al. Arn. PAGENSTECHER *Iulius Paulus* in EIVS Sylloge Diſſ. p. 523. ſeq.

Henr. Theod. PAGENSTECHER *Gryphorum Magiſter Paulus iniuria vapulans, ſive de ſtilo* PAVLI. Wetzl. 1724. 4.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Martiani* in EIVS vitis veterum ICtorum p. 83.

Gerh. OELRICHS Diſſ. *de vita ſtudiis, honoribus et ſcriptis Aelii Marciani ICti.* Vltrai 1754.

Gottl. Aug. IENICHEN *ſingularia de Calliſtrato ICto.* Lipſ. 1742.

Henr. Io. Otto KOENIG Pr. *de Licinio Rufino ICto Romano.* Halae 1772.

Chriſt. Gottf. IASPIS Commentatiuncula *de Florentino eiusque eleganti doctrina* ad l. 3. ff. de I. et I. Chemnicii. 1753. 4.

Car. Frid. WALCH Epiſt. *de philoſophia Florentini.* Ienae 1754.

Andr. Flor. RIVINI Diſſ. *in qua Florentini iurisprudentiae teſtamentariae reliquiae in Inſtit. Imp. Iuſtiniani repertae et notis illuſtratae exponuntur.* Vitemb 1752.

Io. SCHILTERI *Herennius Modeſtinus, ſiue fragmenta libri ſingularis quam de cautelis ſcripſerat Modeſtinus commentario illuſtrata.* Argent. 1687.

Henr. BRENCKMANNI Comment. *in Herennii Modeſtini librum de Eurematicis.* Lugd. Bat 1706. 8.

Io van NISPEN Diſſ. *ad fragmenta quae in Digeſtis ex Herennii Modeſtini Pandectis ſuperſunt.* Lugd. Batau. 1752.

MEM-

MEMBRVM. II.
DE RELIQVIS ICTIS ANTIQVIS, PRAETER ICTOS ROMANOS STRICTE SIC DICTOS.

§. 94.

Licet hoc ſegmentum ſub ſe comprehendat eos ICtos antiquos ſeu veteres, qui, praeter iam recenſitos ICtos romanos ſtricte ſic dictos, adhuc Sec. III. vixerunt; nec non ICtos qui Seculis IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. vbique, et in ſpecie in Graecia adhuc Sec. XII. XIII. XIV. et XV. floruerunt (§. 71.); breuiſſimis tamen abſolui poteſt notitia horum ICtorum in his primis lineis et initiis notitiae ICtorum, quum pauci ſint ICti huius aeui quorum memoria ad noſtra vsque tempora conſeruata, quique notatu digni ſunt.

§. 95.

ICti huius aeui non ſolum pro temporum quibus floruerunt diuerſitate, ſecundum quam ordine chronologico hic recenſendi ſunt, inter ſe differunt: ſed et alia eorum datur differentia hic praemittenda. Hinc de huius aeui 1) *Canoniſtis*; 2) *Ciuiliſtis* 3) *ICtis eorum populorum qui a Sec. V. Imperii Romani occidentalis prouincias occuparunt*, generatim hic agendum, vt in ſequentibus in quolibet Seculo hi diuerſi ICti a ſe inuicem diſtingui poſſint.

§. 96.

Eſt, vt iam recte obſeruauit DOVIATIVS in *Praenotionibus canonicis Lib.* 3. *Cap.* 1. collectionum canonum, ſi ordinem et methodum ſpectas, non vnum genus. Vetuſtiſſimae enim ſimpliciter temporum ſeriem ſequutae. Deinde vero, aucto canonum numero, conducibilius eſt viſum artis aliquid adhibere, ac certa in capita, et velut claſſes, diſtributa eccleſiaſticae

disciplinae materia vniuersa, sub vnamquamque classem variorum conciliorum placita, hisque addita Pontificum et Patrum scita atque sententias, redigere. Collectionum posterioris generis auctores itaque omnino ICtis adnumerandi sunt, mihique sub CANONISTARVM, et quidem, vt a reliquis Sec. XII seqq. ortis distingui possint, PRIMAEVORVM nomine veniunt, suntque vel *graeci*, vel *latini Canonistae.*

§. 97.

Ab his Canonistis differunt ii horum temporum ICti qui, prout ICti hactenus recensiti, ius Romanum excolebant, et natione Romani erant, quos CIVILISTAS inter hos antiquos ICtos appello, et eos sub nomine CIVILISTARVM PRIMAEVORVM a Ciuilistis sequioris aetatis distinguo. Hi vero vel tales sunt, qui antequam a. DCCCCX. Ius Iustinianeum in Graecia viuere desiit, per nouum corpus iuris a BASILIO coeptum, et a filio eius LEONE consummatum (*Introd. mea in iurispr. positiuam* §. 128.) floruerunt in Imperio Romano siue occidentali, siue orientali: vel tales qui post haec tempora in Graecia, vsque ad excidium constantinopolitanum, floruerunt. Priores CIVILISTAS LATINO-ROMANOS, posteriores vero CIVILISTAS GRAECO-ROMANOS appello, et illi vel ANTEIVSTINIANEI, vel IVSTINIANEI vel POSTIVSTINIANEI ciuilistae sunt; prout vel ante, vel sub, vel post IVSTINIANVM floruernnt.

§. 98.

Superest tertia quaedam ICtorum huius aeui species, quae proprie nec *Canonistis*, nec *Ciuilistis* adnumerari potest, et mihi sub nomine ICTORVM EORVM POPVLORVM, QVI IMP. ROM. OCCIDENTALIS PROVINCIAS A SEC. V. OCCVPARVNT, veniunt, quosque etiam *ICtos barbarorum populorum* per me appellare liceat. Quum enim

enim ex hiſtoria iuris (*Intr. in iurisprud. poſitiuam* §. 121.) conſtet, in regnis ab his populis conditis ius Romanum in vſu manſiſſe, nec minus ex infra dicendis patebit ipſam ſcholam iuris romanam ſub his populis non plane exſtinctam eſſe, ſed floruiſſe etiam ſub iis; inde probabiliter colligi poteſt floruiſſe inter eos ICtos veri nominis, ſi etiam nullum exemplum ICtorum huius generis allegari poſſet.

§. 99.

Caeterum adhuc notandum inter ICtos antiquos huius claſſis a Sec. III. inde obuenire et tales qui *Chriſtiani* fuerunt, ſicque initium ICTORVM CHRISTIANORVM cadere in haec tempora. Ad ICtos Chriſtianos enim referri nequeunt illi Iudaeorum νομικοὶ qui Chriſto nomen dederunt (§. 33.): ſed potius, qui inter ICtos Romanos chriſtianam religionem profeſſi ſunt, huc referri debent. Quae quum ita ſint, NICODEMVM pro primo ICto Chriſtiano habendum eſſe, defendi nequit, ſed fuit, ſi quid video, primus Chriſtianus ICtus Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS, vulgo Presbyter dictus, de quo infra.

Io. Mich. HEINECCII Diſſertatio hiſtorica: *de Iurisconſultis Chriſtianis priorum Seculorum eorumque in eccleſiam meritis.* Halae 1713. 4.

Io. Erneſt. FLÖRCKE *Hiſtoriſche Nachricht von Kirchen-Scribenten, welche Juriſten geweſen.* Ien. 1726. 8.

TIT. I.

DE ICTIS ANTIQVIS SECVLI III PRAETER ICTOS ANTIQVOS ROMANOS STRICTE SIC DICTOS.

§. 100.

Celebrium ICtorum Seculi III, praeter eos qui ad antecedentem ICtorum claſſem pertinent, et in-

ter eos (§. 92 et 93.) iam recensiti sunt, numerus est valde exiguus; Vix operae pretium itaque esset horum ICtorum mentionem fieri, nisi deessent alii magis digni vt hunc occupent locum. Ignoramus vero huius aeui *Canonistas primaeuos* (§. 96.) hoc tempore nondum existentes, nec, quod per se patet, *ICti barbarorum populorum* (§. 98.) haec tempora attingunt. Sunt itaque omnes huius seculi ICti *Ciuilistae* et quidem *Anteiustinianei* (§. 97.)

§. 101.

Primus qui huc referri potest est I. Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS, vulgo Presbyter dictus, antiquissimus ille latinorum pater, quem EVSEBIVS *L. II. Hist. c. 2. p.* 32. appellat *legum Romanarum peritissimum virum*, eumque antequam Christianis nomen dedit caussas in foro egisse, valde probabile est. Non confundendus tamen hic TERTVLLIANVS cum ICto eiusdem nominis cuius §. 92. mentio facta. Obiit a. C. CCXX.

Io. Henr BLVMBACHII Epist. *de Senatusconsulto, Q. Septimo Florente, Presbytero et ICto, Tertullianis.* Lips. 1735. 4.

Iust. Car. WIESENHAVER *de ICto et Q. Sept. Florente Tertullianis.* Hild. 1743.

§. 102.

Porro ad ICtos huius seculi referri etiam potest II. MINVTIVS FELIX itidem scriptor ecclesiasticus, qui non multum a TERTVLLIANI *Presbyteri* aetate abfuisse videtur. Eum enim non ignobilem inter causidicos loci fuisse testatur LACTANTIVS *Lib. 5. p. 459*, et HIERONIMO *Catat. Cap.* 58. *p.* 67. vocatur insignis Romae causidicus. Sunt tamen qui eum numero ICtorum eximendum esse defendunt.

Christ.

Christ. Aug. HEVMANNI Obſerv. *qua numero ICtorum eximitur Minutius Felix* in Parergis Göttingenſibus Tom. 1. Libr. 1. p. 208.-212.

§. 103.

Quum omne trinum perfectum, his adiungo adhuc alium huius ſeculi ſcriptorem eccleſiaſticum III. TASCIVM COECILIVM CYPRIANVM. ICtum eum ante converſionem fuiſſe ex ipſius epiſtola ad DONATVM *Epiſt.* 1. *p.* 2. non obſcure colligi poteſt. Obiit a C. CCIX.

§. 104.

Caeterum inde quod, prout ex dictis patet, non plane deſint ICtorum Sec. III. paeter huius aeui ICtos Romanos, exempla, quibus adhuc alia iungi poſſent, et ex flore in quo tunc temporis adhuc ſcholae iuris Romani erant, facile colligi poteſt, multos ICtos vixiſſe hoc tempore, licet eorum memoria deleta.

TIT. II.

DE ICTIS SECVLI IV.

§. 105.

Quum conſtet initio Sec IV. CONSTANTINVM M. relicta pagana ſuperſtitione CHRISTO nomen dediſſe et ſub eo iurisprudentiam Romanam reuixiſſe, vt et tunc temporis floruiſſe iam ante ortas ſcholas iuris Romani, tam Romae, quam Beryti; vel inde colligi poteſt hoc aeuo ſtudium iurisprudentiae non ita deſertum fuiſſe, ut plane nulli vixerint in eo ICti. Interim pauci eorum noti ſunt, nec eos noſcere multum intereſt, indeque ſufficiet aliqualem eorum notitiam hic exhiberi.

§. 106.

Sunt vero omnes huius ſeculi ICti *Ciuiliſtae Latino-Romani* et quidem *Anteiuſtinianei*, quum nec *Ca-*

noniſtae, nec *ICti barbarorum populorum* in hoc ſeculo obueniant. Licet porro dubio careat ciuiliſtas huius ſeculi, partim Anteceſſorum munere in ſcholis iuris romani eſſe functos, partim non, nullus Anteceſſorum tamen allegari poteſt cuius merita in iurisprudentiam cognita ſunt. Quod enim GREGORIANVS ſeu GREGORIVS, et HERMOGENIANVS ſeu HERMOGENES Anteceſſorum munere functi ſint in vna alteraue ſcholarum iuridicarum huius aeui, probari nequit.

§. 107.

Qui tanquam huius ſec. ICti notandi et quidem inter ethnicos ſunt I. GREGORIVS; II. HERMOGENES, quos antiquos illos codices ab iis nominatos (*Introd.* §. 116.) compilaſſe conſtat; III. AVRELIVS ARCADIVS CHARISIVS; IV. IVLIVS AQVILA; V. INNOCENTIVS; VI. DOMNVS. De nemine horum enim probari poteſt quod vel Anteceſſor, vel Chriſtianus fuerit, licet de aliquibus ex iis hoc adſerant alii.

Io. STRAVCHII Pr. *de vita Hermogeniani*, in EIVS Vitis veterum ICtorum p. 22.

§. 108.

Non deſunt tamen alii inter Chriſtianos huius ſeculi, qui ad ICtos referri poſſunt, VII. IVLIVS FIRMICVS MATERNVS; VIII. AMBROSIVS.

TIT. III.

DE ICTIS SECVLI V.

§. 107.

Paullo ſereniora fata habuit ICtorum natio in Seculo V. ac quidem retro in Sec. IV et ex parte Sec. III. Sunt vero huius aeui, in quod barbararum gentium ICtorum quidem, non vero Canoniſtarum, initium incidit

incidit ICti, vel *Ciuilistae*, vel *ICti barbararum gentium.* Priores partim *Antecessores* seu Professores iuris in vna alteraue trium scholarum fuerunt, partim *alii ICti*, de quibus quod Antecessores fuerint probari nequit.

§. 110.

Inter notos *Ciuilistas* Sec. V. qui *Antecessorum munere sunt functi* occurrunt I. LEONTIVS, qui *Theodosii* II. temporibus Constantinopoli ius professus est et primus comitiuam primi ordinis meruit; II. HEROS PATRICIVS, Professor iuris in schola Berytensi; III. HEROS EVDOXIVS, eiusdem scholae Antecessor; IV. DOMNINVS, qui itidem ibidem hoc munere functus est.

§. 111.

Qui, licet *Antecessores fuisse probari nequit*, ad Ciuilistas huius aeui tamen referendi, partim ii sunt quorum opera vsus est THEODOSIVS in conficiendo Codice Theodosiano, ast quoad solum nomen tantum cogniti, nimirum V. ANTIOCHIVS; VI. MAXIMINVS; VII. MARTYRIVS; VIII. SPERANTIVS; IX. APPOLLODORVS; X. THEODORVS, XI. EPIGENIVS, XII. PROCOPIVS: partim ii, quorum scripta tantum cognita sunt XIII. AVCTOR NOTITIAE DIGNITATVM ORIENTIS ET OCCIDENTIS; XIV. AVCTOR COLLATIONIS LL. MOSAICARVM ET ROMANARVM; XV. AVCTOR CONSVLTATIONIS DE PACTIS, de quibus scriptis infra agendum.

§. 112.

Porro inter *scriptores ecclesiasticos* huius Seculi Ciuilistis adscribi possunt XVI. AVGVSTINVS; XVII. PONTIVS MEROPIVS PAVLLINVS; XVIII. SEVERVS SVLPITIVS; XIX. AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS; XX. MARIVS MERCATOR; XXI. SOCRATES; XXII. SOZOMENVS.

Iust. Henn. BOEHMER *Specimen iurisprudentiae Anteiustinianeae ex A. Augustino Hiponensi Episcopo.* Halae 1742.

§. 113.

Quod attinet *barbararum gentium ICtos*, hoc loco GOARICI, ANIANI et PAPIANI aliqua facienda eſt mentio. GOARICVS et ANIANVS ſunt Viſigothi, quorum prior breuiarium legum Romanarum ALARICI Regis Viſigothorum (*Introd. in iurispr. poſit.* §. 121.) compoſuit, ſecundus vero tanquam eius Referendarius edidit. Si itaque vni ex his debetur is honor, quod ſit in numerum ICtorum recipiendus, potius GOARICVS, quam ANIANVS, pro huius generis ICto eſſet habendus. PAPIANVM vero quod attinet, vulgo is liber, quem tanquam corpus legum Romanorum GVNDEBALDVS Rex Burgundionum compilare iuſſit, ſub nomine *Reſponſorum* PAPIANI venit (*Introd. l. c.*). Aſt probari nequit hunc librum ab auctore ſuo PAPIANO ſub nomine reſponſorum Papiani venire, ſicque hoc tempore exſtitiſſe eruditum, et in ſpecie ICtum, PAPIANVM dictum: ſed potius valde probabile eſt hunc librum de cuius auctore non conſtat, ex imperitia librariorum, cum a loco quodam reſponſorum Principis illius ICtorum Romanorum PAPINIANI (§. 93.) initium duceret, nomen PAPINIANI ſeu PAPIANI *reſponſorum* accepiſſe.

Franc. Car. CONRADI Obſeruatio *de Pſeudopapiano Burgundione*, in EIVS Parergis. Lib. 1. Par. V. p. 96. Conf. etiam Praefatio noua Parergis praefixa p. 27.

TIT. IV.

DE ICTIS SECVLI VI.

Guil. Otto REIZII *Memorabilia ex ſcholiis Baſilicorum excerpta, quae faciunt ad indagandam aetatem ICtorum maxime eorum qui ſub Imperatore Iuſtiniano magno floruerunt: noue collecta et conſectariis atque poriſmatis illuſtrata.* Vid. EIVS Theophilus. Excurſus XX. p. 1233 ſeqq.

§. 114.

§. 114.

Pleniorem notitiam ICtorum Sec. VI. qui *Ciuiliſtae Latino-Romani* fuerunt, ac quidem notitia ICtorum proxime praecedentium ſeculorum erat, debemus FLAVIO noſtro, qui occaſione compilationis Pandectarum varios ſuae aetatis ICtos laudat, partim Anteceſſores, partim alios qui cauſarum patroni fuerunt. Incidit etiam in hanc aetatem *Canoniſtarum primaeuorum* origo, qui numerum ICtorum huius aeui augent, nec defuerunt *ICti barbarorum populorum.* Sigillatim itaque nunc de Sec. VI. *Ciuiliſtis Latino-Romanis* tam *Iuſtinianeis* quam *Poſtiuſtinianeis*, vt et *Canoniſtis* huius Seculi agendum. Quod vero attinet *populorum barbarorum ICtos* huius aeui, de iis notatu digna non obueniunt.

§. 115.

Inter *Ciuiliſtas Iuſtinianeos* primum merito ſibi vindicat locum I. TRIBONIANVS, qui ſummos in aula IVSTINIANI honores conſequutus, ſummaque apud Imperatorem auctoritate et gratia floruit et a. 546 mortuus eſt. Sub eius directione ius Iuſtinianeum compilatum eſſe in vulgus notum eſt.

Io. Petr. de LVDEWIG *Vita Iuſtiniani et Theodorae Auguſtorum, nec non Triboniani.* Halae 1731. 4.

Io. Gottl. HEINECCII Praefatio, *qua Iuſtinianus, Tribonianus et corpus iuris ciuilis defenduntur*, praemiſſa corpori Iur. Civ. Romani Lipſ. 1725.

Fr. HOTMANI l'Antitribonian, cura P. LEVELET 1602. Latina verſio ſub titulo: *Antitribonianus* prodiit Hamburgi 1647.

Io. CHIFLETII *de iuris vtriusque architectis Iuſtiniano, Triboniano, Gratiano et Raymundo* Diſſ. apologetica Antwerp. 1651. 4. et in Ever. *Ottonis* Theſ. iur. Rom. Tom. I. p. 161.

Io.

Io. Andr. HELWIG *de paganiſmo Triboniani.* Gryphisw. 1728. 4.

Chriſt. Henr. FRIESLEBEN *de habitu philoſophiae Tribonianeae in Inſtitutis.* Diſſ. prima. Alt. 1732. Secunda Ibid. Eod.

Ant. SCHVLTING Or. *Culpandusne ſit Tribonianus quod ICtorum qui ſtante republica romana claruere ſcripta ſuppreſſerit, ac poſteriorum qui ſub Imperatoribus floruere reſponſa in Pandectas retulerit.* Franeq. 1695. quae etiam EIVS Iurispr. Anteiuſtinianeae adiecta.

Io. SCHWARZII Disquiſitio: *Vtrum iure culpandus ſit Tribonianus, quod in compilandis Pandectis ethnicorum hominum ſcripta compilauerit.* Lugd. Bat. 1737. 4.

I. H. B. id eſt IAC. HENR. BORNII *Animaduerſiones in* IO. SCHWARZII *diſq. acad. vtrum iure culpandus &c.* Lipſ. 1737. 4.

§. 116.

Ad *Ciuiliſtas Iuſtinianeos* pertinent porro Anteceſſores Berytenſes et Conſtantinopolitani quibus IVSTINIANVS ad ius condendum et docendum eſt vſus. Ex his praeſertim ſunt notandi II. THEOPHILVS; III. THALELAEVS; IV. IVLIANVS, Anteceſſores Conſtantinopolitani: nec non V. ANATOLIVS; VI. DOROTHEVS Anteceſſores Berytenſes. THEOPHILVM ſpeciatim quod attinet, eum eſſe illum cui paraphraſin graecam debemus, hodie extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quoad IVLIANVM vero notandum eum ab aliis Iulianis eiusdem nominis, aſt diuerſae aetatis, diſtinguendum eſſe. Antecedit eum is cuius ſupra §. 91. mentio iam facta, alius vero eum ſubſequitur de quo infra.

Io. Gotfr. SAMMET *Coniecturae de Theophili vita.* In EIVS XI. Opuſc. varii argumenti n. VIII. p. 211 ſeqq.

Io. Henr. MYLII *Vindiciarum Theophili praeparatio, qua hiſtoria ipſius et paraphraſeos exponitur.* Lipſ. 1730. Haec diſſertatio poſtea prodiit ſub titulo: *Theophilus, ſeu*

seu de graecarum iuris institutionum earundemque auctoris historia, aetate, auctoritate, fatis, dotibus, naevis liber singularis. Lugd. Bat. 1733. 4. et in REIZII Theophilo p. 1034 seqq.

§. 117.

Reliqui noti *Ciuilistae Iustinianaei* sunt causarum patroni, qui cum praecedentibus in compilandis pandectis operam suam collocarunt, inter quos praecipui sunt VII. STEPHANVS; VIII. ATHANASIVS; IX. CYRILLVS.

§. 118.

Ciuilistae *Postiustinianei* qui hoc Seculo floruerunt sunt partim tales, qui quidem scriptis clari ast nomina eorum ignorantur, quorsum pertinent X. AVCTOR BRACHILOGI LEGVM et XI. AVCTOR LEGVM GEORGICARVM IVSTINIANI II: partim tales quorum nomen cognitum est, veluti XII. IVLIANVS quidam a duobus antecedentibus IVLIANIS (§. 91. et 116.) diuersus; XIII. HEROS AMBLICHIVS; XIV. BESTES.

Henr. Christ. L. B. de SENCKENBERG Praefatio *de auctore brachilogi legum*, suae huius libri editioni de a. 1743. praemissa.

§. 119.

Sufficiant haec de Ciuilistis Seculi VI. vnde nunc ad Canonistas primaeuos (§. 97.), quorum ortus in haec tempora incidit, progredior ad eosque in hoc seculo referri posse I. IOANNEM SCHOLASTICVM; II. DIONYSIVM EXIGVVM; III. MARTINVM; IV. FVLGENTIVM FERRANDVM aliosque non dubito. Primus IOANNES qui inter quatuor Patriarchas Constantinopolitanos, qui sub IVSTINIANO vixerunt postremus fuit, *scholasticus* appellatus est, quoniam ex schola seu ordine Advocatorum ad ecclesiasticum ordinem transiit. Secundus, DIONYSIVS nempe, a parua statura *exiguus* dictus,

doctri-

doctrina et ingenio magnus, fuit monachus et abbas deinde, moribus et domicilio Romanus, et tempore IVSTINIANI floruit. Tertius MARTINVS Episcopus Baracensis, et quartus FVLGENTIVS FERRANDVS ecclesiae Carthaginensis in Africa Diaconus fuit.

TIT. V.

DE

ICTIS SEC. VII. VIII. IX. X. XI. ET ICTIS GRAECO-ROMANIS POSTERIORVM TEMPORVM.

§. 120.

Supersunt inter veteres ICtos Sec. VII. VIII. IX. X. et XI. ICti, nec non ICti graeco-romani posteriorum temporum (§. 95.), de quibus quaedam addenda, sigillatim de huius aeui *Ciuilistis Latino-Romanis*; *Canonistis* et *ICtis graeco-romanis posteriorum temporum* agendo.

§. 121.

Quod itaque attinet *Ciuilistas Latino-Romanos Seculorum VII-XI*, his temporibus in *oriente* ICtos huius generis vsque ad Sec. X. interque eos Antecessores, floruisse, dubio caret. An vero, quod *occidentem* attinet, et de eo dici possit Ciuilistis Latino-Romanis non fuisse his temporibus destitutum, disputatur quidem: ast verior est eorum sententia qui defendunt, et in occidente Ciuilistas Latino-Romanos hoc tempore non plane defuisse. Quum enim ius Romanum adhuc his temporibus in Occidente in vsu fuisse et in scholis traditum esse probari possit, et ICtos ibi floruisse dubio caret. Interim tamen huius aeui Ciuilistarum Latino-Romanorum, tam in oriente quam

in occidente, memoria ita deleta vt pauci tantum quoad nomen cogniti ſint, inter quos praeſertim LANFRANCVS *Papienſis* notandus, qui vixit Sec. XI. fuitque a. 1042. Monachus in coenobio Beccenſi et a. 1070. Archiepiſcopus Cantuarienſis, a. 1089 vero naturae debitum redidit.

MILONIS CRISPINI *Vita Lanfranci cura et annot. Dacherii* EIVS Opp. quae Lucas Dacherius Lutetiae Pariſiorum 1648 edidit praefixa.

§. 122.

Notiores quidem ſunt *Canoniſtae horum temporum:* aſt tamen pauci eorum ita innotuerunt, vt eorum hic mentio facienda. Sufficiat itaque hic ex Sec. ſeptimo I. CRESCONIVM Epiſcopum Africanum; ex Sec. octauo II. HADRIANVM Papam et III. BONIFACIVM, vulgo Germanorum Apoſtolum dictum, qui a. 745. Moguntinus Archiepiſcopus creatus; ex Sec. nono IV. PHOTIVM, Patriarcham Conſtantinopolitanum, et impoſtorem illum qui ſub adoptato nomine V. ISIDORI *Mercatoris* ſeu *Peccatoris* hoc tempore innotuit; ex Sec. decimo VI. REGIONEM Abbatem Prumenſem; ex Sec. vndecimo VII. BVRCHARDVM ſeu BROCHARDVM, Epiſcopum Wormatienſem, et VIII. IVONEM, Epiſcopum Carnotenſem, notaſſe.

BASNAGII Obſerv. *de Photio eiusque ſcriptis*, in EIVS Edit. Lect. antiq. *Caniſii* Tom. II. P. II. p. 375-378.

Seb. de ROTENHAN Epiſtola *ad Wolfg. Fabricium breuem de Reginonis vita notitiam exhibens.* In calce chronici Reginonis. Mogunt. 1521.

Io. FRONTONIS *Vita Iuonis Epiſcopi Carnotenſis in Gallia*, in EIVS epiſtolis et diſſert. eccleſiaſticis. Hamb. 1720. 8. editis p. 489.

§. 123.

Sequuntur *ICti graeco romani* quorum initium ad Sec. X. relatum (§. 98), quique euerſo Sec. XV. a Turcis Imperio Romano orientali deſierunt De horum ICtorum exiſtentia dubitat nemo, aſt et eorum notitia tenebris eſt inuoluta. Cognita tamen ſunt variorum ex iis nomina et ſcripta, indeque et horum ICtorum aliqua mentio hic facienda. Praeſertim vero notari merentur I. MICHAEL PSELLVS qui in Sec. XI. circa a. MLXX. vixit ſub *Michaele Duca* Imperatore; II. MICHAEL ATTALIALA ICtus graeco-romanus eiusdem cum praecedente aetatis; III. THEODORVS BALSAMON Patriarcha Antiochenus, qui floruit Sec. XII; IV. NICOLAVS HAGIOTHEORETVS, Metropolita Athenienſis, qui itidem ad ICtos graeco-Rom. Sec. XII pertinet; V. EVSTATHIVS, quem Anteceſſorem fuiſſe conſtat aetas eius vero non ita explorata eſt; VI MICHAEL CHVMNVS Nomophylax et poſtea Metropolita Theſſalonicenſis, qui Sec. XIII. innotuit. VII. MATTHAEVS BLASZARES qui Sec. XIV. vixit; VIII. CONSTANTINVS HARMENOPVLVS qui Conſtantinopoli a. 1320. natus primum Anteceſſor, poſtea iudex Theſſalonicenſis fuit, et obiit circa a. 1383. Ad hanc ICtorum claſſem tandem referri etiam poteſt IX. THOMAS DIPLOVATATIVS, quoniam ex familia Diplouatatriana fuit quae Conſtantinopoli exſtitit licet circiter 1466. Romam venerit, et poſtea in Italia vixerit, donec a. 1534. placide obiit.

Ioan. ALLATII Diatriba *de Pſellis et eorum ſcriptis*, *apud Fabricium* in Bibliotheca graeca Vol V.

C. OVDINVS Diſſ *de ſcriptis Mich. Pſelli* in EIVS Comm. de S. S. E. Tom. II. p. 646-684.

Paul Phil. WOLFFHARDT Pr. *de Thoma Diplouatatio ICto*, quod E VS Schediaſmati de modis acquirendi notitiam ICtorum annexum p. 217.

SECTIO

SECTIO II.

DE ICTIS MEDIIS.

Io. FICHARDI *Vitae recentiorum ICtorum qui post recuperatam Romani iurisprudentiam eandem docendo et scribendo professi sunt ad haec vsque tempora.* Basil. 1539. 8. recusae vna cum RVTILII *vitis* Patauii 1565. 4.

Marci MANTVAE BONAFIDII *Epitome virorum illustrium qui vel scripserunt, vel docuerunt iurisprudentiam in scholis et quo tempore etiam floruerunt, ordine alphabetico constitutum.* Patauii 1555. 8.

Guid. PANZIROLI *de claris legum interpretibus libri quatuor.* Venetiis 1637. 4. nec non Ibid. 1655. 4. Noua editio cura *Christ. Godofr.* HOFFMANNI prodiit Lipsiae 1721. 4. cui adiunxit praeter FICHARDI et MANTVAE vitas iam recensitas 1) IO. BAPT. de GAZALVPIS *historiam interpretum et Glossatorum iuris*; 2) CASTELLIANI COTTAE *recensionem breuem insignium interpretum iuris ciuilis*; 3) GRIB. MOPHAE *catalogum interpretum iuris ciuilis*; 4) ALBERICI GENTILIS *de iuris interpretibus Dialogos VI.*

Chronologisches Verzeichnis der Rechtsgelehrten des XII. XIII. XIV. und XV. Iahrhunderts in den Hall. Beitr. zu der iurist. gel. Historie Vol. III. Part. XII. p. 1.

§. 124.

Sub ICtorum mediorum, qui nunc, absoluta notitia veterum ICtorum, sequuntur (§ 67.) nomine, mihi veniunt ii ICti, qui praeter ICtos graeco-Romanos ad veteres supra §. 97. relatos, in reliquis Europae regnis praeter Graeciam, ab Irnerio vsque ad Andream Alciatum, sicque Sec. XII. XIII. XIV. XV. et ex parte Sec. XVI. floruerunt.

§. 125.

Licet ICtorum mediorum notitia tantam non praestet vtilitatem, quam veterum et qui sequuntur recentio-

centiorum ICtorum notitia: plane negligi tamen nequit, aſt ea qua fieri poteſt breuitate tractanda. Sicque inter hos ICtos, quorum numerus non exiguus, ii tantum recenſendi, qui inter eos quorum memoria ad noſtra vsque tempora pertingit principatum tenent.

§. 126.

Variis modis a ſe inuicem diſtingui poſſunt ICti medii, dum differunt pro 1) temporis quo floruerunt, 2) legum quas potiſſimum excoluerunt; 3) modi, quo hoc factum, diuerſitate. Secundum *primum* diuidendi fundamentum, vel Sec. XII, vel Sec. XIII, vel Sec. XIV, vel Sec XV. vel initio Sec. XVI floruerunt. Ex *ſecundo* diuidendi fundamento ſunt, vel *Ciuiliſtae*, a primaeuis illis ciuiliſtis, quorum ſupra (§. 97.) mentio facta, diuerſi, et ſpeciatim *Legiſtae* dicendi, iique ſunt qui in cultura iuris romani operam et induſtriam ſuam potiſſimum collocarunt; vel *Canoniſtae*, itidem a primaeuis (§. 96.) diverſi, *Decretiſtae* appellari ſoliti, qui potiſſimum iuris canonico-pontificii ſtudio vacarunt; vel *Feudiſtae*, quibus potiſſimum iuris feudalis Longobardici cultura curae cordique fuit; vel *Germaniſtae*, ſumta hac voce in eo ſeuſu, quod eos ſub ſe comprehendat viros, quorum exſtant quaedam in ius germanicum merita, indeque, ſi etiam ſtricte ad veri nominis ICtos referri nequeant, tamen et eorum aliqua mentio hic facienda. Tandem ex *tertio* fundamento oritur ea ICtorum mediorum differentia, quod alii ſint *Gloſſatores*, alii *non*. Quum vero, ſi quid video, conuenientiſſimum, hanc vltimam diuiſionem in recenſendis ſingulis ICtis mediis adſumi, habita tamen ſimul, quantum fieri poteſt, priorum diuiſionum ratione, ſecundum eam de iis paucis agendum.

TIT. I.

TIT. I.

DE GLOSSATORIBVS.

§. 127.

Sub *Gloſſatorum* nomine mox plures, mox pauciores comprehendi ſolent ICti medii, ſicque latior et ſtrictior huius denominationis ſignificatus a ſe inuicem diſtingui debent. In latiori ſignificatu omnes ii ICti medii Gloſſatores dici poſſunt et ſolent, qui ab IRNERIO, ſicque a. Sec. XII, vsque ad BARTOLVM, ſicque Sec. XIV. primam partem, floruerunt. In *ſtrictiori* ſignificatu vero non niſi ii ex mediis ICtis Gloſſatores appellantur, qui per *gloſſas*, quae ſunt breues verborum in legibus obuiorum explicationes, iurisprudentiam excoluerunt. In priori ſignificatu, qui huius loci, itaque ad Gloſſatores referendi ſunt ICti, praeter Graeco - Romanos horum temporum ICtos, qui Seculis XII. XIII. et ex parte XIV. vixerunt. In poſteriori ſignificatu vero non niſi ii ICti praeter ICtos Graeco - Romanos ſub nomine Gloſſatorum comprehendi poſſunt qui vsque ad FRANC. ACCVRSIVM, ſicque Sec. XII. & ex parte XIII. floruerunt. Ceterum ex his quae de Gloſſatoribus in ſenſu latiori ſumtis dicta ſunt, per ſe patet, quinam ICti medii ſint ii, qui Gloſſatoribus contradiſtinguuntur, ſub nomine *reliquorum mediorum ICtorum praeter Gloſſatores.*

§. 128.

In recenſione ſingulorum Gloſſatorum, quam nunc agredior, ſeparandi a ſe inuicem *Ciuiliſtae* ſeu *Legiſtae*, *Canoniſtae* ſeu *Decretiſtae*, *Feudiſtae* et *Germaniſtae* (§. 126.) quum, licet ſic aliquo modo turbetur ordo chronologicus, varia commoda tamen quae ex hac ſeparatione oriuntur, compenſent ſatis minora incommoda turbati ordinis chronologici.

§. 129.

Prodeant itaque primum ii inter Gloſſatores qui CIVILISTAE ſeu LEGISTAE fuerunt, inter quos, vt iam nihil de *Pepone* dicam, primum occupat locum I. IRNERIVS ſeu GVARNERIVS, WERNERIVS, de quo incerta ſunt omnia, ſiue quaeras de eius patria, ſiue de loco ſtudiorum ſuorum matre, ſiue de vitae initio et fine. Interim tamen valde probabile eſt iam ante a. 1150. viuere deſiiſſe IRNERIVM, et licet plerique ICti qui cum IRNERIO et paullo poſt eum vixerunt, ab eo deriuandi, ſint, defendi tamen nequit omnes ad eius diſcipulos referri poſſe. IRNERIO itaque adiungendus LANFRANVCS (§. 121.), et a ſe inuicem ſeparandi ſunt ICti huius aeui qui potius LANFRANCO, quam IRNERIO, originem debent, licet ſufficiat quoad eos qui ad priorem claſſem pertinent notare tales fuiſſe I. THEOBALDVM Abbatem Bleccenſem et poſtea a. 1139. in Epiſcopum Cantuarienſem promotum; II. IO. SARISBVRIENSEM et III. PETRVM BLECCENSEM itidem epiſcopos Cantuarienſes. Forſan etiam IV. ROGERIVS quidam, qui vulgo *Magiſter Vacarius* appellari ſolet, diuerſus ab illo ROGERIO qui mox inter Irnerianae ſcholae ICtos nominandus, huc referri debet.

Seb. MÜNSTERI Or. *de Irnerio et Bartolo.* Vid. Orationes Phil. Melanchtonis Tom. II. p. 4 9. ſeqq.

Quaeſtiones de Irnerio hiſtoricae a iuris Pontificii et Caeſarii collegiis Bononienſibus excuſſae Decembr. a. 1641. in CONRINGII libro de origine iuris germanici.

§. 130.

Inter Irnerii diſcipulos ad Ciuiliſtas referendos, praeſertim notandi II. MARTINVS *Cremonenſis*, ex nobili Bononienſi familia Goſiorum; III. BVLGARVS condiſcipuli ſui Martini aduerſarius, qui eum et auditorum et adſeclarum numero longe ſuperauit, a. 1166. mortuus

IV.

IV. IACOBVS qui vixit vsque ad a. 1150; V. VGO DE PORTA RAVEGNANA qui 1168. vitam finiuit.

§. 131.

MARTINI diſcipuli et ſectatores fuerunt VI. OTTO PLACENTINVS et VII. PYLEVS, quorum hic Bononiae et Mutinae, ille in Monte Peſſulano, ius ciuile eſt profeſſus. Ad BVLGARI diſcipulos et aſſeclas vero referendi ſunt VIII. ALBERIVS A PORTA RAVEGNANA; IX. ROGERIVS ſ. FROGERIVS; et X. IOANNES BOSSIANVS a. 1197. mortuus, cuius diſcipuli fuerunt XI. LOTHARIVS *Cremonenſis*; XII. ROFREDVS *Beneuentanus* qui etiam interdum ODOFREDVS dicitur, et XIII. AZO *Bononienſis*.

§. 132.

Hic AZO varios habuit diſcipulos qui nominis celebritatem ſunt conſequuti, inter quos praeſertim notandi et huc pertinent XIV. FRANCISCVS ACCVRSIVS *Senior*, qui, licet quadragenarius demum ad iurisprudentiam acceſſit, omnes tamen inde ab Irnerio ſuperauit, et XV. ODOFREDVS *iunior*. Ambo Bononiae ius ciuile docuerunt, vbi prior a. 1229, poſterior vero 1265 ſupremum obiit diem.

§. 133.

Quum ceteros obſcurioris nominis huius aeui Legiſtas commemorare non ſit ex legentium uſu, ſatis erit quoad reliquos hic tantum mentionem fieri XVI. BARTOLOMAEI A CAPVA *Neapolitani*, qui Neapoli ius ciuile docuit et a. 1310. vitae curſum abſoluit; XVII. PETRI DE BELLA PERTICA, qui Toloſae et aliquo etiam tempore Bononiae ius ciuile explicauit; XVIII. IAC. BVTRIGARII *Bononienſis*, circa a. 1330. Bononiae iura profeſſi; XIX. CINI *Piſtorienſis*, qui docuit Bononiae vbi *Bartolus* in eius diſciplinam ſeſe tradidit, deinde Peruſii, et a. 1336. e vita exceſſit; XX. ALBERICI DE ROSATA, *Ber-*

 gomen-

gomensis, qui Romae causarum patrocinio vacauit et 1354. e vita migrauit.

§. 134.

Sufficiant haec de iis inter Glossatores in sensu latiori sumtos qui ad Ciuilistarum classem referri possint. Sequuntur nunc celeberrimi CANONISTAE, qui licet non omnes in sensu stricto, in latiori significatu tamen Glossatores dici possunt, quorum dux I. GRATIANVS, satis notus Decreti compilator, merito constituendus. Fuit is natione Tuscus, Clusii, nunc Chiusi, haud procul Florentia, natus et regulam S. Benedicti professus. Docuit Bononiae, ibique obiit 1158.

Casim. OVDINI Diss. *de Gratiano et collectione decretorum illius*, in EIVS Comm. de scriptoribus ecclesiasticis. Tom. II. p. 1202-1219.

Io. CHIFLETIVS *de iuris vtriusque architectis &c.* Vid. supra §. 115.

Iust. Henn. BÖHMERI *Abhandlung von Gratiani Cardinals-Würde*, in den Hall. Anzeigen de a. 1749 num. 30. 31.

§. 135.

Gratiano iungo qui simul cum eo Bononiae docuit II. REYNERVM BELLAPECORA; III. BERNHARDVM CIRCA Praepositum Papiensem, qui floruit circa finem Sec. XII, et IV. RAYMVNDVM de PENNA FORTI qui ad Sec. XIII. pertinet et a. 1275. mortuus est. Praeterea Canonistae huius aeui celeberrimi sunt V. HVGOTIVS siue HVGO VERCELLENSIS, qui in patria sua Vercellis professus esse creditur, et postea Ferrariensis Episcopus fuit; VI. TANCREDVS a Corneto dictus de patriae nomine, quae Tusciae ciuitas est, academiae Bononiensis Cancellarius et floruit circa a. 1217; VII. IOANNES SEMECA, *Teutonicus* siue *Germanicus* dictus, Praepositus Halberstadiensis a. 1269 mortuus; VIII. BARTHOLOMAEVS *Brixiensis*, qui circa a. 1256 floruit; IX. HEN-

RICVS

RICVS de SEGVSIA, Cardinalis hoſtienſis factus, hincque *Cardinalis Hoſtienſis* dictus, qui floruit a. 1256: X. GVILILEMVS DVRANDVS, vulgo *Speculator* dictus, qui praecedentis diſcipulus fuit circa 1263 mortuus.

Io. Andr. SCHMID Diſſ. *de triumuiris Halberſtadienſibus Clemente II. Io. Semeca et Conrado de Halberſtadt.* Helmſt. 1715.

§. 136.

Sequuntur ii inter Gloſſatores qui ad FEVDISTAS referri debent. Sunt hi, vt Conſules Mediolanenſes I. GERARDVM NIGRVM et II. OBERTVM DE ORTO ſilentio praeteream; III HVGOLINVS ſiue HVGO A PORTA RAVENNATE, qui Bononiae docuit, vbi etiam deceſſit 1168; IV. HVGOLINVS de PRESBYTERIS poſt a. 1215 mortuus; V IACOBVS COLVMBINVS, *Regienſis*, de cuius mortis tempore certo non conſtat; VI. IACOBVS ARDIZONVS, *Veronienſis*, diſcipulus Hugolini de Presbyteris.

§. 137.

Quod tandem GERMANISTAS qui huc pertinent attinet (§. 126.), ſunt ii ex nobilitate Teutonica, veluti I. EPKO a REPKO; II. HERMANNVS ab OSFELDE; III. BVRCARDVS ſeu BVRCHARDS, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, is nimirum inter plures eiusdem nominis et dignitatis, qui erat Comes a Schraplau, hinc *Burcardus a Schraplau* dictus, a. 1325 necatus; IV. OTTO COMES DE FALCKENSTEIN; V. VOLRADVS a DREYENLEBEN; VI. CONRADVS A ROSLAV; VII. HENRICVS a BERTESLEBEN; VIII. BVRCARDVS a MANGELFELDT.

Carl. Gottl. KNORRII Praef. *de Eickone de Repchow Speculi Saxonici conditore*, quae EIVS hiſt. iur. praemiſſa.

Praefationes quas GAERTNERVS et LVDOVICI ſuis editonibus Speculi Saxonici praemiſerunt.

TIT. II.

DE RELIQVIS ICTIS MEDIIS PRAETER GLOSSATORES.

§. 138.

Qui Gloſſatoribus opponuntur reliqui ICti medii (§. 127.), partim Sec. XIV. nec non Sec. XV. et initio Sec. XVI. vixerunt. Ex magna eorum copia celeberrimi hic tantum recenſendi, iterumque *Ciuiliſtae*, *Canoniſtae*, *Feudiſtae* et *Germaniſtae* a ſe inuicem diſtinguendi.

§. 139.

Prodeat itaque primum *Ciuiliſtarum* huius aeui chorus, quem ducit I. BARTOLVS, natione Picenus, patria Saxoferratenſis, iuris ille monarcha et lucerna. Natus eſt a. 1313, docuit Piſis et Peruſiis vbi a. 1355 e viuis exceſſit. A Peruſiis legatus ad Imperatorem *Carolum IV.* miſſus, re bene geſta inter ſuos conſiliarios ab eo lectus. Inter diſcipulos eius praeſertim inclaruit vnus ex tribus filiis *Petri de Vbaldis*, nobilis Peruſini artium et medicinae Doctoris, nimirum II. BALDVS DE VBALDIS, cuius fratres erant *Angelus de Vbaldis* et *Petrus de Vbaldis* eiusdem cum patre nominis, itidem non incelebres ICti. Noſter BALDVS docuit Peruſii vt et Ticini, eumque alii a. 1400, alii 1404 mortuum eſſe defendunt.

Georg CRACOVII Or. *de Bartolo.* Witt. 1562. 8. Vid. *Phil.* MELANCHTONIS Orationes Tom. 5. pag. 610.

Thom. DIPLOVATATII *Vita Bartoli* Colon. 1596. et in FABRICII bibliotheca graeca Tom. XII. p. 555.

Paul. LANCELOTI *Vita Bartoli* Peruſii 1576. et apud MEVSCHEN in Vitis Virorum eruditorum Tom. 1. p. 78-122.

Sebal. MÜNSTERI Or. *de Irnerio et Bartolo ICtis* inter *Phil.* MELANCHTONIS orationes Tom. II. p. 409 ſeqq.

§. 140.

Sunt porro *Ciuiliſtae celeberrimi huius aetatis*, quique ad Sec. XIV. referendi III. ALBERICVS ROSATES, qui a. 1350 floruit; IV. ANGELVS DE VBALDIS, Baldi frater, Florentiae eodem tempore quo frater mortuus; V. RICHARDVS SALICETVS; Bononienſis, et VI. BARTHOLOMAEVS SALICETVS, qui priorem patruum habuit, ambo vero floruerunt circa finem Secul. XIV.

§. 141.

Sequuntur *reliqui celeberrimi Ciuiliſtae* huius claſſis, qui Sec. XV et ex parte Sec. XVI floruerunt quorſum referri debent; VII. ANTONIVS DE BVTRIO, qni a. 1408 e viuis exceſſit; VIII. CRISTOPHORVS DE CASTILIANO ſeu CASTILIONEVS Mediolanenſis, cuius diſcipuli ſunt IX. RAPHAEL FVLGOSIVS et alter X. RAPHAEL COMENSIS qui Patauii 1420 floruerunt; XI. IOANNES DE IMOLA ſeu IMOLENSIS eiusque aequalis XII. PAVLVS DE CASTRO ſeu CASTRENSIS, qui in Italiae academiis docuerunt et in prima parte dimidia Sec. XIV floruerunt cum prior 1445, poſterior 1447 mortuus; XIII. MARIANVS SOCINVS, qui iura docuit Patauii et Senis a. 1467. mortuus; XIV. ALEXANDER DE TARTAGNIS, Ioannis Imolae diſcipulus, qui Patauii docuit ibique concurrentem habuit; XV. BARTOLOMAEVM CEPOLLAM ſeu CAEPOLLAM, et prior diem obiit 1487, poſterior vero 1477; XVI. GVIDO PAPA Gallus, Senator in tribunali Gratianopolitano et Ludouico XI. Delphino a Conſiliis, qui obiit 1464; XVII. FRANCISCVS CVRTIVS Senior, ICtus Papienſis a. 1495 mortuus, XVIII. IO. MARIA RIMINALDVS, natus a. 1434, Alexandri Tartagni diſcipulus, qui Ferrariae publice docuit et deceſſit a. 1497, eiusdem filius XIX. IACOBINVS RIMINALDVS et nepos XX. HIPOLITVS RIMINALDVS; XXI. IO. de BREITENBACH Anteceſſor et ordinarius

narius Lipsiensis circa finem Sec. XV, vel initium Sec. XVI. mortuus; XXII. FELINVS SANDEI, qui docuit Ferrariae et Pisae a. 1503 mortuus; XXIII BARTHOLOMAEVS SOCINVS prioris filius, qui Senis et Ferrariae docuit, obiitque 1507; XXIV. MATTHEVS de AFFLICTIS, Neapolitanus a. 1510. mortuus; XXV. VLRICVS TENGLER Praeses Altipolitanus seu Hochstettensis ad Danubium circa a. 1512 mortuus; XXVI. SEBASTIAN BRAND Cancellarius Argentoratensis; XXVII. IASON MAYNVS, Paduae, Pauiae et Pisae iura professus, qui a. 1519 decessit; XXVIII. HENNING GODEN seu GOEDEN, Antecessor Erfortensis et Vitebergensis, quem mors oppressit 1521; XXIX. NICOLAVS MARSCHALLVS THVRIVS iuris Professor in Academia Rostochiensi 1525 mortuus; XXX. CAR. RVINVS, qui Ferrariae et Pauiae docuit a. 1530 mortuus; XXXI. GREGORIVS HALOANDER Norimbergensis, qui ibi vixit et decessit 1531; XXXII. NIC. EVERHARDVS qui docuit Louanii et naturae debitum reddidit a. 1532; XXXIII. HVLDARICVS f. VLDARICVS ZASIVS, Antecessor Friburgensis, denatus 1535; XXXIV. PHIL. DECIVS qui Pauiae, Paduae et Pisae docuit vsque ad vitae finem 1534; XXXV. NIC. BOERIVS Gallus qui Bituriges docuit et 1539 decessit; XXXVI. PETRVS DE RAVENNAS, siue DE RAVENNA, qui docuit Paduae et Pisae, vt et per aliquot tempus Gryphiswaldiae, circa finem Sec. XV et initium Sec. XVI.

Nicol. CHORIER *la iurisprudence de Guy Pape.* Lyon 1692. 4.

Christ. Gottl. IOECHERI *Progr. I. et II. de Io. de Breitenbach, ICto Lipsiensi.* Lips. 1753. et 1745.

Io Erh KAPPI Progr. *de Io. de Breitenbach ICti Lips. scriptis quibusdam et praecipue de eius consiliis MSR. CVI.* Lips. 1754.

Christ. SCHOETTGENII *Comm. de Vita Marschalci Thurii.* Ob raritatem recudi curavit et annotationibus quibusdam

dam litterariis auxit IOAN. PHIL. SCHMIDIVS. Roſtochii 1752.

Georg. Laur. HAVSFRITZ *Memoria Gregorii Haloandri ICti et inſtauratoris iurisprudentiae.* Nor. 1736. 8.

Fr. Car. CONRADI *Vita Georg. Haloandri* in Parergis Lib. I.

Abhandlung: *von Goedens Leben und Schriften.* Vid. Hal. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. II. P. V.

§. 142.

Abſolutis ciuiliſtis inter reliquos ICtos medios praeter Gloſſatores, ſequuntur ii inter eos qui ad *Canoniſtas* referri debent. Hi ſunt I. IOANNES ANDREAE, Mugelli in agro Florentino natus, docuit Pataui, Piſis et Bononiae a. 1348 vero deceſſit; II. HENRICVS BOICH, Pariſiis Sec. XIV. ius canonicum profeſſus; III. IOANNES CALDERINVS, Bononienſis, a Io. Andreae adoptatus et circa a. 1350 mortuus; IV. PETRUS ANCHARANVS, qui nomen ſortitus eſt ab Ancharano Farneſiorum Caſtello, Bononiae docuit, vbi circa a. 1415. obiit; FRANCISCVS DE ZABARELLIS ſeu ZABARELLA, qui docuit Pataui et Florentiae et a. 1417 deceſſit; VI. NICOLAVS DE TVDESCHIS, vulgo *Panormitanus* dictus, qui Senis Parmae et Bononiae ius pontificium interpretatus eſt, indeque, quoniam Archiepiſcopus Panormitanus factus, vulgo *Panormitanus* dici ſolet, et 1443 ex hac vita migrauit; VII. IOANNES A TVRECREMATE ab oppido Hiſpaniae, quod vulgo Torquemeda dicitur, ortus, Romae ab a. 1449 docuit et naturae debitum reddidit a. 1468; VIII. ANDREAS BARBATIA, a patria Andreas Siculus dictus, Ferrariae et Bononiae docuit et circa finem Sec. XV mortuus; IX. IOANNES ANTONIVS a S. GEORGIO, Ticini iura profeſſus eſt, deinde Praepoſitus fuit aedis Ambroſii apud Mediolanum, vnde ipſi inditum *Praepoſiti* cognomen, obiit a. 1493.

§. 143.

§. 143.

Quod porro attinet *Feudiſtas* inter ICtos reliquos medios praeter Gloſſatores, ad huius claſſis ICtos referri poſſunt I. IACOBVS DE ISERNIA, qui in regio Neapolitano ſenatu ius dixit et 1353 violenta morte periit; II. ANTONIVS MINCVCCIVS DE PRATO VETERI, qui Bononiae et Florentiae ius douit et circa a. 1428 floruit; III. BARTHOLOMAEVS BARATERIVS, qui circa a. 1442 vixit; IV. IAC. ALVAROTTVS qui docuit Paduae et a. 1443. deceſſit.

§. 144.

Nec deſunt tandem inter ICtos medios praeter Gloſſatores ICti qui ad *Germaniſtas* referri poſſunt, quales ſunt I. BRAND VON TZERSTADT, patricius Luneburgenſis, qui floruit a. 1442; II. DIETERICVS A BOXDORF ſeu BVRGSDORF, ordinarius Lector iuris Lipſienſis a. 1566 mortuus; III. TAMMO A BOXDORFF ſeu BVRGSDORFF, qui ante eum vixit; IV. CHRISTOPHRVS ZOBELIVS iuris Doctor Lipſienſis, quem his adiungere liceat, etſi eum vsque ad a. 1529 vixiſſe conſtet. His temporibus etiam vixit; V. IO. L. B. de SCHWARTZENBERG qui, licet proprie ad ICtos referri nequeat, hic tamen notari meretur. Natus eſt a. 1478 et denatus 1528.

Io. Frid. CHRIST Comm. *de Io. Schwartzenbergico viro pacis pariter atque bellicis artibus inſigni.* Halae 1726. 4. *Andr. El.* ROSMANN *von dem Verfaſſer der Bambergiſchen Brandenburgiſchen und des H. R. R. peinlicheu Halsgerichts - Ordnungen Iohann Freyherrn von Schwartzenberg.* In den Erlang. gel. Anzeigen vom Iahr 1751. num. XXV.

SECTIO

SECTIO. III.

DE ICTIS NOVIS SEV RECENTIORIBVS.

§. 145.

Absoluta ICtorum antiquorum et mediorum notitia, ad nouos seu recentiores progredior (§. 67.), sub quo nomine omnes reliquos comprehendo praeter veteres (§. 69.) et medios (§. 124.); sicque omnes qui a temporibus ANDRAE ALCIATI ad hunc vsque diem floruerunt, et florent adhuc. Quum itaque alii eorum iam demortui sint, alii adhuc viuant, praemissis demortuis de viuentibus agendum.

MEMBRVM. I.

DE ICTIS RECENTIORIBVS IAM DEMORTVIS.

Matth. WESENBECCII *exempla iurisprudentiae.* Lipsiae 1585. 8.

CLAVDII SINCERI *Vitae et scripta magnorum ICtorum.* P. I. Witteb. 1712. P. II. ibid. 1713. P. III. ibid. 1716. 8.

Historischer Schauplatz vornehmer und berühmter Staats- und Rechtsgelehrten P. I. Franckf. et Lips. 1710. T. II. Berol. 1715. 8.

Frid. Iac. LEICKHERI *Vitae clarissimorum ICtorum.* Ienae 1686. 8.

Christ. Gottl. BVDERI *Vitae clarissimorum ICtorum.* Ienae 1722. 8.

Io. Frid. IVGLER. *Beyträge zur iuristischen Biographie. Oder genaue litterarische und critische Nachrichten von den Leben und den Schriften verstorbener Rechtsgelehrten auch Staatsmänner, welche sich in Europa berühmt gemacht haben.* Ersten Bandes erstes Stück. Leipz. 1773. 8.

§. 146.

In recensione ICtorum recentiorum iam demortuorum generatim ordini chronologico inhaerendum, indeque ICti Sec. XVI, XVII et XVIII a se inuicem separan-

ſeparandi. In quolibet Seculo vero ICti qui in eo floruerunt, ita a ſe inuicem diſtinguendi, prout eos diſtingui conuenientiſſimum eſt.

TIT. I.

DE ICTIS RECENTIORIBVS SEC. XVI.

Melch. ADAMI *Vitae Germanorum ICtorum et Politicorum qui ſuperiori Seculo* (id eſt Sec. XVI.) *et quod excurrit, floruerunt.* Heid. 1620. 8.

Chronologiſches Verzeichnis der berühmteſten Rechtsgelehrten des XVI. Jahrhunderts, in den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. 1. P. 4. p. 702-728.

§. 147.

Qui ad recentiores ICtos, ex iis qui Sec. XVI floruerunt, referri poſſunt, ſunt praeter ANDREAM ALCIATVM omnes ii, qui vel cum eo, vel poſt eum, in hoc Seculo floruerunt; ſiue ſint tales, qui eius veſtigiis in coniunctione litterarum elegantiorum cum iurisprudentia inſtiterunt, ſiue non. Quum enim ex variis cauſis ordini chronologico inhaerendum, huius et ſequentium Seculorum ICtos pro ea diuerſitate, quod alii fuerint *Humaniſtae*, quorum ducem conſtituere ſolent ANDREAM ALCIATVM, alii vero *Realiſtae*, a ſe inuicem ſeparari nequeunt.

§. 148.

Sunt vero inter ICtos recentiores Sec. XVI. ante omnes notandi tres excellentiſſimi ICti, qui omnibus reliquis palmam praeripuerunt, nimirum egregium illud trifolium, ANDREAS ALCIATVS, IACOBVS CVIACIVS et ANTONIVS AVGVSTINVS. *Primus* inter eos floruit in prima parte huius Seculi, quippe in prouincia Mediolanenſi 1492 natus, docuit Primo Auenione, deinde Bituri-

gibus,

gibus, nec non in academia Ticinensi, Bononiensi et Ferrariensi, et iterum Ticini vbi a. 1550 mortem cibo abundantiori sibi arcessiuit. *Secundus* floruit in secunda huius seculi parte, natus Tolosae a. 1520, docuit Cadurci, vnde in academiam Bituricensem migrauit, ibique naturae debitum reddidit a. 1590. *Tertius* a 1516 Saragossae in Arragonia natus, in numerum auditorum rotae Romanae cooptatus, deinde Pontificis Iulii III. legatus in Angliam factus, tandemque Archiepiscopus Tarraconensis. E vita a. 1586 decessit.

Alex. GRIMALDI Or. *in funere Alciati habita Ticini in aede cathedrali ad XIV Cal. Febr.* 1550. Papiae 1550. 4.

Io. BOVCKII Or. *de vita Andreae Alciati.* Rost. 1560. rec. Franckf. 1571. 4.

Claud. MINOS *Vita Andreae Alciati.* Eius Emblematibus annexa.

Franc. DERMAZONIS *apologia pro Alciato aduersus Ludouicum Catum ICtum Ferrariensem.* Lugd. 1538. 8.

Papirii MASSONII *vita Iacobi Cuiacii.* Vid. LEICKHERVS l. c. p. 264 seqq.

Io. Gottl. HEINECCII Praef. *de Cuiacii aduersariis et obtrectatoribus*, quae editioni Halensi Obseruationum Cuiacii praemissa.

Andr. SCHOTT Or. *de vita Ant. Augustini.* Vid. LEICKHER l. c. p. 108.

§. 149.

Reliquos ICtos huius seculi quod attinet, insignis eorum datur copia, et ab hoc tempore praesertim non in Italia solum, sed et in aliis Europae regnis multi excellentissimi ICti floruerunt. Quae cum ita sint conuenientissimum esse arbitror, si, quod attinet

G reli-

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

reliquos huius aeui ICtos, praeter dictos Triumuiros; ii pro diuersitate regnorum Europae in quibus nati et floruerunt, vel saltem nati, si et alibi floruerunt, distinguuntur, et sic diuersis eorum classibus constitutis, secundum mortalitatis ordinem in qualibet harum classium recensentur. Et hos ICtos enim, prout in recensione mediorum ICtorum factum, secundum eam diuersitatem quod alii fuerint Ciuilistae, alii Canonistae etc. in certas classes redigi, ideo non satis concinnum esse arbitror, quoniam plerique recentiorum ICtorum in variis iurisprudentiae partibus simul excelluerunt. Sigillatim itaque nunc de ICtis huius seculi *Italis*, *Gallis*, *Hispanis et Lusitanis*, *Belgis et Heluetis*, tandemque *Germanis* agendum, quum his terris potissimum originem debeant celeberrimi huius aeui ICti.

§. 150.

Quod itaque attinet ICtos *Italos*, inter multos ICtos Italiae qui Sec XVI. naturae debitum reddiderunt, et ad recentiores ICtos referri debent, notandi praesertim:

I. HIERONIMVS CAGNOLVS qui docuit Paduae et a. 1551 decessit.

II ANTON. GABRIELI Romae aduocati fisci munere functus a. 1555 mortuus.

III. MARIANVS SOCINVS iunior, cuius pater est is cuius supra §. 141. mentio facta, patruus vero Bartol. Socinus itidem l. c. iam notatus. Docuit Senis, Pisis, Patauii, Bononiaeque, et obiit 1556.

IV. ANTONIVS CVCCHVS, iuris in academia Ticensi professor, qui hoc tempore floruit.

V. MAT-

V. MATTHEVS GRIBALDI. Pisae et alibi in Italia docuit, animam vero a. 1564 efflauit.

VI. HAIMO CRAVETTA, qui Ferrariae et Ticini, nec non Taurini, vbi a. 1569 mortuus, profitebatur.

VII. TIBERIVS DECIANVS, qui Patauii docuit vsque ad 1581.

VIII. MARCVS MANTVA *Benafidius*, Patauinus. Docuit in patria et obiit 1582.

IX. ROBERTVS LANCELLOTVS, Professor Perusinus et postea aduocatus Romanus, qui a. 1585 decessit.

X. IOSEPHVS MASCARDVS, Protonotarius apostolicus, qui a. 1589 vitam finiuit.

XI. IO. PAVLVS LANCELLOTVS, prioris frater, qui itidem Perusiae docuit ibique a. 1591 mortuus.

XII. ROLANDVS A VALLE. Floruit circa finem huius Seculi.

XIII. VINCENTIVS CAROCCIVS, qui itidem hoc tempore floruit.

XIV. LVDOVICVS VITALIS, Antecessor Turinensis circa finem huius Seculi.

XV. MARCELLVS CALA, ICtus Neapolitanus, circa finem huius Seculi clarus.

XVI. GVIDVS PANZIROLVS, Reginus; docuit Taurini et Patauii, atque vitae cursum peregit a. 1591.

XVII. ANGELVS MATTHAEACCIVS, Professor Patauinus, natus a. 1536, a. 1600 vero denatus.

§. 151.

ICti *Hispani* et *Lusitani*, qui huc pertinent, sunt qui sequuntur:

I. LVDOVICVS GOMESIVS seu GOMETZ, Oriola regni Valentiae ciuitate oriundus, floruit vero in Italia et obiit a 1543.

II. IO. BERNH. DIATZ de LVGO, Seuilianus Hispanus, supremus vicarius Antistitis Salamancae et tandem Archiepiscopus Calahorae. Obiit a. 1556.

III. PETRVS DVENAS, Prof. iuris Salamancensis, qui circa medium Sec. XVI. floruit.

IV. ARIAS PINELLVS qui Coimbrae et Salamancae docuit hoc tempore.

V. ANTONIVS GOMETZ, Salamancae itidem hoc tempore professorio munere functus.

VI. ANTONIVS GOVEANVS, natus in Lusitania, docuit vero Cadurci, Valentiae, Tholosae et Gratianopoli. Viuere desiit a. 1565.

VII. FERDINANDVS VASQVETZ. Doctor iuris in Hispania, qui a. 1566 viuere desiit.

VIII. DIDACVS COVARRVVIAS, natus a. 1512, docuit Salamancae, denatus a 1577.

IX. MARTINVS AB AZPILCVETA, a patria vulgo Nauarrus dictus. Salamancae et Cadurci docuit. Obiit 1586.

X. DIDACVS GOMETZ, Antonii sub. num. V. notati filius, qui circa finem huius Sec. floruit.

XI. EMANVEL MENDEZ DEL CASTRO, Coimbrae docuit, postea rei forensi Madriti operam dedit. Floruit, circa finem Seculi.

XII. EDVARDVS CALDERA, natione Lusitanus, circa huius seculi finem clarus.

§. 152.

Progredior nunc ad ICtos *Gallos* huius aeui, qui magnam nominis celebritatem sunt consequuti et reliquis palmam praeripuerunt, ita vt excellentissimi ICti horum temporum sint Galli. Nomina eorum sunt haec:

I. GVIL

I. GVILIELMVS BVDAEVS, Parisinus a. 1467 natus. Proprio marte in iure profecit, fuitque *Francisci I.* Regis Galliae supplicorum libellorum magister.

L. ouici REGII *Guiliel. Budaei* Lutetiae 1577. 4. et apud I EICKHER. l. c. pag 28 - 108.

Iac. MARTHANI *de Guil. Budaeo commentatiuncula.* Paris 1540. 4.

II. EGINARIVS BARO, natus in Britannia minori a. 1509. Biturges iura docuit ibique a. 1550 fato functus.

III. FRANCISCVS CONANVS, operam dedit rei forensi Parisiis et obiit 1551.

IV. AEMILIVS FERRETTVS, Etruscus Rauenna oriundus, qui Auenione iura docuit vsque ad a. 1552, qui vitae suae vltimus.

Heleni RIBITTI *Vita Aemilii Ferretti.* Vid. BVDER l. c. p. 1.

V. IAC. REBVFFVS. Docuit in Monte Pessulano, Parisiisque circa medium Sec. XVI.

VI. ANDREAS TIRAQVELLVS supremo senatui Parisiensi adscriptus a. 1558 mortuus.

VII. FRANC. DVARENVS, Baronis conterraneus et collega in academia Bituricensi. Vixit ab a. 1520 vsque ad a. 1559.

Abhandlung: *von Frantz Duarens Leben und Schriften*, in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol 1. P. 1. p. 165 seqq. quae commentatio in linguam latinam translata a CAR. SEB. ZEIDLERO prodiit Lucae 1768. 8.

VIII. CAROLVS MOLINAEVS natus Parisiis a. 1500. E Gallia ob religionem ad Germanos profugus docuit Tubingae, Argentorati, vt et Dolae et Vesontiae. Vitam finiuit in Gallia a. 1566.

Iulian. BRODEAV *Vie de maitre Charles du Moulin.* Paris 1654. 4.

IX. IO. CORASIVS, Toloſanus. Iura tradidit Aureliae, Pariſiis, Toloſae et Ferrariae, et a. 1575 interfectus.

Antonii VSILII *Vita Io. Coraſii.* Vid. BVDER l. c. p. 49.

X. FRANC. BALDVINVS. Lucem vidit ab 1520 vsque ad a. 1573, et in Galliae academiis nonſolum, ſed et Argentorati et Heidelbergae docuit.

Io. Gottl. HEINECCII Praef. *Iurispr. Rom. et Atticae* praemiſſa.

XI. CLAVDIVS CHIFLETIVS, Anteceſſor in academia Dolona qui vsque ad a. 1583 vixit.

XII. ANTONIVS CONTIVS. Docuit Biturice et Aureliae, nec non Pariſiis, a. 1589 vero animam efflauit.

XIII. FRANCISCVS HOTMANVS Pariſiis 1524 natus. Luſannae, Argentorati vt et Biturice docuit, Baſiliaeque periit a. 1590.

Petri Neuelliti DOSCHII *Elogium Franc. Hotmani.* Francof. 1595. et apud LEICKHER l. c p. 206 ſeqq.

XIV. BARNABAS BRISSONIVS in Pictauienſi Gallorum regione natus, ſenatus Pariſienſis Praeſes atque demum ſtatus adminiſter. Violenta morte periit 1591.

Daniel MOELLER Diſſ. de *Barnaba Briſſonio.* Alt. 1696.

Collectanea de vita et obitu Barnab. Briſſonii apud LEICKHERVM l. c. p. 299 ſeqq.

Franc. Car. CONRADI *de vita Barnabae Briſſonii.* Vid. Eius editio Tractatus Briſſonii *de formulis.*

XV. HVGO DONELLVS Profeſſor Bituricenſis, natus a. 1527. Docuit etiam Heidelbergae, Lugduni Batauorum et Geneuae, et triennio ante mortem Altdorfium conceſſit, vbi profeſſoris munere functus deceſſit a. 1591.

Scipionis GENTILIS Or. *de Hugone Donello habita die VII. Maii An.* 1591 et typis impreſſa Alt. 1591 4. recuſa ibidem 1641 in *Hugonis Donelli Opuſculis poſthumis ex biblio-*

bibliotheca Scipionis Gentilis, *Hanouiae* 1603. 4. *editis* pag. 446. et apud BVDER l. c. p. 77 seqq.

Caspari BAVMGAERTNER *Anniuersaria in honorem clarissimi consultissimique viri D. Hugonis Donelli*, *Cabillonensis Galli V. I. D. et Antecessoris*, *qui* 4. *Maii Nonarum anni superioris*, *pie in Christo Altorfii decessit.* Altorphii 1592. 4.

Hier. GVNDLING *Nachricht von Hugonis Donelli Leben und Schriften.* In dessen *kleinen Schriften* n. XI. p. 253. vt et in der *neuen Bibliotheck* Tom. 3. P. 9. p. 308.

Vita Hugonis Donelli apud ZEIDLERVM in *Vitis Professorum Iuris qui in Academia Altorffina inde ab eius iactis fundamentis floruerunt.* num. IV.

XVI. PETRVS PITHOEVS, Trecis ad Sequanam natus a. 1539, Cuiacii discipulus Exercitationibus forensibus se tradidit et naturae debitum reddidit a. 1596.

Io. BOIVINI *Vita*, *elogia*, *opera*, *bibliotheca Petri Pithoei.* Vid. LEICKHER l. c. p. 353.

Io. Frid. ERDMANN Epist. *de Petro et Francisco Pithoeis fratribus*, *ICtis in Gallia olim florentissimis.* Lips. 4.

Vie de Pierre Pithou avec quelques memoires sur son Pere et ses freres. Tome Premier a Paris 1756. Tome Seconde ibid. eod. 8.

XVII. PETRVS GREGORIVS, *Tolosanus* dictus a patria Tolosa, vbi etiam iura publice interpretatus est, vt et in Cadurcensi Academia: postremo in Lotharingicam Mussi pontanam studiorum vniuersitatem accitus. Obiit a. 1597.

XVIII. PETRVS FABER Senator Augusti Tribunalis Tolosani Decessit 1600.

XIX. IO. MERCERIVS, in patria Bituricensi academia Professor, a. 1600 mortuus.

XX. GVILIELMVS FORNERIVS pater, profeſſor Aurelianenſis, qui circa finem huius Seculi floruit.

XXI. PETRVS BVRGIVS qui Lutetiae Pariſiorum itidem hoc tempore vixit.

XXII. TVSSANVS RVAEVS (de la Rue) Aduocatus Pariſienſis huius aeui.

§. 153.

Inter ICtos huius aeui ſunt et *Belgae* atque *Heluetí*, qui nunc recenſendi. Poſſunt vero huc referri:

I. HIERON. SHVRFFIVS, natione Heluetus, docuit vero Wittebergae et Francofurti. Natus eſt a. 1480, denatus vero a. 1554.

Mich. TEVBERI Or. *de vita Hier. Schurffii.* Witt. 1554. Vid die Hall. Beitr. zur iur. gel. Hiſt. Vol. 2. P. 5. p. 95-140.

II. GABRIEL MVDAEVS Brechtae, Antwerpiae municipio, natus, qui Louaniae docuit, et a. 1561 deceſſit.

III. FRANCISCVS SONSBECK ICtus Friſius a. 1561 mortuus.

IV. IACOBVS REVARDVS ſeu RAEVARDVS prope Brugas Flandrorum natus 1533, docuit vero in academia Duacena. Obiit 1568.

V. IOACH. HOPPERVS Friſius a. 1523 natus, docuit Louanii, et poſtquam deinde ad alia officia euocatus in Hiſpania 1576 obiit.

VI. VIGLIVS AB AYTA, a patria Zuichemus dictus, natus a. 1507, docuit in variis Italiae et Galliae academiis, vt et Ingolſtadii, 1577 deceſſit.

VII. IODOCVS DAMHOVDERVS, Burgis Flandrorum natus 1507. Carolo V. a Conſiliis fuit et Antwerpiae defunctus a. 1581.

VIII. PETRVS PECK in Seelandicis inſulis circa a. 1529 natus, Louanii docuit et a. 1589 animam efflauit.

IX. BOE-

IX. BOETIVS EPO, Rorda Frisius, docuit Duaci estque a. 1599 mortuus.

X. IVLIVS A BEIMA, Doccomio Frisius, Leidae et Franeequerae docuit, viuere desiit Leouardae a. 1599.

§. 154.

ICtorum recentiorum Sec. XVI agmen claudunt ICti *Germani* huius aeui, de quibus nunc paucis agendum. Datur quidem insignis copia horum ICtorum, iam nunc tot academiis in Germania constitutis: ast tamen pauci inter eos tales sunt, quorum hic pro instituti ratione mentio facienda. Sunt vero inter ICtos Germanos recentiores Sec. XVI praesertim hi notandi:

I. IO. SICHARDVS, Antecessor Tubingensis a. 1552 mortuus.

II. CASPARVS KOCH, natus Bilefeldae, Consiliarius Coloniensis, et tandem assessor Camerae imperialis, mortuus 1553. Frater eius WERNERVS KOCH circiter 1570 mortuus est.

III. IO. FERRARIVS, ICtus Marburgensis, qui ibi diem suum obiit a. 1558.

IV. MODESTINVS PISTORIS seu PISTORIVS, ICtus Lipsiensis, ibi natus 1516 et denatus 1565.

Io. a BEVST *de vita Io. Schneidewini et Modest. Pistoris* Orat. duae Vitteb. 1585. 8.

V. IOANNES OLDENDORPIVS, ICtus Francofurtanus, Rostochiensis et Marpurgensis, denatus 1567.

VI. CONRADVS LAGVS. Docuit Wittebergae et circa hoc tempus floruit.

VII. IVSTINVS GOEBLER, Syndicus Reipublicae Francofurtensis qui a 1568 ad meliorem vitam abiit.

VIII. IOAN. SCHNEIDEWIN, ICtus Wittebergensis, Stolbergae a. 1519 natus a. 1567 vero denatus.

Io. a BEVST Oratio num. IX allegata.

IX. MELCHIOR KLINGE, Antecessor Wittenbergensis, postea Cancellarius Magdeburgicus, natus in Silesia a. 1504, denatus a. 1571.

Iust. Israel. BEYER *zerstreuete Nachrichten von Melch. Klingens Leben, Verdiensten und Schriften.* Vid. der prüfenden Gesellschaft zu Halle Schriften Vol. 2. P. 7. p. 587 seqq.

Abhandlung: *von - - - Klingens Leben und Schriften* in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. II. P. V. p. 141 - 153.

X. SIMON SCHARDIVS natus in Saxonia a. 1535. Assessor camerae imperialis a. 1572 mortuus.

XI. FRID. SCHENCK a TAVTENBERG, Imperatori Carolo V. a consiliis secretis, postea Praeses supremi tribunalis Spirensis. Obiit 1580.

XII. IOAN. FICHARDVS, Francofurtanus. Syndici munere in patria functus, vsque ad vitae finem a. 1581.

Henr. PETREII *Vita Io. Fichardi*, apud BVDERVM l. c. p. 241.

XIII. NICOLAVS CISNER, natus Morbaci a. 1529. Prof. Iur. Heidelbergensis et deinde assessor camerae imperialis. Obiit 1583.

Quir. REVTER *vita Nic. Cisneri* apud BVDERVM l. c. p. 307.

XIV. ANDREAS GAILIVS, practicus celeberrimus, natus Coloniae Agrippinae a. 1525, camerae imperialis assessor et postea Cancellarius Coloniensis, a. 1586 mortuus.

XV. MATTH. COLERVS natus a. 1530, Antecessor Ienensis, denatus a. 1587.

XVI. IOACH. MYNSINGER a *Frundeck*, natus Stuttgardiae a. 1514, Camerae imperialis assessor, postea Cancellarius Brunsuicensis. In otio litterario a. 1588 Helmstadii mortuus.

XVII. LVDOL-

XVII. LVDOLPHVS SCHRADER Brunſuicenſis, qui primo Bolognae priuatim docuit, poſtea Anteceſſor Francofurtenſis conſtitutus. Naturae debitum reddidit a. 1589.

XVIII. IO. BORCHOLTEN ICtus Roſtochienſis et Helmſtadienſis, qui a. 1594 ex hac vita diſceſſit.

XIX. MICHAEL GRASSVS itidem ICtus Roſtochienſis 1595 mortuus.

XX. ANDREAS CLVDIVS ICtus Helmſtadienſis, qui a. 1598 ad meliorem vitam abiit.

XXI. PETRVS HEIGIVS. Docuit Vitebergae et lucis vſura fruitus eſt vsque ad a. 1599.

XXII. DANIEL MOELLER, Brunſuicenſis, Curiae prouincialis et Scabinatus Lipſienſis aſſeſſor a. 1600 mortuus.

XXIII. NICOLAVS VIGELIVS Anteceſſor Marpurgenſis, qui profeſſione abiit 1594, aſt demum a. 1600 e vita migrauit.

XXIV. NOE MEVRER Conſiliarius Palatinus.

XXV. RAPHAEL SEILER Auguſtanus, Camerae imperialis aſſeſſor.

XXVI. IOAN. MEICHSNER, qui in eodem officio conſtitutus fuit.

XXVII. IOAN. LVDOV. BENDER Aduocatus camerae imperialis.

XXVIII. PHILIPPVS TENNAGEL camerae imperialis aſſeſſor.

XXIX. LVD. GILHAVSEN Aduocatus Francofurtenſis et Comiti Solmenſi a conſiliis.

TIT. II.

DE ICTIS SEC. XVII.

Henn. WITTEN *Memoriae ICtorum noſtri ſeculi* (id eſt Sec. XVII.) *clariſſimorum renouatae.* Francof. 1676. 8.

Chr-

Chronologiſches Verzeichnis der berühmteſten Rechtsgelehrten des XVII Iahrhunderts. In den Hall. Beiträgen zur iuriſt. gel. Hiſtorie Vol. 1. Part. 4. p. 729 ſeqq. et Vol. 2. P. 5 p. 1 ſeqq.

§. 155.

Quum numerus ICtorum qui ſcriptis claruerunt his temporibus in dies creuerit, inſignis datur multitudo ICtorum, qui, dum in Sec XVII vitam cum morte commutarunt, ad huius Seculi ICtos referri debent. Et hic vero commodior, ſi quid video, in iis ſingulis recenſendis via excogitari nequit, quam ea qua inceſſimus in recenſione ICtorum Seculi praecedentis. Nunc iterum itaque ſigillatim de ICtis *Italis*, *Hiſpanis et Luſitanis*, *Gallis*, *Belgis et Heluetis*, tandemque *Germanis* agendum. Reliquos vero populos Europae quod attinet, veluti *Anglos*, *Danos*, *Suecos*, *Polonos* &c. licet nec deſint inter eorum eruditos ICti huius Seculi, partim tamen numero pauci ſunt, partim non tantae famae, vt eorum in his initiis notitiae ICtorum mentio facienda.

§. 156.

Vt itaque cum recenſione ICtorum *Italorum* iterum initium fiat, ex iis dabo celeberrimos, quorum numerus non valde magnus, quum hoc Seculo iurisprudentia natale ſuum ſolum magis magisque reliquerit. Qui vero notari adhuc merentur ſunt fere hi:

I. SFORTIA ODDVS. Docuit Piſae, Pauiae et Paduae, nec non Parmae, a. 1601 vita functus.

II. IACOBVS MENOCHIVS natus Ticini 1532. Docuit in variis academiis Italiae et a. 1607 animam efflauit.

II. AL-

III. ALBERICVS GENTILIS, natione Italus, ast Oxonii Antecessor a. 1582 constitutus, et vixit vsque ad a. 1608.

IV. PROSPER FARINACIVS, fisci pontificalis generalis procurator. Romae a. 1554 natus, denatus vero a. 1613.

V. ANDREAS FACHINAEVS. Docuit Ingolstadii et Pisis, estque circa hoc tempus mortuus.

VI. FRANCISCVS MANTVA, Antecessor Paduanus, post Cardinalis factus. Obiit 1614.

VII. NICOLAVS DE PASSERIBVS Paduanus, deditque in patria rei forensi operam. E vita migrauit a. 1615.

VIII. ALEXANDER GALVANI ICtus Ferrariensis, qui in patria et Paduae docuit a. 1616 mortuus.

IX. MARCVS ANTONIVS PEREGRINI Vicentinus, natus 1540. Reipublicae Venetae a Consiliis et Professor iuris canonici primarius. Fato cessit a. 1616.

Io. Phil. THOMASSINI *Vita M. Ant. Peregrini.* Patauii 1636.

X. SCIPIO GENTILIS, Alberici (vid num. III.) frater. Docuit in Germania et quidem Altorfii. Natus est a. 1563, denatus vero a. 1616.

Mich. PICCARTI *laudatio funebris Scipionis Gentilis,* Norinb. 1617. 4. et in WITTE Memoriis ICtorum Dec. I. p. 25.

Vita Scipionis Gentilis in ZEIDLERI Vitis Prof. iur. Altdorfinorum num. VI.

XI. SIGISMVNDVS SCACCIA, Romanus causarum patronus, Florentiam a Cosmo II. accersitus. Floruit circa a. 1620.

XII. DOMINICVS TVSCHVS Reginensis, qui postquam Romae rei forensi operam dederat, rotae auditoribus adscriptus et tandem Cardinalis factus. Vitam perduxit vsque ad a. 1620.

XIII. CA-

XIII. CASPAR THESAVRVS vel THESSAVRVS. Vixit circa a. 1626.

XIV. HIERONIMVS CALA qui circa medium Sec. XVII. floruit.

XV. MARCVS AVRELIVS GALVANI, Alexandri (vid. num. VIII.) filius. Docuit Pisae et Paduae et a. 1659 mortuus est.

XVI. IOANNES GALVANI, ICtus Paduanus, qui a. 1665 decessit.

XVII. SEBASTIAN GVAZZINVS, ICtus Italus Vmbriae natus, qui circa medium Sec. XVII floruit.

XVIII. PROSPER FAGNANVS, Aduocatus Romanus, a. 1678 mortuus.

§. 157.

Progredior, missis ICtis Italis huius aeui, ad ICtos *Hispanos et Lusitanos*, qui ad Sec. XVII referendi. Sunt vero tales:

I. IO. DE SOLORZANO PEREIRA apud Salamanticenses Caesarei iuris interpres, qui circa initium huius Seculi claruit.

II. GREGOR. LOPEZ MADERA, qui in academia Complutensi antecessoris munus administrauit, et postea supremo ordini senatus Castellani adscriptus. Vixit itidem circa initium huius Seculi.

III. FRANCISCVS MVNNOZ DE ESCOBAR, Aduocatus in Hispania, qui itidem hoc tempore floruit.

IV. IOANNES DEL CASTILLO, qui circa a. 1624 vixit et Alcalae docuit.

V. AVGVSTINVS BARBOSA, Lusitanus, Protonotarius apostolicus et maior Virnariensis in Portugallia ecclesiae Thesaurarius, tandemque Episcopus Vgentinus in Regni Neapolitani Prouincia Hydruntina. Obiit 1649.

VI. AN-

VI. ANTON PEREZ, natione Hispanus, docuit vero Louanii, et decessit a. 1653.

VII. FRANC. RAMOS DEL MANZANO in academia Salamanticensi Antecessor, qui circa medium Sec. XVII floruit.

VIII. IOSEPH. FERNANDEZ DE RETES, itidem Antecessor in Salamanticensi academia, et paullo post inclaruit.

IX. EMANVEL GONZALES TELLES. Docuit in academia Salamanticensi his temporibus.

X. FRANC. SALGADO DE SAMOZZA, natus in Galicia, in regia cancellaria Vellisoletana Senator, a. 1664 mortuus.

XI. IO. RAMOS DEL MANZANO, natione Hispanus, docuit Pauiae in Italia et postea Consiliarius Hispanicus creatus, a. 1668 mortuus.

XII. NICOLAVS RODIQVEZ DE FERMOSINO, canonicus et postea episcopus Astorgensis. Obiit 1669.

XIII. NICOL. FERNANDEZ DE CASTRO Antecessor Salamanticensis a. 1670 mortuus.

§. 158.

Sequuntur ICti Galli huius aeui, in quo adhuc obueniunt varii eruditi ICti qui e *Gallorum* natione inclauerunt. En eorum indicem.

I. PETRVS AERODIVS, Antegauensis, Aduocati officio in supremo Tribunali Parisiensi functus. Decessit a. 1601.

Aegid. MENAGII *Vita Petri Aerodii.* Parisiis 1675.

II. RENATVS CHOPPINVS, Aduocatus Parisiensis a. 1606 mortuus.

III. ANTONIVS LOISEL seu OISEL, qui ab a. 1536 vsque ad a. 1617 vixit.

Claud. IOLY *Vitae clarissimorum virorum Ant. et Vidi Loisellorum.* Paris 1643. 8.

IV. GVI-

IV. GVILIELMVS MARANVS. Iura docuit Tolosae, donec a. 1621 e vita migrauit.

Bern. MEDONII *Vita Guil. Marani.* Vid. BVDER l. c. p. 131 seqq.

Chr. Henr. TROTZII *Praef. Operibus Marani ab eo Vltraiecti* 1740 *editis praemissa.*

V. ANTONIVS FABER, praeses Tribunalis Sabaudici. Natus a. 1557, denatus vero 1624.

VI. RVDOLPHVS FORNERIVS, filius Guilielmi Fornerii de quo supra §. 152. num. XX. Docuit Aureliae et circa a. 1624 animam efflauit.

VII. DIONYSIVS GODOFREDVS natus a. 1549 Parisiis. Geneuae, Argentorati, Heidelbergae docuit, et a. 1522 mortale quicquid habuit deposuit.

Mechior SEBITZ *in appendice chronologica orationibus secularibus Gymnasii Argentoratensis adiecta.* Vid. WITTEN l. c. p. 85.

VIII. IANVS A COSTA. Patriam habuit Diuonam Caducorum. In academia Cadurcensi tam quam Tolosana iura professus est, et 1637 decessit.

Io. d'AVEZAN *Vita Iani a Costa Antecessoris Tolosani.* Vid. BVDER l. c. p. 177-204.

IX. EDMVNDVS MERILLIVS, Tricassini a. 1578 natus, Tolosae, Cadurci et Biturice iura professus. Obiit 1647.

Gundlingiana P. VIII. Art. 2. p. 216 seqq.

Franc. Carol. CONRADI Parerga L. II. parerg. VI. p. 293.

Chr Henr. TROTZII *Praef. ad Merillii Comm. ad Inst.* Vltrai 1739 editum.

X. DESIDERIVS HERALDVS, Aduocatus Parisiensis a. 1649 mortuus.

XI. FRAN=

XI. FRANCISCVS FLORENS. In Alexiensi Burgundiae Ducalis tractu circa finem Sec. XVI natus est. Aurelianensis deinde Parisiensis Antecessor, a. 1650 mortuus.

Io. DOVIATII *Vita Francisci Florentis* apud BVDERVM l. c. p. 205-219.

IVGLER *Beiträge zur iuristischen Biographie* P. 1. n. XI.

XII. IO. DARTIS, apud Cadurcos in ipsa prima ciuitate natus a. 1572. Antecessor Parisiensis a. 1651 mortuus.

Io. DOVIATII *Vita Io. Dartis*, apud BVDERVM l. c. p. 221-240.

XIII. CAROLVS HANNIBAL FABROTTVS, Aquis Sextensis, natus 1580. Primum Aduocatus et deinde Professor in patria. Obiit 1659.

XIV. FRANCISCVS BOSQVETVS, Narbonensis. Exercitationibus practicis vacauit, tandemque Episcopus creatus. Decessit 1676.

XV. ANTONIVS DADINVS ALTESERRA, Cadurci sub initium huius Seculi natus. Ad antecessuram Tolosanam vocatus a. 1644. Viuere desiit ibi a. 1682.

XVI. FRANCISCVS DE ROYE, Andegauus. Antecessor Andegauensis factus et a. 1686 mortuus.

XVII. IO. DOUIATIVS seu DOVIAT, natus Tolosae. Relatus ibi a. 1647 in Aduocatorum numerum, anno 1651 Parisiis Professor constitutus. Ex hac vita migrauit a. 1688.

XVIII. AEGIDIVS MENAGIVS, natus 1513 Andegauii, Aduocatus Parisiensis. Obiit 1692.

XIX. INNOCENTIVS CIRONIVS, Academiae Tolosanae Cancellarius.

XX. ALEXANDER CHASSANAEVS, ICtus Parisinus.

§. 159.

Sequuntur nunc ICti *Belgae* quibus *Helueti* iungendi, de quibus in genere notandum hoc aeuo Bel-

 gium

gium produxisse celeberrimos ICtos, et praesertim a medio Seculo XVII in Belgia, prout hucusque in Gallia, floruisse ICtos magni nominis. Qui vero ex his ICtis praesertim notandi, sunt qui sequuntur:

I. HENRICVS SCHOTANVS, Frisius. Primo docuit Leouardiae, a. 1585 vero Professor iurisprudentiae nouae academiae Frisiacae, quae est Franequerae, datus est. Mortuus a. 1605.

II. CORNELIVS GROTIVS, Prof. iur. Lugdunensis ab a. 1575; vsque ad a. 1610 in quo mortuus. Natus vero est Delphis a. 1544.

III. ANTONIVS LECTIVS, Antecessor Geneuensis, deinde Senator. Obiit 1611.

IV. PETRVS GVDELINVS, Louaniensis Antecessor, natus 1555, denatus vero 1619.

Max. WITTEBORT Or. Funebris *in obitum Dn. Petri Gudelini. Habita Louanii in exequiis* 22 *Oct.* 1619. Vid. WITTEN l. c. p. 56 seqq.

V. PAVLVS BVSIVS, Swolla Transisalanus. Creatus est professor Franequerae a. 1610, ast iam a. 1617 ex hac vita migrauit.

VI. HENR. ZOESIVS, qui Amersfortio natales suos debet. Itidem Professor Louaniensis et Gudelini in Professione Pandectarum successor. Obiit 1627.

VII. EVERHARDVS BRONCKHORST, natus Dauentriae a. 1554. Docuit Wittebergae per annum et Erfordiae per biennium. Reuersus Dauentriam ibi Consul factus, et tandem Lugduno-Batauorum vocatus ad iuris professionem. Ibi etiam a. 1627 mors eum oppressit.

Petri CVNAEI Or. *in exequiis clar. viri D. Euerhardi Bronckhorstii a.* 1627 *recitata.* Vid. WITTEN l. c. p. 126 seqq.

VIII. PAV-

VIII. PAVLVS CHRISTINAEVS, natus Mechliniae a. 1553 et supremo senatui Mechlinensi adscriptus. Obiit 1631.

IX. MELCHIOR GOLDASTVS, natione Heluetus. Variorum principum Germaniae consiliarius. Obiit 1635.

X. IO. A SANDE Arnhemio Gelrus. Postquam per aliquot tempus caussarum patronus fuerat apud curiam prouincialem Vltraiectinam, Professor iuris in Academia Frisiaca creatus est a. 1598. Vitam finiuit 1638.

XI. MARCVS LYKLAMA. Docuit Franequerae, postea vero Praetor factus. Tempus mortis incidit in haec tempora.

XII. BERNHARDVS SCHOTANVS, Henrici de quo num. I filius, natus a. 1598. Iuris Professor in Academia Frisica creatus a. 1625, euocatus a. 1635 ad Vltraiectinos et tandem a. 1641 a. Leidensibus expetitus iis operam suam addixit. Vixit vsque ad a. 1652.

XIII. IAC. GODOFREDVS, natus Geneuae a. 1587 ibique docuit, denatus vero a. 1652. Filius Dionysii de quo §. 158 num. VII.

XIV. SIMON GROENWEGEN, oppido Delphinensi ab epistolis a. 1652 mortuus.

XV. ANTONIVS MATTHAEI, filius Antonii Matthaei ICti Marpurgensis et Gröningensis, natus Herbornae a. 1601. Academia Harderouicensis et praecipue nouiter fundata academia Vltraiectensis per eum illustrata. Obiit 1656.

XVI. ARNOLDVS VINNIVS, Monasterii Batauorum a. 1588 natus. Iuris Professor in Academia Lugdunensi 1636 constitutus, ibique vsque ad annum emortualem 1657 magno cum applausu iura docuit.

Adriani Beckerts a THIENEN *Or. Funebris in obitum Arnoldi Vinnii.* Lugd. Bat. 1657. 4.

Abhandlung: *von Arnold Vinnius Leben und Schriften* in den Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. 2. P. 8. pag. 648 seqq.

XVII. IACOBVS MAESTERTIVS, Professor Lugdunensis ab a. 1639, anno 1658 vero mortuus.

XVIII. PAVLVS VOETIVS, Heusdae 1619 natus, a. 1654. Vltraiecti ordinariam iuris professionem obtinuit ibique 1667 naturae debitum reddidit.

XIX. CHRISTIANVS RODENBVRGIVS Traiecti 1618 natales sortitus est, ibique in variis officiis vixit vsque ad finem vitae suae a. 1668.

XX. ABRAHAMVS A WESEL seu WETZEL, ICtus Vltraiectinus a. 1680 mortuus.

XXI. IO FRID. BOECKELMANN, Prof. Leidensis. Natus 1638, denatus vero a. 1681.

XXII. SIMON VON LEEWEN supremae curiae Hollandiae, Zelandiae Westfrisiaeque graphiarius. Natus est a. 1627. et a. 1682 mortuus.

XXIII. REGNERVS CYPRIANVS AB OOSTERGA, Frisius qui docuit Vltraiecti et a. 1687 mortuus.

XXIV. VLRICVS HVBER Frisius a. 1636 natus. Docuit Franequerae et obiit a. 1694.

Caeterum adhuc notandum huc potius, quam ad ICtos Germanos, referendos esse *fratres* WESENBECCIOS Antwerpiae natos, et DOMINICVM ARVMAEVM Leowardiae 1579 natum, et Ienae vbi docuit 1627 defunctum. Quod vero speciatim WESENBECCIOS attinet, alter, MATTHIAS WESENBECCIVS ICtus Ienensis et Vittebergensis, natus est 1531, denatus vero 1586: PETRVS WESENBECCIVS vero, qui ibidem, vt et Altorfi, docuit, nat. a. 1546 et a. 1603 mortuus est.

Ehregott Ioh. Aug. ZEITZ *historische und genealogische Nachricht von dem aus Brabant im XVI Sec. nach Teutsch-*

Teutschland gekommenen Geschlecht derer von Wesenbeck. Franckf. an der Oder 1751. 4.

Nic. Hier. GVNDLING *von des Matth. Wesenbeccii Leben und Schriften.* In EIVS otiis P. 3. c. 4.

Mich. RAVCHBAR *de vita et obitu Matthiae Wesenbeccii.* Witteb. 1687.

Vita Petri Wesenbeccii in ZEIDLERI *Vitis Prof. Iur. Altdorffinorum num.* VII.

§. 160.

Supersunt ICti *Germani* huius seculi, qui numero vincunt reliquos. Potiores vt recenseam, pro instituti ratione, sequentes hic notandi sunt:

I. HARTMANNVS PISTORIS, Lipsiensis, frater Modestini Pistoris (§. 154. num. IV.), curiae prouincialis assessor et consiliarius intimus Saxonicus, a. 1601 mortuus.

II. HENRICVS CAMERARIVS, Professor in Alma academia Rostochiensi, Ducum Lüneburgensium et Pomeraniae Consiliarius a. 1601 defunctus.

Orationes memoriae Henr. Camerarii viri optimi &c. scriptae, altera a Christ. STVRCIO, altera a *Martino* BRASCHIO. Rostochii 1601. 4.

Valentini SCHACHTII Pr. *in funere Henr. Camerarii &c.* publice propositum. Vid. WITTEN l. c. p. 6 seqq.

III. HVBERTVS s. OBERTVS GIPHANIVS, natus a. 1534, Antecessor Altdorfinus et Ingolstadiensis, ac denique Imperatori a Consiliis, mortuus a. 1604.

Vita Huberti Giphanii apud ZEIDLERVM l. c. num. III.

CCXXI WOLFFG. SCHOEPFF, ICtus Tubingensis natus 1679 denatus 1770.

WEIDLICH *l. c. P. I. p. 175.*

CCXXII. FRID. PLATNER, prof. Lipsiensis, ibi natus 1730 et 1771 denatus.

CCXXIII. IO. PETR. BANNITZA, natus 1707. Docuit Viennae, denatus 1771.

WEIDLICH *l. c. P. I. p. 96.*

CCXXIV. IO. CASP. BARTHEL, Prof. Wurceburgensis qui ab a. 1697 vsque ad a. 1771 vixit.

WEIDLICH *l. c. P. I. p. 33.*

CCXXV. FRANC. IVST. KORTHOLT, nat. 1711. Giessae vbi docuit a. 1771 mortuus.

WEIDLICH *l. c. P. IV. p. 205.*

CCXXVI. IO. FRID. POLACK, ICtus Viadrinus. Natus est 1700 et vixit vsque ad a. 1771.

CCXXVII. COEL. KOWALEWSKY, ICtus Regiomontanus qui a. 1700 natus et 1771 denatus.

CCXXVIII. GVST. GEORG. KOENIG a KOENIGSTHAL, variorum statuum imperii Consiliarius 1771 mortuus.

CCXXIX. IO. GVIL. GADENDAM, Prof. Iuris Erlangensis et Kiloniensis, postea Consiliarius iustitiae a. 1771 defunctus.

CCXXX. IO. VLR. L. B. de CRAMER, Prof. Iur. Marpurg. Consil. imper. aul. et camerae imperialis assessor. Natus est 1706. denatus 1772.

WEIDLICH *l. c. P. III. p. 71.*

CCXXXI.

CCXXXI. IO. SAM. FRID. de BÖHMER, Antecessor Hallensis et Viadrinus qui Halae natus 1704 et viuere desiit 1772.

WEIDLICH *l. c. P. II. p. 58.*

CCXXXII. IO. HENR. EBERHARD, Prof. Iuris Seruestanus a. 1772 mortuus.

CCXXXIII. IO. IAC. de ZWIERLEIN, Camerae imperialis procurator 1772 denatus.

CCXXXIV. IGNAT MVLTZER, S. I. Prof. Bamberg. Obiit 1772.

CCXXXV. IO. IAC. REINHARD, Cons. intim. Bado Durl. natus a. 1714 et a. 1772 mortuus.

WEIDLICH *l. c. P. II. p. 16.*

CCXXXVI. GEORG. CHRIST. GEBAVER, Antecessor Goettingensis. Natus 1690 den. 1773.

WEIDLICH *l. c. p. 169.*

CCXXXVII. BENI. GOTTFR. HOMMEL, Prof. iuris Erford. a. 1773 denatus.

CCXXXVIII. HENR. BROCKES, Prof. Ienensis, postea Consul Lubecensis. Natus est Lubecae 1706 ibique decessit 1773.

WEIDLICH *l. c. P. I. p. 210.*

§. 164.

Absolutis ICtis Belgis et Germanis Sec. XVIII, qui vitam cum morte iam commutarunt, nunc et aliqua *reliquorum ICtorum huius Seculi iam demortuorum* mentio facienda. Ast pauci sunt qui huc referri possunt, dum aut incogniti sunt, aut tantam nominis celebritatem per scripta sua non sunt consequuti, vt eorum hic mentio facienda. Qui notandi, sunt fere hi:

I. IACOBVS LA LANDE, natus Aureliae 1622. In patria munere Professoris functus a. 1703 vitam finiuit.

II. GVILIELMVS PROVSTEAV, natus 1626. Aureliae iura professus est, ibique 1715 mortuus.

III. STEPHANVS BALVZIVS a. 1630 natus. Vixit Parisiis ibique Professor iuris canonici in collegio regio fuit. Obiit 1718.

IV. IANVS VINCENT. GRAVINA, Lector Decreti Gratiani in Archigymnasio Romano. Natus in Calabria a. 1664, denatus a. 1718.

V. CLAVD. FLEVRY, ICtus Gall. nat. 1690 den. 1723.

VI. MATTH. TERASSON, ICtus Par. nat. 1669 denat. 1734.

VII. IOAN. PETR. GIBERT, natus in ciuitate Aquensi 1660. Docuit per aliquot tempus in academia patria, postea Parisiis in otio litterario vixit, ibique a. 1736 animam efflauit.

P. BOVGERELL *Eloge de Mr. Gibert.* Paris 1737.

VIII. PETRVS de TOVLLIEV, natus Lutetiae Parisiorum 1659. Docuit in schola Lingensi, deinde ex Professore Lingensi factus Professor Gröninganus. Obiit a. 1737.

Vita Viri Cl. Petri de Toullieu ex Programmate Io Barbeyracii desumta, quam WOLBERS praemisit Petri de Toullieu Collectaneis a se editis.

IX. IOSEPHVS AVERANIVS, Prof. Iur. Pisanus, natus Etruriae a. 1662 et a. 1738 denatus.

X. G. MARIA SCARLATI, ICtus Pisanus 1760 mortuus.

XI. G. BAPT. ALBERTI, ICtus et Ant. Senensis natus 1680 denatus 1761.

XII. IO. PETR. ANCHERSEN, ICtus Hafniensis 1765 mortuus.

XIII. BERNARDVS TANVCCIVS, causarum patronus, iurisque in Academia Pisana interpres.

XIV. DONATVS ANTONIVS ASTENSIS, ICtus Neapolitanus.

MEMB-

MEMBRVM. II.

DE ICTIS ADHVC VIVENTIBVS.

Io. Iac. MOSERS *Lexicon der ietzlebenden Rechtsgelehrten in Teutschland, welche die Rechte öffentlich lehren oder sich sonsten durch Schriften bekannt gemachet haben.* Züllichau 1738. 8. Ibid. 1739. 8.

Gottl. Aug. IENICHEN *Vnpartheiische Nachrichten von dem Leben vnd Schriften der ietzlebenden Rechtsgelehrten in Teutschland, nebst Anmerkungen über des Herrn geheimen Rath Mosers Lexicon der ietzlebenden Rechtsgelehrten in Teutschland.* Leipzig 1739. 8.

Christoph WEIDLICHS *Geschichte der ietzlebenden Rechtsgelehrten in Teutschland, als ein Lexicon der Rechtsgelehrten in alphabetischer Ordnung* Theil I. Merseburg 1748. Theil II. ibid. 1749. 8.

EIVSDEM *zuverlässige Nachrichten von den ietztlebenden Rehtsgelehrten.* Halle P. I. 1757. P. II. 1758. P. III. 1759. P. IV. 1760. P. V. 1761. P. VI. 1765. 8.

EIVSDEM *Lexicon oder kurtzgefaste Lebensbeschreibungen aller ietztlebenden Rechtsgelehrten in Alphabetischer Ordnung.* Halle 1766. 8.

§. 165.

ICtos iam demortuos excipiunt adhuc viventes ICti (§. 145.), quorum alii in *Academiis et Gymnasiis* docent, alii *non.* Pro hac diuersitate itaque de iis sigillatim agendum.

TIT. I.

DE

ICTIS ADHVC VIVENTIBVS QVI IN ACADEMIIS ET GYMNASIIS DOCENT.

§. 166.

Ad ICtos in Academiis et Gymnaſiis docentes refero omnes qui vi publici muneris docendi iura in iis profitentur, ſiue ſint Profeſſores ordinarii, ſiue extraordinarii. Qui vero forte in locis, in quibus Academiae et Gymnaſia florent, viuunt, aſt tamen non docent ibi, eos potius ad ſequentem titulum referendos eſſe cenſeo.

§. 167.

Inter tot Academias et Gymnaſia in quibus florent ICti in iis docentes, praecipue hodie in *Germaniae Academiis et Gymnaſiis* celeberrimi ICti in iis docentes viuunt. Hi itaque nunc ſunt recenſendi, ſecundum ordinem Academiarum et Gymnaſiorum in Germania quem litterarum ſeries determinat, addito, ſi conſtat, anno natiuitatis et ſuſcepti docendi muneris, cum reliqua ex ſcriptis de ICtis viuentibus facile ſuppleri poſſint. Docent vero:

ALTORFII *Io. Alb.* SPIESIVS, nat. 1710. Prof. 1739; *Io. Conr.* STIEGLITZ, nat. 1724, Prof. 1757; *Io. Bernh.* HOFFER nat. 1728. Prof. 1759.

BAM-

BAMBERGAE *Io. Georg.* HACK; *Io. Georg.* RITTER; *Petrus* SCHWAAN; *Georg.* ENGELHARDT.

BÜTZOVIAE *Adolph. Frid.* TRENDELENBVRG, Prof. Helm. 1761. Bütz. 1762; *Io. Matth.* MARTINI; *Io. Christ.* QVISTORP, Prof. 1772.

BREMAE *Dieter.* RVNGE, nat. 1725. Prof. 1751. *Io. Abrah.* AHASVERVS.

BRVNSWIGAE *Christoph* SCHMIDT dictus *Phiseldeck.*

BEROLINI in Gymnasio Vallis Ioachimi *Carl. Ludov.* WESENFELDT.

COBVRGI *Theod.* BERGER, nat. 1683. Prof. 1732.

DILLINGAE *Ioanne* SMYER.

DILLENBVRGI *Ernest. Otto Alex. Corn.* PAGENSTECHER.

DVISBVRGI *Otto Ludov. ab* EICHMANN, nat. 1726. Prof. 1752; *Frid. Gottf.* SCHLEGTENDAL, nat. 1730, Prof. 1752. *Io. Wilh. Frid.* KRAFT, Prof. 1770.

ERFORDIAE *Hier. Erid.* SCHORCH, nat. 1692, Prof. 1732; *Rud. Christ.* HENNE, nat. 1712, Prof. 1736; *Ioh. Ioach* HVNOLD; *A. I.* TVRIN; *Frid. Godofr.* GERHARDI Prof. 1751; *Christ. Frid. Imm.* SCHORCH. *Herm. Ernest.* RVMPEL Prof. 1765. *Io. Christ. Erich.* SPRINGER Prof. 1771; *Ioan. Iust.* WEISMANTEL dictus SCHNEIDER; *Con. Frid.* DIETERICH, Prof. 1773.

ERLANGAE *Io. Iust.* SCHIERSCHMIDT, nat. 1707, Prof. 1743; *Ioh. Christ.* RVDOLPH, nat. 1726, Prof. 1754; *Michael. Godofr.* WERNHER, nat. 1716, Prof. 1761. *Io. Burch.* GEIGER, nat. 1743. Prof. 1762; *Carl. Henr.* GEISLER, nat. 1742, Prof. 1770.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM *Ioach. Georg.* DARIES, nat. 1714, Prof. Ien. 1744. Viadr. 1763; *Io. Gottl. de* HACKEMANN, nat. 1712, Prof. 1741; *Io. Ludov.* VHLIVS, nat. 1714, Prof. 1751; *Georg. Sam.* MADIHN, nat. 1729. Prof. Halensis 1758. Viadr. 1772.

FRIBVRGI *Ioseph. Ant.* RIEGGER.

FVLDAE *Io. Bapt.* FÖSSER; *Ludov.* BECK; *Franc. Leonh. Ios.* BRACK; *Franc. Carol.* SCHLERNTH; *Theod. Phil.* REVBER.

GIESSAE

GIESSAE *Ioh. Christoph.* KOCH, nat. 1732, Prof. 1759; *Christ. Hartm. Sam.* GATZERT, nat. 1740, Prof. 1767; *Lud. Iul. Frid.* HÖPFNER, nat. 1741, Prof. 1771; *Helw. Bernh.* IAVP, nat. 1750, Prof. 1772.

GÖTTINGAE *Georg. Henr.* AYRER, nat. 1702, Prof. 1737; *Georg. Ludov.* BÖHMER, nat. 1715, Prof. 1740; *Christ. Gottl.* RICCIVS, Prof. 1744; *Ioh. Steph.* PÜTTER, nat. 1725, Prof. 1747; *Christian. Frid. Georg.* MEISTER, nat. 1718, Prof. 1750; *Gustav. Bernh.* BECMANN, Prof. 1753; *Io. Henr. Christianus* de SELCHOW, nat. 1732, Prof. 1757; *Iust.* CLAPROHT, Prof. 1759.

GRYPHISWALDIAE *Hermann* BECKER, nat. 1719, Prof. Rostoch. 1747. Bützov. 176 . Gryph. 176 ; *Frid. Phil.* BREITSPRECHER; *Christ. Nic.* SCHLICHTKRVLL, nat. 1736, Prof. 1767.

HALAE *Ioh. Tob.* CARRACH, natus 1702, Prof. 1732; *Daniel* NETTELBLADT, natus 1719, Prof. 1746; *Phil. Iac.* HEISLER, natus 1718, Prof. 1752; *Ernest. Christ.* WESTPHAL, natus 1737, Prof 1761; *Phil.*

Ernst. BERTRAM, natus 1726, Prof. 1763; *Io. Henr.* FRICKE, Prof. Kilon. 1770. Halens. 1773; *Carl Frid.* PAVLI, nat. 1723, Prof. 1751; *Henr. Io. Otto* KOENIG, nat. 1748, Prof. 1772.

HAMBVRGI *Io.* WVNDERLICH.

HANOVIAE *I. B.* HVNDESHAGEN.

HEIDELBERGAE *Petrus* GALLADE; *Franc. Ignat.* WEDEKIND; natus 1710; *Wilh. Ant.* DAHMEN; *Ant.* SCHMIDT, natus 1734, Prof. 1771.

HELMSTADII *Franc Domin.* HAEBERLIN, nat. 1730, Prof. 1751; *Io. Frider.* EISENHARDT, nat. 1720, Prof. 1753. *Io Ludov.* HÖFLER, nat. 1714, Prof. 1754; *Albert. Philip.* FRICKIVS, natus 1733, Prof. 1756; *Carl. Frid.* PAELIKE.

HERBIPOLI *Io. Iac. Ios.* SÜNDERMAHLER; *Io. Nepom.* ENDERS; *Io. Christ. Ioseph.* VNGER; *Georg. Ant.* BEHR; *Ios. Maria* SCHMIDT; *Iosua Ioseph.* RIFFEL.

HER-

HERBORNAE *Wolrad* BVRCHARDI, nat. 1734. Prof. 1755; *Ant. Ph.* WASMVHT, Prof. 1768.

IENAE *Io. Casp.* HEIMBVRG, nat. 1702, Prof. 1729; *Io. Aug.* HELLFELD, nat. 1717, Prof. 1748; *Ioach. Erdm.* SCHMIDT, natus 1710, Prof. 1752; *Car. Frid.* WALCH, nat. 1734, Prof. 1758; *Io. Ludov.* SCHMIDT, nat. 1726; *Iust. Christ. Ludov.* von SHELL-WITZ, *Io. Aug.* REICHARD; *Gottl. Euseb.* OELTZE, Prof. 1769; *Henr. Gottf.* SCHEIDEMANTEL, natus 1742. Prof. 1769;

INGOLSTADII *B. Christoph.* VBLACKER, nat. 1722, Prof. 1768; *Ioh. Ioseph.* PRVGGER, Prof. 1753: *Ioh. Paul.* SVTOR, natus 1706, Prof. 1755; *Bened.* SCHMIDT, nat. 1726, Prof. Bamb. 1754. Ingolst. 1761; *Franc.* SIARDI, Prof. 1766; *Ioseph.* S. I. E. de WEINBACH, nat. 1748, Prof. 1771; *Adamus* WEISHAVPT, nat. 1746, Prof. 1772.

KILONII *Carl. Frid.* WINCKLER, nat. 1722, Prof. 1753.

LIPSIAE *Carl. Ferd.* HOMMEL, nat. 1722, Prof. 1750; *Frid. Gottl.* ZOLLER, nat. 1717, Prof. 1756; *Henr.*

Gottfr. BAVER, nat. 1733, Prof. 1762; *Io. Gottl.* SEGER, nat. 1735, Prof. 1765; *Io. Ludov. Ernſt.* PÜTTMANN, nat. 1730, Prof. 1765; *Io. Tob.* RICHTER, natus 1715, Prof 1750; *Chriſtian. Henric.* BREVNING, nat. 1719, Prof. 1754; *Car. Rud.* GRAEFF; *Henr. Gottl.* FRANCKE, natus 1750, Prof. 1757; *Dav. Gottfr. Aegidius* WILCKE, nat. 1739, Prof. 1766; *Aug. Frid.* SCHOTT. nat. 1744, Prof. 1767.

LIGNITII *Ioan. Chriſt. Gottl.* HEINECCIVS, nat. 1717; *Caſp. Gottfr.* SCHEPLER, Prof. 1752.

LINGENII *Phil.* WASMVHT, nat. 1690.

MARBVRGI *Ioan. Georg.* ESTOR, natus 1699, Prof. Gieſſenſis 1726, Ienenſis 1735, Marburgenſ. 1742; *Aemilius Ludov.* HOMBERGK ZV VACH, nat. 1720, Prof. 1754; *Ioan. Iac.* SORBER, nat. 1714, Prof. 1754; *Ioan. Andr.* HOFFMANN, nat. 1719, Prof. 1754.

MOGVNTIAE *Io. Mich.* DAMM; *Io. Phil.* HAHN, natus 1690, Prof. 1717; *Ioan. Georg.* NEVREVTER; *Ludov. Philip.* BEHLEN. Prof. 1746; *Ioan.* HORIX, Prof. 1757; *Franc. Ant.* DÜRR, Prof. 1757.

PRAGAE

PRAGAE *Ioann. Nepom. Wenc.* DWORZACH de BOOR; *Ios. Franc. Lothar.* SCHRODT; *Ios. Ant.* SCHVSTER; *Ios. Ioan.* de FEIGEL.

RINTELII *Carl. Wilh.* WIPPERMANN, nat. 1728, Prof. 1764; *Io. Nic.* MÖCKERT, Prof. 1764.

ROSTOCHII *Iac. Henr.* BALECKE, Prof. 1752.

SALISBVRGI *Constantin.* LANGHAYDER, Prof. 1766; *Modestus* SCHMETTERER, Prof. 1766; *Io. Phil.* STEINHAVSER, Prof. 1770; *Io. Ios.* de KOFLERN, Prof. 1767; *Io. Ant.* SCHALLHAMMER, Prof. 1767.

SVEVOFVRTI *Car. Frid.* SCHOEPF.

STETTINI *Chr. Lud.* LIBERKÜHN, Prof. 1773.

TREVIRIS *Georg. Christoph.* NELLER; *Ioan. Arn.* MÜNNICH; *Lud. Aug.* SVSEWIND.

TVBINGAE *Christoph. Frid.* HARPRECHT, natus 1700, Prof. 1727; *Luodv. Conr.* SMALCALDER, nat. 1696, Prof. 1735; *Gottfr. Dan.* HOFFMANN, natus 1719, Prof. 1741; *Sixt. Dan.* KAPF, nat. 1734, Prof. 1761; *Eberhard.*

herd. Chriſt. CANZ, natus 1726, Prof. 1759; *Frid. Wilb.* TAFINGER, natus 1726, Prof. 1753; *Io. Dan.* HOFFMANN, Prof. 1767; *Io. Chriſt. Frid.* BREYER, nat. 1749, Prof. 1772.

VIENNAE *Ioan. Henr.* BOCRIS, nat. 1713, Prof. Bambergenſis 1739, Viennenſis 1752; *Paul. Ioſeph.* de RIEGGER; *Car. Ant.* de MARTINI.

VITTEBERGAE *Erneſt. Mart.* CHLADENIVS, nat. 1715. Prof. 1746; *Georg. Frid.* KRAVS, nat. 1718, Prof. Vitteb. 1750, Gedanenſis 1751 et iterum Vittebergenſis 1753; *Mart. Gottl.* PAVLI, nat. 1721, Prof. Gedanenſis 1751. Vitteb. 1764; *Frid. Aug.* FISCHER, nat. 1727, Prof. 1764; *Georg. Stephan.* WIESAND, nat. 1736; *Io. Carl. Gebh.* REINHARD, nat. 1736. Prof. 1767; *Chriſt. Gottl.* HOMMEL, nat. 1736, Prof. 1767, *Gottl. Chriſt.* KLÜGEL, nat. 1737, Prof. 1767.

§. 168.

In praecipuis Academiis et Gymnaſiis *extra Germaniam* docentes adhuc viuentes ICti, ſunt qui nunc ſequuntur:

ÅBOAE *Olof* PRYSS, nat. 1709, Prof. 1747.

ARGEN-

ARGENRORATI *Ioan.* WIEGER, Prof. 1735; *Io. Christ.* TREITLINGER, Prof. 1748; *Ioan. Reinh.* KÜGLER, nat. 1723, Prof. 1756. *Io. Frid.* EHRLEN, Prof. 1761.

BASILEAE *Ioan. Rudolphus* THVRNEISEN, nat. 1716, Prof. 1746; *Ioan. Rudolph.* ISELIN, nat. 1705, Prof. 1757; *Ioan. Henr.* FALCKNER, Prof. 1760.

CERVERAE *Franc.* FINESTERS et de MONSALVO; *Iosephus* FINESTRES et de MONSALVO.

DANTISCI *Daniel* GRALATH, nat. 1739, Prof. 1764.

FRANEQVERAE *Herm.* KANNEGIETER, nat. 1723, Prof. 1751, *Elias* WIGERI, nat. 1730. Prof. 1756.

GENEVAE *Car. Frid.* NECKER; *Peter* PICTER; *Peter* LVLLIN, Prof. 1745.

GRÖNINGAE *Frid. Adolph. von der* MARCK, natus 1719, Prof. 1758; *Ludov. Conr.* SCHRÖDER, nat. 1724, Prof. Herborn. 1753. Gröning. 1761; *Dionysius Gottfr.* van der KEESSEL, Prof. 1762.

HAFNIAE *Petrus Kofoed.* ANCKER, nat. 1710, Prof. 1741; *Henr.* STAMPE, nat. 1713; *Bernh.* MOELLMANN, natus 1702; *Frid. Christ.* SEVEL, nat. 1723, Prof. 1756.

HAR-

HARDEROVICI *Ioan. Alex.* PAGENSTECHER, Prof. Duisb. 1748, Harderov. 1757.

LVSANNAE *Beat. Phil.* VICAT; *Clavel* de BRENLES.

LVGDVNI BATAVORVM *Ioan. Conr.* RÜCKER, nat. 1702, Prof. 1733; *Andr.* WEIS, Prof. Lugd. 1747, *Fr. Wilhelm.* PESTEL, nat. 1724, Prof. Rintel. 1743. Lugd. 1763; *Bavius* VOORDA, natus 1729, Prof. Franeck. 1755, Lugd. 1765.

LONDINI SCANORVM *Laur. Ioan.* COLLING, nat. 1716, Prof. 1753.

MITTELBVRGI in Seelandia *Wilh. Otto* REITZ, natus 1702, Prof. 1736.

MODENAE *Bartholomaeus* VALDRIGHI.

NEAPOLI *Ioan. Ant.* SERGIVS; d'ORIMINI.

OXFORDIAE *Wilhelm.* BLACKSTON.

PADVAE *Petrus* BVSENELLVS; *Stylian.* MASTRACA.

PISAE *Leop. Andr.* GVADAGNI; *Flaminius* del BORGO.

REGIO-

REGIOMONTI *Ioann. Ludov.* L'ESTOCQ, nat. 1712, Prof. 1747; *Sigism. Christ.* IESTER, nat. 1715, Prof. 1739; *Christ. Ren.* BRAVN, nat. 1714, Prof. 1740; *Christ. Gottl.* WEBER, Prof. 1747.

VPSALAE *Daniel* SOLANDER, nat. 1707. Prof. 1743, *Iöns* RISEL, nat. 1719, Prof. 1761; *Christer* BERCH, natus 1735, Prof. 1773.

VLTRAIECTI *Io. Gerh. Christian* RÜCKER, nat. 1722, Prof. Gröning. 1752, Vltrai. 1760; *Petrus* BONDAM, Prof. Harderov. 1763. Vltrai. 1773.

VALENCIAE *Gregorius* MAIANSIVS; BERNI Y CATALA.

TIT. II.

DE RELIQVIS ICTIS ADHVC VIVENTIBVS.

§. 169.

Sequuntur reliqui adhuc viuentes ICti, qui, licet non doceant in academiis vel gymnasiis, per scripta sua tamen nominis celebritatem sunt consequuti. Horum alii viuunt *in germania*, alii *extra germaniam*.

§. 170.

§. 170.

Quod itaque attinet I. *ICtos in germania viventes*, qui publico docendi munere quidem non funguntur, aſt tamen per ſcripta ſua inclaruerunt tales, ſunt:

BEROLINI *Lud. Mart.* KAHLE; *Ioan. Chriſt. Wilb.* STECK.

BRZEVNOVII in Bohemia *Stephan* RAVTENSTRAVCH.

BREMAE *Gerard* OELRICHS.

CASSELIS *Carl. Frid.* KOPP; *Georg.* LENEPP.

CARLSRVHAE *Georg. Erneſt. Ludov.* PREVSCHEN; *Carl. Frid.* GERSTLACHER.

CELLAE *Frid. Eſ.* de PVFFENDORF.

DARMSTADII *Frid. Carol.* de MOSER.

DILLENBVRGI *Ant. Vld.* ab ERATH.

DÜSSELDORFII *Goſw. Ioſ.* de BVININCK.

DRESDAE *Chriſt. Gotth.* L. B. de GVTHSCHMIDT; *Rud. Chriſt.* de BENNIGSEN.

FRANCOF. AD MOENVM *Io. Dan.* ab OHLENSCHLAEGER; *Io. Phil.* ORTH.

GOS-

GOSLARIAE *Iac. Gottl.* SIEBER.

HAMBVRGI *Iac.* SCHVBACK; *Io.* KLEFEKER.

HANOVIAE *Io. Henr.* WOLFART.

HANOVERAE *Dav. Georg.* STRVBE: *Iul. Melch.* STRVBE; *Io. Henr.* IVNG; *Io. Phil. Conr.* FALCKE; *Wilh. Aug.* RVDLOFF; *Rud. Ies.* BÜNEMANN.

HEIDELBERGAE *Phil. Wilh. Ludov.* FLADT.

LIPSIAE *Georg. Gottl.* BOERNER; *Iac. Henr.* BORN; *Trautgott* THOMASIVS; *Carl. Gottfr.* WINCKLER; *Chr. Wilh.* KÜSTNER; *Io. Wend.* NEVHAVS.

LÜBECAE *Carol. Henr.* DREYER.

MONACHII *Io. Ad.* L. B. ab. ICKSTATT; *Wigul. Xav. Moys.* L. B. a. KREITMAYER.

OEHRINGAE *Christ. Ernest.* HASELMANN.

OETTINGAE *Io. Paul.* LANGE.

RINTELII *Diet. Christ.* IHRINCK.

RÖDEL-

RÖDELHEIMII *Frid. Adolph.* SORGE.

STVTGARDIAE *Ioan. Iac.* MOSERVS.

STRELITZII *Ant. Ludov.* SEIP.

TENNSTADII *Bernh. Frid. Rud.* LAVHN.

VLMAE *Eusebius* BEGER.

VINARIAE *Achat. Lud. Car.* SCHMIDT.

VIENNAE *Carl. Ad.* de BRAVN; *Petr. Paul.* IVSTI.

WEISSENBVRGI *Io. Georg.* SCOPP.

WETZLARIAE *Christ.* L. B. de NETTELBLA; *Ioan. Henr.* de HARPPRECHT; *Io. Ferd. Wilh.* BRAND; *Dom. Ferd.* HAAS; *Christ. Iac.* de ZWIRLEIN.

WISMARIAE *Augustinus* de BALTHASAR.

§. 171.

Sunt porro II. *ICti extra germaniam viuentes*, qui scriptis suis inclaruerunt, nec tamen publice docent, quantum nunc recordor, sequentes: ROMAE *Emanuel* DVNIVS; PARISIIS I. B. DENISART et *Durand* de MAILLANNE. HAFFNIAE *Io. Henr.* KIRCHHOF; CVLENBVRGI *Nic.* KLOECKHOFF. PISTOIAE *Ant.* ROSATVS. NEAPOLI *Bernhardus* TANVCCIVS; AMSTELODAMI *H. G.* van VRYHOFF. etc. etc.

PARS III.

PARS III.

DE ICTORVM CONDITIONE QVOAD CORPVS, ANIMAM ET STATVM EXTERNVM.

§. 172.

Vt nihil desit eorum quae de ICtis scitu necessaria sunt, in notitia ICtorum et de eorum conditione quoad *animam*, *corpus* et *statum externum* agendum. Licet vero multa, quae huc referri possunt, ad micrologiam litterariam pertinere videantur, haec doctrina tamen ideo non plane negligenda.

TIT. I.

DE CONDITIONE ICTORVM QVOAD CORPVS.

§. 173.

Licet nemini, ne in mentem quidem venire possit, ICtis aliam, eamque a caeteris hominibus diuersam, infundi naturam; sicque status seu conditio corporis ICti, non differat a statu seu conditione aliorum hominum, praesertim aliorum eruditorum, sub eodem climate viventium et eiusdem aetatis: nonnulla tamen quae ICtorum conditionem quoad corpus concernunt, hic monenda sunt, licet sint talia in quibus cum aliis hominibus, minimum cum aliis eruditis, conueniunt. Quum vero pleraque quae huc pertinent ad micrologiam spectent, breuissimis hunc locum tractabo, et micrologis relinquo, vt hic eruditionis suae vel quasi thesauros exponant.

§. 174.

Ad doctrinam de conditione corporum ICtorum referri quidem poteſt, ſicque huc trahi, recenſio ICtorum *coecorum*; *ſurdorum*; *nimis paruae aut nimis longae ſtaturae*; *inſignis craſſitiei*; *maxima foecunditate praeditorum*; *edacium*, *quique nimio cibi vſu mortem ſibi accelerarunt aut minimum ſanitati ſuae nocuerunt*; *longaeuorum* &c. aſt his ſimilibusque minutiis inhaerere nolo.

§. 175.

Quum ſub temperamentorum nomine veniat mixtura et proportio diuerſorum humorum et particularum in corporibus, praeſertim humanis, exiſtentium, huc etiam pertinet doctrina de *temperamentis ICtorum*. Aſt ſi et vera eſſet de temperamentis fabula a veteribus, ARISTOTELE, HIPPOCRATE aliisque ad noſtram aetatem vsque propagata; fabulam tamen ſaperet ICtis prae aliis hominibus hoc vel illud temperamentum tribuendum eſſe. Metamorphoſin enim talem per iuris ſtudium fieri poſſe, nemo facile ſibi perſuaderi patietur.

Ioan. Frid. WERNHER *de temperamentis ICtorum.* Vitembergae 1733.

§. 176.

Licet porro dentur *morbi* corporis qui huius vel illius generis hominibus proprii, praeſertim conſtet vitam eruditorum ſedentariam efficere eos certis morbis prae aliis hominibus obnoxios eſſe: tales morbos tamen, quibus non niſi ICtorum corpora affici ſolent ignoro, quicquid dicant alii.

P. XYLANDER Epiſtola ad V. F. PLEMPIVM *de aduerſa ICtorum valetudine.*

Io. Herm. FÜRSTENAV Epiſtola ad *Zach. Conr. ab* VFFENBACH *de morbis ICtorum.* Francof. ad Moenum 1721. 8.

§. 177.

§. 177.

Quum hominum sexus omnino ad corporis habitum et conditionem referri debeat, hoc loco etiam de *foeminis iuris peritia instructis* agendum. Desunt vero exempla istiusmodi foeminarum quae temporibus *veterum* ICtorum vixerunt, cum nec C. AFRANIA, quam alii vocant CALPVRNIAM seu CALPHVRNIAM, nec THEODORA Augusta, coniux Imperatoris IVSTINIANI, huc referri possint; quamuis IVVENALIS *Satyra VI* postquam in vers. 241 et 242 notauerat in mulieribus litigandi pruriginem, vers. 243 et 244 ita pergat:

Componunt ipsae per se formantque libellos
Principium atque locos Celso dictare paratae.

Inter *recentiores* ICtos itidem non obueniunt foeminae, quae tanquam iurisperitae innotuerunt. Ast tamen iis temporibus, quo ICti *medii* floruerunt, vidit orbis litteratus foeminas iuris Doctrices et quae publice iura professae sunt. Inter has primum merito occupat locum I. BELTIZIA GOZADINA a. 1500 Bononiae nata et a. 1546 mortua, de qua HILAR. DE COSTE *Tom. 1. Part. 3. des Eloges et vies des Reines, Princesses &c.* p. 522 refert, quod fuerit filia Nobilis Bononiensis quae colum et acum contempsit et studio linguae latinae et iuris se dedit, in eoque tantos fecerit progressus, vt Bononiae Doctorissa creata sit, ac deinceps Institutiones primo privatim, deinde, cum ad professionem vocaretur, publice exposuerit, eiusque plures iuris commentarios typis impressos prodiisse sub nomine ficto et alieno. Iungendae sunt huic II. duae filiae ACCVRSII, quas Bononiae ius publice docuisse testatur ALBERICVS ad *l. qui filium ff. vbi pupillus educari debeat*, quarum nomina vero ignorantur. Eadem fortuna obtigit IOANNI ANDREAE, qui, vt de vxore sua III. MILANCIA, [quam] [n]omi-

dominam suam vocat, et, vt ipse fatetur ad c. 16. *X. de praeb. et dignit*, et c. 54 *de R. J. in 6to* in rebus arduis consuluit, nihil dicam, filias suas IV. BETTINAM et V. NOVELLAM doctrina sua ita imbuit, vt in matrimonium ductae a duobus celeberrimis ICtis, et quidem prior a IOAN. A GEORGIO, et posterior a IOAN. CALDERINO, vti olim patris, sic nunc maritorum, vices in praelectionibus supplere potuerint. ACCVRSIVS et ANDREAE itaque meliorem fortunam experti sunt, quam magnus CVIACIVS, cuius famosissima filia SVSANNA, non subleuauit patrem et maritum, cui, nondum quindecim annos nata, ob summum in mora periculum nupta: sed, si fabula vera, finita patris schola nobilissimi patris auditores Susannulam hanc visitarunt, quod illi petulanter: *se operibus Cuiacii incumbere* dixerunt, mariti tempora vero subtilibus cinxit coronis. Vnde EDMVNDVS MERILLIVS his in eam lusit versibus:

Viderat immensos Cuiacii Nata labores
Aeternum patri promeruisse decus.
Ingenio haud poterat tam magnum aequare parentem
Filia; quod potuit, corpore fecit opus.

Gottl. Aug. IENICHEN Observ. Selectae *de C. Afrania*, quae vltimo Volumini Meditationum *Leyseri* ad Pand. adiectae.

Ioan. REICHII Diss. *qua Calphurnia sapientissima inter mortales femina, a conuitiis Vlpiani vindicatur.*

Herm. Henr. ENGELBRECHT Progr. *Nomothesiae* THEODORAE *Imperatricis specimina quaedam continens.* Gryphisw. 1736.

Io. Frid. IVGLERI Diss. *de eruditione Theodorae Augustae*, Hamb. 1742.

Nic. CATHARINOT *Vie de Madem. Cuias* a Bourges 1684. Reperitur etiam adiectis quibusdam obseruationibus *dans les Pieces fugitiues d'histoire et de litterature d'*ARNAVD. Tom. 2. p. 92.

TIT.

TIT. II.

DE ICTORVM CONDITIONE QVOAD ANIMAM.

§. 178.

In aeſtimanda hominis conditione quoad animam, omnia eo redeunt qualis ſit quoad *intellectum* et *voluntatem*, et, quoad intellectum, inter *capacitatem*, quae ex viribus memoriae, iudicii et ingenii, et *ſcientiam*, quae ex veritatum cognitarum multitudine et varietate, aeſtimanda, diſtinguendum. Hic itaque ſigillatim agendum de ICtorum *capacitate*, *ſcientia* et quoad *voluntatem* conditione.

§. 179.

Quod itaque attinet ICtorum *capacitatem*, eorum ICtorum *veterum*, quos ICtos Romanos ſtricte ſic dictos appellaui, et praeſertim reliquorum praeter ICtos primaeuos, capacitatem, omnino magnam fuiſſe docent, quae ſuperſunt ſcriptorum, quorum auctores ſunt, fragmenta, ita, vt ipſum LEIBNITIVM, acutiſſimum philoſophum, in admirationem rapiat inſigne eorum acumen, dum in *Epiſt. Tom. 1. Epiſt. 119* inquit: „Ego digeſtorum opus, vel potius auctorum vnde „excerpta ſunt labores admiror, nec quicquam vidi, „ſiue rationum acumen, ſiue dicendi neruos ſpectes, „quod magis accedat ad mathematicorum laudem.„ Licet vero, ICtis *mediis*, et praeſertim ſic dictis Gloſſatoribus inter eos, obiici ſoleat craſſa ignorantia: quoad capacitatem tamen nihil in iis deſiderari poteſt, ſed potius, et hos ICtos praeſertim magno acumine praeditos fuiſſe, teſtantur eorum ſcripta. *Recentiores*

ICtos tandem hebetioris ingenii esse nemini vnquam in mentem venit, et vah! quam vastum et capax ingenium non requirunt tot inter se diuersissima iura, ciuilia, ecclesiastica, clientelaria, publica, priuata, romana, patria.

Conferri hic etiam merentur scripta de ICtis praecocibus et autodidactis supra §. 37. allegata.

§. 180.

Sufficiant haec de capacitate ICtorum. De eorum *scientia*, et quidem *generatim*, notandum olim, disciplinarum diuersarum limitibus non ita, vt hodie, constitutis, ICtos *antiquos* omnino variarum plane diuersarum veritatum notitia tinctos fuisse, hincque multiscientiae laudem mereri. *Medios* ICtos e contra quod attinet, eos, ast potius seculi, quam suo vitio, multa ignorasse, quae interpretem Iuris Romani et Canonici fugere non debent, iisque recte obiici linguae latinae et graecae ignorantiam stilique barbariem, antiquitatis et historiarum imperitiam, et denique methodi neglectum, negari nequit; licet eorum ignorantia tam crassa non fuerit, ac vulgo dici solet. Ast quid de *nouorum* seu *recentiorum* ICtorum scientia dicendum? Omnino, si quid video, magna et varia fuit, et, quod attinet viuentes, adhuc est, ita, vt iis maiori iure multiscientiae laus tribuenda quam veteribus, indeque exstent multa et insignia horum ICtorum merita in alias scientias et artes praeter iurisprudentiam. Licet vero haec ita se habeant, negari tamen nequit non deesse inter eos *ICtos semidoctos* quorsum referri debent, qui de legum intelligentia parum solliciti, tunc se putant, quod in arte nostra summum est, consequutos, quando multas leges, vel minus intellectas, vel ad rem nihil facientes, accumulare et ad singula verba Bartoli,

Baldi,

Baldi, Accursii manes euocare didicerunt. Nec minus tales sunt, qui solo critices studio dediti, id vnice per omnem vitam agunt, vt leges figant refigantque, modo syllabam in exilium agentes, modo eiectam ab alio restituentes in integrum. Tandemque et in hunc censum veniunt, qui in interpretandis peregrinis legibus omnem impendunt industriam, sed de huius scientiae vsu in foro, patriique iuris reliquiis, parum soliciti sunt,

Ioan. Gottf. SCHAVMBVRG Or. ausp. *de multiscientia veterum ICtorum eiusue caussis.* Vid. EIVS Tractatio de iurisprudentia veterum ICtorum Romanorum Stoica, cui haec oratio num. II annexa.

Herm. CANNEGIETER *de multiplici et varia veterum ICtorum doctrina.* Franeq. 1751 fol.

Iac. BORNII Progr. *de vitiis quae Glossatoribus obiiciuntur.* Lips. 1678.

Abrah. WIELING Or. *pro glossatoribus*, quae adiecta est EIVS lectionibus iuris ciuilis.

Car. Ferd. HOMMELII Praef. *de barbaris iuris interpretibus*, praemissa Continuationi III. notitiae auctorum iuridicorum Beyeri.

Frid. PLATNER Epist. ad Bachium *pro ICtis qui litteras elegantiores contemnunt.* Lips. 1750. Vid. etiam EIVS *Lanx satura* p. 51 seqq num. III.

Chr. Frid. WILLISCH *de ICtis egregia litterarum elegantiorum laude illustribus.* 1709.

Frid. Christ BAVMEISTER Pr. *de ICtis quibusdam de humanitatis litteris bene meritis.* In EIVS Exercit. Acad. et Schol. p. 122 seqq.

Io. Gottl. STOER Pr. *de ICtorum in rem metallicam meritis.* Lips. 1745.

Io. Georg. IOCH Pr. *de meritis ICtorum speciatim Iac. Godofredi in historiam ecclesiasticam.* Erf. 1722.

* *Theod.* ROBERTI *Elogia ICtorum et Politicorum centum illustrium, qui orientales linguas promouerunt.* Lipsiae 1728.

Gottl. Erid. GVDE Diatribe hiſtorico - critica, *de meritis ICtorum in ſcripturam ſacram.* Lipſ. 1729.

Io. Chriſt. STEMLERS Abhandlung: *von den Verdienſten einiger Rechtsgelehrten vm die chriſtliche Religion.* Naumb. 1731. 4.

Io. Chriſt. MYLII Or. *de patrocinio Auguſtanae confeſſioni ab ICtis praeſtito et praeſtando adhuc.* Ienae 1735. 4.

Traugott. Imm. IERICHOVII Epiſt. *de ICtis theologis.* Lipſ. 1721.

Ioan. Gottl. HEINECCII Or. *de ICtis ſemidoctis*, dicta Francof. ad Viadrum 1727, et in EIVS Sylloge Opuſculorum variorum pag. 519 ſqq.

§. 181.

Quod *ſpeciatim*, quoad ICtorum ſcientiam attinet *latinitatem et ſtilum veterum ICtorum Romanorum ſtricte ſic dictorum*, ante omnia hic diſtinguendum inter latinitatem ſtilumque horum *ICtorum*, et latinitatem ſtilumque *corporis iuris Romani*; licet quoad Pandectas vtraque latinitas fere eodem redeat. Quum itaque de *priori* latinitate et ſtilo hic tantum agendum, quoad eam iterum praemonendum, aetatem veterum ICtorum diſtinguendum eſſe, vt de latinitate et ſtilo eorum accurate iudicari poſſit, prout nimirum vel de ICtorum veterum primaeuorum, qui itaque Auguſteo vixerunt Seculo aut illud anteceſſerunt, vel de reliquorum ICtorum Romanorum ſtricte ſic dictorum praeter primaeuos (§. 81. ſeqq.) latinitate et ſtilo ſermo eſt. Priorum latinitas et ſtilus enim omnem quem habere poteſt habet nitorem, qui quoad poſteriores aliquo modo deficit, praeſertim quoad eos ICtos qui a TRAIANI obitu vixerunt. Interim tamen, licet in vitio iis poni ſoleat, quod priſcis et obſoletis vſi ſint dictionibus; graeca immiſcuerint latinis; a verbis nouis et minus probatae latinitatis non abſtinuerint &c. ad commenda-

mendationem latinitatis et ſtili eorum tamen pertinent verborum proprietas; ſtili puritas; perſpicuitas; ornatus et figurae &c.

I. C. P. I. C. A. *veterum ICtorum adverſus Laurentii Vallae reprehenſiones defenſio.* Pariſiis 1583. 8

Car. Andr. DVCKERI *Opuſcula varia de latinitate ICtorum veterum.* Lugd. Bat. 1711. 12. Lipſiae 1772.

Georg. Caſp. KIRCHMAIER *Elogia et elegantiae latinitatis ICtorum veterum adDigeſta.* Witteb. 1687.

EIVSD. *Amoenitates atque Veneres latinitatis in dictionibus et formulis ex Pandectarum iuris voluminibus repreſentatae.* Ibid. 1688.

EIVSD. *Latinitas legalis praeter meritum ſuſpecta, ex Pandectis iuris eruta et vindicata.* Ibid. eod.

EIVSD. *Latinitas, vel praeter meritum, vel merito ſuſpecta, e Pandectis iuris eruta et recognita.* Ibid. 1690.

Quatuor haec opuſc. Kirchmaieriana cum duobus aliis latinitatem Inſtitutionum concernentibus prodierunt Halae 1772. ſub titulo: *Georg. Caſp.* KIRCHMAIERI *Opuſcula VI. de latinitate Pandectarum et Inſtitutionum Diui Iuſtiniani Imperatoris.* 8.

§. 182.

Tribus etiam quoad ſcientiam veterum ICtorum Romanorum de eorum *philoſophia* hic agendum. Poſtquam philoſophi, philoſophia dudum apud Romanos neglecta, Romam ducti, quorum primus fuit PANAETIVS ſtoicae familiae addictus, et ICti ad philoſophiam et quidem ſtoicam ſe contulerunt. Licet vero ſucceſſu temporis et aliorum philoſophorum diſciplinae apud Romanos magno ſtudio excultae, imprimis vero Academicis multum tribuerint Romani; veteres ICti romani tamen, reliquis philoſophorum ſectis neglectis, potiſſimum Stoicae philoſophiae dediti fuerunt, cuius rei

causa partim a temporum rationibus, partim ab ipsis huius sectae institutis, arcessenda.

Iust. Henn. BOEHMER Progr. *de philosophia ICtorum Stoica.* Halae 1701.

Euerh. OTTONIS Orat. *de stoica veterum ICtorum Philosophia.* Duisb. 1714 recitata et inter EIVS Dissert. Amstel. a. 1723 edita.

EIVSD. Orat. *de vera, non simulata ICtorum philosophia,* habita Trai. Bat. 1722 itidem inter Dissert. EIVS Amstel. 1723 edita.

Ioan. Sam. HERING. Diss. *de Stoica veterum Romanorum iurisprudentia.* Sedini 1719.

Gottl. SLEVOGT *collectio opusculorum de Sectis et philosophia Iurisconsultorum.* Ienae 1724. 8. quae continet citata scripta *Boehmeri, Ottonis* et *Heringii.*

Ernst Ioach. WESTPHAL *de Stoa ICtorum Romanorum eiusque historia et ratione.* Rostochii 1727.

Io. Gottfr. SCHAVMBVRGII Tractatio *de iurisprudentia veterum ICtorum Romanorum Stoica.* Ienae 1745. 8.

Io. Guil. HOFFMANN Diss. *de dialectica veterum ICtorum,* quae EIVS meletematibus ad ff. praemissa est.

§. 183.

Restat vt et in ICtorum conditionem quoad animam ratione *voluntatis* inquiram, vbi de eorum *virtutibus* et *vitiis moralibus* agendum. Licet vero, quum nemo mortalium sine vitiis nascatur, nihil humani ab ICtis alienum, sicque negari nequeat et inter ICtos bonos esse mixtos malis, indeque praeter ICtos vitiis, quorum iam alia occasione supra (§. 37.) mentio facta, deditos, nec desint tales qui a *pedantismi*; *charlataneriae* seu *ostentationis*; *impietatis*; *assentationis et adulationis*; *inconstantiae* &c. nota liberari nequeunt: non tamen malorum ICtorum numerus, ita vincit numerum bonorum, vt ideo tota ICtorum natio atro carbone

ne notanda. Fuerunt potius, et sunt adhuc, inter ICtos qui *pietatis; modestiae; tolerantiae* aliarumque virtutum moralium egregia ediderunt, et adhuc quotidie edunt, specimina.

E. A. O. C. PAGENSTECHER *leges explicitae de virtutibus ICtorum.* Herb. Nassov. 1741. 8.

I. F. I. (*Io. Frid.* IVGLERI) *zufällige Gedancken von der Pedanterei einiger Rechtsgelehrten.* In der Hamburgischen vermischten Bibliothec Vol. I. P. III. p. 405 seqq.

Io. Carl. BRETSCHNEIDERS *Schreiben von der iuristischen Pedanterey an Herrn Carl Friderich Moser.* Francf. und Leipz. 1749. 4.

Frid. Carl. MOSERS *Antwortschreiben von der iuristischen Pedanterey.* Francf. 1751. 4.

XENAGOGI *Grundris des iuristischen und medicinischen Scharletan.* Franckf. und Leipz. 1743.

Georg. Ludw. SCHMELTZEISEN Or. *de pedantismo iuridico.* Francof. 1720. fol.

Io. Ad. SCHERZER *de περιεργια ICtorum.* Lips. 1730.

Io. Ludov. LANGGVHT *de ostentatione iuridica.* Lips. 1737.

Aug. LEYSER *de assentationibus ICtorum.* Viteb. 1712. rec. Helm. 1726 et 1741.

Car. Henr. FLÖRCKII *Epist. de ICto adulatore.* Ien. 1720.

Herm. Henr. ENGELBRECHT Pr. *de inconstantia ICtorum sigillatim Decii, Alciati et Balduini.* Gryph. 1738.

Gottl. Aug. IENICHEN Observ. selectae: *de ICtis Romanis illustribus absolutissimae perfectissimaeque virtutis exemplis.* In EIVS Observ. Selectis ad *Leyseri* Medit. ad Pandectas.

Io. Sal. BRVNQVELLII Prol. *de retractationibus veterum ICtorum quorum fragmenta in Digestis supersunt.* Ien. 1726. 4. et Lips. 1738. cura IENICHENII qui praefatus est, vitam Brunquellianam praemisit, et notulas adiecit.

August.

August. LEYSER *de variationibus et retractationibus ICtorum liber singularis.* Helmst. 1713. Recensuit opus denuo edidit et praefatus est *Gottl. Aug.* IENICHEN, Lips. 1737.

Corn. van ECK Or. *de religione et pietate veterum ICtorum.* Vltrai. a. 1717. rec. Halae 1724 et in SLEVOGTII Collectione supra §. 182. allegata.

M. Henr. Engelh. SCHWARZ *de pietate et meritis ICtorum in ecclesiam.* Lips. 1739.

Christ. Aug. HEVMANN Diss. *de ICtis Germ. Sec. XVI disciplinae suae adiungentibus et theologiae et pietatis studium.* Goett. 1738.

Rud. Henr. ZIEGLER *de ICto bono et christiano.* Ers. 1711.

Ioan. Phil. SCHMIDII *Iuristen gute Christen, siue Schediasma historico iuridicum de pietate et scriptis theologicis ICtorum* Rostochii 1730.

Io. Gottl. HEINECCII Pr. *de ICtis reformationi ecclesiae praeludentibus.* Francof. 1730 et in EIVS Opusculis p. 736 seqq.

Io. Henr. a. SEELEN *ICtorum qui Lutheranismo insigniter profuerunt τετρας.* Lubecae 1730, nec non in EIVS Stromatibus Lutheranis p. 447.

M. Io. *Nic.* SINNHOLD Epist. *de meritis ICtorum in religionem christianam.* Erford. 1735.

Io. Andr. HELWIG Or. *de meritis ICtorum pomeranicorum in restitutum, introductum et stabilitum verum in Pomerania euangelium.* Gryph. 1730.

Frid. FRISII Pr. *de ICtis qui reformationem Lutheri adiuuarunt.* Lips. 1730.

Gottfr. MASCOVII Or. *de modestia veterum ICtorum.* Harder. 1729. rec. Lips. 1741.

Ant. MATTHAEI Or. *de modestia veterum ICtorum,* quae exstat inter EIVS orationes Vltrai. 1655 in 12 excusas. Orat. X. p. 266.

EIVSD.

EIVSDEM Or. *de abstinentia ICtorum.* l. c. Orat. XI. pag. 292.

Carl. Otto RECHENBERG Pr. *de tolerantia ICtorum.* Lipf. 1742.

Conr. FRIEDLIEB Diatr. *de honestate et modestia ICtorum.* Hamb. 1679.

TIT. III.

DE ICTORVM CONDITIONE QVOAD STATVM EXTERNVM.

Io. FESTING *de honoribus ICtorum eorumque insidiatoribus.* Rostoch. 1682.

Georg. Ludw. GOLDNER Epist. *de ICtorum dignitate* Gerae 1707 f.

Ant. Vld. ERATH Diff. epist. *qua iurisprudentiam et ICtos aduersus male de iis sentientes tuetur.* Helmft. 1728.

Henr. ERNSTII *Statera iurisprudentiae et ICti.* Arnsted. 1622. 4.

Io. KOEBER *de ICtorum dignitate a maleuolorum probis vindicata.* Ger. 1681.

Adrian. STEGER Diff. epist. *de honoribus veterum ICtorum.* Lipf. 1743.

§. 184.

Varia sunt quae ad ICtorum statum externum referri possunt, quorum alia speciatim persequi vix operae pretium est: alia vero merentur omnino vt eorum speciatim mentio fiat, quorsum refero, quae de ICtorum *priuilegiis; muneribus publicis; natalium splendore; honoribus stricte sic dictis; auctoritate; elogiis*; nec non

non eorum *osoribus et obtrectatoribus* notatu digna obveniunt.

§. 185.

Quod itaque attinet I. *ICtorum priuilegia*, ne quadrata misceantur rotundis, huc referri nequeunt priuilegia omnibus eruditis in genere competentia; sed potius non nisi talia, quae ICtis propria sunt. Haec priuilegia vero sunt iterum, vel ICtis *qua talibus*, vel ICtis *propter dignitates academicas in iure* quibus ornati sunt, competentia priuilegia. Prioris generis priuilegia, sicque talia quae iis propria sunt, et omnibus iis qui ICti sunt, quoniam ICti sunt, competunt, non dantur. Ast, quod attinet posterioris generis priuilegia, sicque eorum inter ICtos qui dignitates academicas in iure obtinuerunt propria, ad ea referri posset nobilitas in iure rite et legitime promotorum et inde dependentia iura, veluti ius adspirandi ad canonicatus, si modo hoc priuilegium ICtis promotis proprium, et nobilitas doctorum academicorum extra omnem posita esset controuersiam. Licet vero defendi nequeat hanc nobilitatem propriam esse doctoratui iuris, certum tamen est olim admodum honorificum fuisse doctorum academicorum statum et doctoribus nobilitatem, equestri non solum parem, sed et quodammodo superiorem, fuisse attributam. Verum enim vero non perdurauit ista doctorum in genere, et in specie iuris doctorum, existimatio, sed iam inde a seculo decimo sexto imminui coepit, vt pedetentim plurimum amiserint de sua dignitae Doctores, cuius rei variae allegari possunt causae, inter quas et ea est, quod academiae sibi religioni non duxerint dignis et indignis conferre Doctoris gradum, sicque non semper doctus ICtus sit, qui Doctor iuris salutatus, sed plures reperiantur

in

in hoc gradu doctorali, qui in ſolo titulo de iuris et facti ignorantia progreſſus fecerunt.

Iac. BENNII *de priuilegiis ICtorum liber.* Venetiis 1602. 4.

G. v H. (*Gottl.* von HAGEN) Diſcurſus: *de natura et ſtatu verae nobilitatis et doctoratus iuris* Hamb. 1602. 4. quem ITTERVS tractatui ſuo de Gradibus academicis adnexuit.

Leonhardi BAVERI Tract. *de nobilitate ICtorum aliisque eorundem praerogatiuis.* Viennae 1711.

Chriſt. Wilh. LOESCHERI Epiſt. *de praerogatiuis doctorum iuris prae aliarum facultatum ſupremis gradibus.* Vinariae 1720.

IDEM *de periculo ſimul et incommodis Doctoratus iuridici.* Vinariae 1714.

Ioach. WECCII Diſſ. *de priuilegiis Doctorum iuris.* Helmſt. 1638.

I. F. C. KRAVSII Epiſt. *de iuribus et praerogatiuis, I. V. Doctorum in Saxonia electorali.* Lipſ. 1752.

Ge. Tob. SVENDENDÖRFFER *de priuilegiis Doctorum iuris in Academia Lipſienſi creatorum* Lipſ. 1673.

§. 186.

Porro II. *Munera publica* ſplendiſſima, tam ea quae *eccleſiam* et rem ſacram, quam ea quae *reipublicae* negotia reſpiciunt, ICtis ab antiquiſſimis inde temporibus delata eſſe, et adhuc deferri, noto notius eſt. Sic praeſertim apud Romanos veteribus ICtis cuiuscunque generis publica munera ſunt delata, indeque occurrunt ICti Romani *Pontifices, immo Pontifices maximi, Conſules, Praetores, Cenſores, Praefecti vrbi, Interreges, Dictatores, Magiſtri Equitum, Tribuni plebis, Aediles curules, Proconſules, Legati &c.* Nec minus,

minus, medios et nouos ICtos quod attinet, inter eos multos obuenire *Pontifices*, *Cardinales*, *Archiepiſcopos*, *Epiſcopos*, et ſplendidiſſima munera publica ſecularia iis ſemper delata eſſe, et adhuc deferri, nemo ignorat.

Didaci SIMANCAS *De Epiſcopis iurisperitis Opuſculum.* Antwerpiae 1579.

§. 187.

Quoad ICtorum III. *natalium ſplendorum*, inclaruerunt inter eos viri ſummo loco nati, et multis eorum, infulae doctoralis ſplendore illuſtres maiorum imogines illuminari, indecorum non viſum. Non deſunt itaque *Principum*, *Comitum*, *Baronum*, et *Nobilium* inter ICtos exempla. Praeſertim Teutonicae nobilitatis inſignia exſtant in iurisprudentiam germanicam merita.

Io. Car. Conr. OELRICHS *De Friderico Wilhelmo Doctore iuris ex numo.* Stetini 1765. 4,

Georg. Chriſt. GEBAVER Progr. *inuitat. ad ſolemnia inauguralia* BENED. BREMERI *Equitis Bremenſis de praecipuis exemplis nobilium*, *qui gradu I. V. D. ſe condecorari non dedignati ſunt.* Goett. 1741. 4.

Io. Frid. WAHL Progr. *de commutatione dignitatum ſagatae et togatae militiae*, *equeſtris ſcilicet et doctoralis honoris.* Goett 1747, quo ſolennia inauguralia uiri Perill. L. B. de KNIGGE indixit.

Ioan. Frid. EISENHARDT Oratio: *de meritis nobilitatis Teutonicae in iuris Patrii conſeruationem.* Helmſt. 1755. et in EIVS Opuſc. num. XIX.

§. 188.

Ad ICtorum IV. *honores ſtricte ſic dictos* refero 1) triumphi et funeris vel ſepulchri publici honores, ICtis

ICtis Romanis ſaepius decretos Porro huc pertinent, quoad omnis aeui ICtos; 2) ſingularis amicitia et fiducia qua a Principibus dignati ſunt; 3) nummi in eorum memoriam cuſi; 4) ſtatuae et ſplendida epitaphia iis poſita; 5) pictae et vel aeri, vel ligno, inciſae eorum imagines; 6) relatio eorum in numerum Sanctorum, et quae ſunt ſimilia.

Scripta de iconibus et epitaphiis ICtorum ſupra §. 19 et 22 allegata.

Io. ROBERTI Elogia &c. vid. §. 64.

§. 189.

Pertinet porro ad conditionem ICtorum quoad ſtatum externum V. *ſumma actoritas* qua ICti omnis aeui gauiſi ſunt. Praeſertim vero veterum ICtorum Romanorum auctoritas magna fuit, eaque non demum ſub Imperatoribus coepit, ſed et iam liberae reipublicae temporibus ea apud Romanos plurimum valuit; eſtque haec inſignis auctoritas partim omnibus communis, partim talis qua ſpeciatim hi vel illi veterum ICtorum Romanorum pollebant.

Chriſt. Henr. ECKHARDT Epiſt. *de regno iudiciali veterum ICtorum.* Ienae 1741. fol.

Mich. Henr. GRIEBNERI Progr. *de νομοθεσια veterum ICtorum,* ſeu *de titulo ICtorum quo iuris auctores, conditores appellantur.* Lipſ. 1730.

Chriſt. Henr. BREVNING *de ICto nomotheta.* Lipſ. 1766.

Car. Ant. KEVFFEL *Hiſtoria auctoritatis prudentum apud Romanos. Sectio* 1. Helmſt. 1767.

§. 190.

Quod attinet VI. *elogia ICtorum*, alia ſunt veterum ICtorum Romanorum elogia; alia mediorum; alia recentiorum. Quoad elogia *veterum ICtorum romanorum*, diſtinguendum eſt inter elogia quae ICtis propter grauiſſima quae geſſerunt munera tributa, quorſum ſpectant tituli *Illuſtrium*, *Spectabilium*, *Clariſſimorum* &c. et quibus propter iuriſcientiam condecorata. Poſteriora ſunt huius loci, ſuntque vel generalia, quorſum pertinet e. g. quod *ſacerdotes iuſtitiae*, *iuris auctores conditoresque* appellati ſint; vel ſpecialia, veluti elogium σόφȣ quo SEMPRONIVS, NASICA et ATTILIVS, ICti ſub libera republica florentes, mactati ſunt; *coryphaei legum prudentum*, quo elogio ornantur IVLIVS PAVLVS et DOMITIVS VLPIANVS; *iuris aſyli et doctrinae legalis theſauri*, quod tribuitur PAPINIANO, qui etiam *vir conſultiſſimus*, *prudentiſſimus* et *ſapientiſſimus* a priſcis et recentioribus crebro vocatur. Quod vero attinet *mediorum ICtorum* elogia varia excogitata ſunt ab eorum diſcipulis, ridicula plerumque, elogia. Sic enim IRNERIVS vocatus eſt *lucerna iuris*; AZO *vas electionis et veritatis tuba*; BVLGARVS *os aureum*; MARTINVS GOSIANVS *copia legum*; BARTHOLOMAEVS CAPVENSIS *ianua legum*; IOANNES ANDREAE *tuba et archidoctor iuris canonici*, porro *iurisprudentum vertex*, vt et *irradiator iuris canonici*, nec non *Rabbi doctorum*; ALBERICVS ROSATA, *arca legum* et *magnus practicus*; ALBERICVS A PORTA RAVENNATE, *omnium Doctorum Princeps*; BARTOLVS *legum illuminator et ICtorum ſignifer*, imo *lampas iuris* et *Deus tutelaris interpretum*, nec non *Dux coecorum* et *optimus iuris auriga*; BALDVS, *iuris vtriusque Monarcha*, et *legiſtarum coryphaeus*; GVILIELMVS DVRANDI, *pater practicae*; NICOLAVS DE NEAPOLI, *magnus textualis*; ALBERICVS, *Doctor declaratiuus et cumulatiuus*;

tiuus; IOANNES DE LIGNANO, *canonum et legum summus capitaneus*; HVGOLINVS, *anima legis*; VINCENTIVS CASTILIONEVS *subtilitatum princeps*, *et summus Canonista*; ANDREAS DE ISERNIA, *euangelista feudistarum* &c. Hodie adhuc vsitata elogia *ICtorum recentiorum* sunt, dum appellantur: *iustitiae sacerdotes*; *Astraeae filii*; *Themidos filii*, et maximum ICti elogium est, quod sit *aeui nostri Papinianus*.

Gottl. SLEVOGT Praef. *de elogiis ICtorum Romanorum* praemissa eius collectioni opusculorum de Sectis et Philosophia ICtorum.

Io. Iac. BOSE Epist. *de ICtis sacerdotibus iustitiae*. Lips. 1739.

Io. KLEIN Diss. sub Praesidio RADOVII habita *de officio ICtorum sacerdotali*. Rost. 1682.

§. 191.

Habuerunt tamen, ne quid dissimulem, et habent adhuc ICti suos VII. *osores* et *obtrectatores*, id quod neminem in admirationem rapere potest, qui recordatur non tam bene cum rebus agi humanis vt meliora omnibus placeant, et in tanto ICtorum numero non deesse qui omnino contemtu digni, nec muneris sui partes recte implent, veluti ICti semidocti, qui cruda studia in forum propellunt, quaestuariam caussidicinam exercent, et male morati homines sunt. Hinc excogitata sunt tot scommata in ICtos iniuriosa, et ipsum nomen ICti innumeris conuitiis affectum, quorsum pertinet quod legum Doctores, *legum dolores et contortores*; Iuristas *Iurgistas et bonorum extortores*; Iurisperitos, *iuris perditos* appellent, et illud OWENI:

Iurisprudentes, prudentes iure vocantur.
Tam bene cum ſtudeant prouideantque ſibi.

Cum quo fere conuenit Poetae illud, quo Arithmeticis illos comparat, lepidum carmen:

Callet Cauſidicus numerandi quatuor artes
Litem addit liti, iurgia multiplicat.
Subtrahit argentum, numerosque clientibus aufert
Humanumque genus diuidit atque ſecat,

Aſt omnia haec conuitia ſuperat infame illud carmen in *Iac.* SOLODORENSIS *Moralibus* obuium:

Dirue Iuriſtas Deus, vt Satanae cithariſtas
Linguas venales qui dicunt et ſymoniales.
O Deus, extingues hos pingues et bilingues.
Frontis enim tritae ſunt, horrendae quoque vitae
Hi ſunt fautores celerum, fraudisque miniſtri &c.

Speciatim nec ipſi *ICti veteres Romani*, licet in magna vixerint dignatione, ab oſoribus et obtrectatoribus liberi fuerunt, quum conſtet de CALIGVLAE conſiliis eos extirpandi ex *Suetonio* Cap. 34, et de CICERONIS in ICtos ſtomacho ex eius ſcriptis, praeſertim *Oratione pro L. Muraena.* Porro notum eſt, quo odio proſequuti ſint veteres Germani *cauſidicos romanos*, et recepto iure Romano in Germania, oſores et contemtores ICtorum in Germania non defuerunt, nec adhuc deſunt. Huc pertinet 1) Scabinorum antiquorum odium quo primos ICtos in Germania proſequuti ſunt Si et 2) defendi poſſet famoſam illam Reformationem de a. 1441 apud GOLDASTVM, de Doctoribus iuris plane abolendis, FRIDERICO III. adſcribi

ſcribi ſolitam, in Germania ne quidem propoſitam in comitiis, multo minus perlatam eſſe, FRIDERICVM III tamen mediocriter dilexiſſe ICtos, negari nequit. Fatendum quoque 3) quasdam ciuitates, veluti Norimbergenſem, Auguſtanam &c. minus fauiſſe ICtis, et eos in ordinem Senatorum recipere noluiſſe. Porro conſtat 4) MELANCHTONEM, et praecipue LVTHERVM, non ſemper honorifice ſenſiſſe de ICtis. Tandem 4) tempore receptionis iuris Romani in Germania ortum prouerbium: *Iuriſten böſe Chriſten* et 5) alia Germanorum ſcommata in ICtos iniurioſa, dum eos vocant *Zungendröſcher*; *Beutelfeger*; *Buntmacher*; *Cauſenmacher*, *Galgenprediger* &c. quae olim et hodie in ore habere ſolent male de ICtis ſentientes homines, ſatis euincunt tales homines nec defuiſſe olim, nec deeſſe adhuc in Germania.

Auguſt. de LEYSER Pr. *de ſummo iurisprudentiae et ICtorum in Romana republica contemtu.* Viteb. 1607.

Georg. RICHTER Or. *de ſtomacho Ciceronis in ICtos.* Vid. EIVS Orat. Dec. 2. p. 182.

Io. Nic. FVNCCII Pr. ſub titulo: *Apologia pro iuris ſcientia a Cicerone in oratione pro Muraena traducta.* Marb. 1754. fol.

Io. LVZAC *Obſeruationes nonnullae apologeticae pro ICtis Romanis ad locum Ciceronis in Orat. pro Muraena Cap. XI-XIII.* Lug. Bat. 1768. 4.

Dan. Frid. IANI Obſerv. *de odio veterum Germanorum in cauſarum patronos*, quam Tom. IV. num. 88. *Miſcellaneor. Lipſienſ.* inſeruit.

Guil. LEYSERI Pr. *quo animaduerſionibus illuſtratur decantatiſſima conſtitutio de a.* 1441. *Art. V de Doctoribus iuris ab omnibus muneribus publicis penitus arcendis.* Vitemb. 1682.

Ioan. Reinh. KÜGLER *Vindiciae hiſtorico iuridicae Iuris Romani et ICtorum in Germania contra Reformationem de a.* 1441 *Friderico III. adſcribi ſolitam.* Argent. 1748.

Io. Frid. EISENHARDT Or. *de Friderico III. Imperat. ab odio in ICtos liberato.* In EIVS Opuſc. num. XX.

Georg. RICHTER Or. *de Doctoribus iuris quos Lutherus viperas Theologorum appellat*, habita Altorfi 1642, inter EIVS Orat Dec. 2. pag. 260.

Leonh. S. von MELTORFS ſiue *Leonh.* SCHIRTZMEIERS *Iuriſten-Spiegel durch Anleitung des Sprichworts: Iuriſten ſind böſe Chriſten,* Hamb. 1667. 12.

Io. HARPRECHT Orat. *de dicterio vulgari: Bonus ICtus malus Chriſtianus*, inter illius Orationes Tubingae a. 1619 iunctim edit. Orat. IX. p. m. 123.

Io. Gottfr. MEIERI *Theſes ad paroemiam: Iuriſten böſe Chriſten.* Gieſſae 1719.

HISTORIA
IVRISPRVDENTIAE.

PRAECOGNITA HISTORIAE IVRISPRVDENTIAE.

§. 192.

Ductis primis lineis notitiae ICtorum tanquam primae partis hist. litter. iuridicae vniuersalis, progredior ad secundam eius partem, quae sub *historiae iurisprudentiae* nomine venit et continet veritates singulares de iurisprudentiae fatis (§. 4).

§. 193.

Quum ad fata disciplinarum referri debeant eius ortus, incrementa et decrementa eaque quibus originem debent; sicque historia disciplinae cuiusdam absolvatur recensione factorum quae circa haec obiecta versantur: facile patet in historia iurisprudentiae recensenda esse facta, quae concernunt *iurisprudentiae ortum; controuersias iuridicas; methodum iurisprudentiae; instituta culturam veritatum iuridicarum concernentia* &c.

§. 194.

Historia iurisprudentia differt a Notitia ICtorum in eo, quod 1) eius obiectum sit ipsa iurisprudentia, notitiae ICtorum obiectum vero sint ICti tanquam auctores fatorum iurisprudentiae (§. 27); 2) ea tales veritates contineat, quae sunt factorum recensiones, non vero tales, quae statum entis, nimirum ICtorum, concernunt; sicque sit pars historiae in sensu stricto, non notitiae status entis. (§. 62. 66. *Praec. erudit. gener.*)

§. 195.

Nec porro confundenda est historia iurisprudentiae cum ea historia *quae historia dogmatum iuridicorum*

dicenda, in qua recenſentur viciſſitudines iurium et obligationum, per leges poſitiuas diuerſis temporibus latas, conſtitutarum, in ſingulis doctrinis iuridicis in quibus tales viciſſitudines obueniunt, quaeque, niſi receptum eſſet hiſtoriam legum dici hiſtoriam iuris (§. 2.), *proprie hiſtoria iuris*, nimirum pro facultate morali agendi ſumti, dici poſſet. Haec hiſtoria enim non diſciplinae eius, quae ſub iurisprudentiae nomine venit, fata concernit: ſed potius fata iurium et obligationum per leges poſitiuas conſtitutarum, ſicque mutabilium.

Speciminis loco hic conferri meretur IAC. GABR. WOLFFII *breuis hiſtoriae iuris publici delineatio*, quae prodiit Halae 1749 8. comparata cum *delineatione hiſtoriae litterariae iuris publici* in Symbolis litter. iurid. Hall. Vol. I. P. V. p. 38 ſeqq. Prior delineatio enim ſiſtit hiſtoriam dogmaticam iuris publici. Poſterior vero ideam exemplarem hiſtoriae litterariae iuris publici et in ſpecie iurisprudentiae publicae.

§. 196.

Fontes ſpeciales hiſtoriae iurisprudentiae ſunt:

I. ICtorum vitae, quatenus continent eorum facta culturam iurisprudentiae concernentia.

II. Scripta ICtorum, quatenus ex iis cognoſci poteſt, quomodo ICti verſati ſint in tractanda iurisprudentia.

§. 197.

Specialia *ſubſidia* hiſtoriae iurisprudentiae non occurrunt, praeter ſtudium *Hiſtoriae hiſtoriae iurisprudentiae*. Aſt totum hoc ſtudium breuiſſimis abſolui poteſt, licet et huius partis hiſtoriae hiſtoriae litterariae iuridicae tres partes concipi poſſint, nimirum 1) *Notitia eorum litteratorum iuridicorum, quorum exſtant praeſertim in hanc partem hiſtoriae litterariae iuridicae merita;*

merita; 2) *Historia historiae iurisprudentiae in specie sic dicta*; 3) *Notitia eorum scriptorum litterariorum iuridicorum, quae ad hanc partem historiae litterariae iuridicae referri possunt.* Quum enim, quantum mihi quidem constat, nemo hactenus, ne tentauit quidem, redigendi in formam artis historiam iurisprudentiae, eamque tanquam partem historiae litterariae iuridicae a notitia ICtorum et scriptorum iuridicorum diuersam pertractandi, multo minus adsit qui hoc perfecit, duae priores partes his, quae dixi, sunt absolutae. Non nisi quoad tertiam partem itaque adhuc quaedam monenda.

§. 198.

Quod itaque attinet notitiam scriptorum litterariorum iuridicorum specialem, quoad scripta litteraria iuridica quae pertinent ad historiam iurisprudentiae, quaeque *scripta litteraria iuridica stricte sic dicta* dicenda, huc pertinent:

I. *Scripta propaedeutica quoad historiam iurisprudentiae.*
Quae ad hanc classem referri possent scripta litteraria iuridica nondum exstant.

II. *Elementa historiae iurisprudentiae.*
Et huius generis scripta ad pia desideria adhuc pertinent

III. *Scripta litteraria iuridica de singulis argumentis historiae iurisprudentiae.*

1) *generaliora,*

Io. Wilh. GOEBELII Or. *de causis corruptae iurisprudentiae eiusque fatis.* Helmst. 1717. 4.

Casp. Achat. BECK *de prouida dei cura in dispensandis iurisprudentiae fatis.* Vid. EIVS Diss. de Nouellis Leonis. Ienae 1731.

Henr. Christ. L. B. de SENCKENBERG Diss. *de iurisprudentia certa methodo tractanda.* Giessae 1742.

2) *specialiora*, quoad

A) *ICtos*

A) *ICtos certi generis*,

Nic. PRAGMANN *Specimen tractationis de meritis Germanorum in Iurisprudentiam*, antehac sub Praes. BRÜKNERI in vicem Diss. inaug. eruditorum examini subiectum. Ienae.

Io. Frid. IVGLER Obs. *de insignibus Germanorum in iurisprudentiam elegantiorem meritis.* Lüneburgi, 1753, nunc Opusculis *Reinoldi* ab eo editis, praemissa.

IDEM Epistola *de incrementis insignibus quae Iurisprudentia ICtorum Lipsiensium studio cepit.* Lips. 1736.

Rud. Aug NOLTEN *de meritis academiae Iuliae in iurisprudentiam.* Helmst. 1728. Legi etiam potest in den Hall. Beitr zur iurist. gelehrten Hist. Vol. III. P. X. pag 352 seqq.

Henr Christ. L. B. de SENCKENBERG Or. *de commodis iurisprudentiae studio ex Academia Gissensi natis et exspectandis.* Vid. EIVS Medit. ex vniuerso iure et historia. Fasc. I. p. 115 seqq.

B) *hanc vel illam iurisprudentiae partem*

a) *Romanam*,

Io. Sam HERING *Iurisprudentia Romana orta, lapsa et restituta, inde a temporibus LL. XII. Tabb. cum praecipuis cuiusuis periodi ICtis vsque ad nostra tempora.* Sedini 1728. fol.

Bartoli ANVLI *iurisprudentia a primo et diuino suo ortu ad nobilem Biturigum Academiam deducta.* Auarici Biturigum 1554 et in CONRADI Parergis Lib. 4. num. 4. pag. 556.

Georg. Henr. LINCK *de fatis iurisprudentiae Romanae.* Alt 1718.

Chr. And. MEYCKE Or. inaug *de singulari summi numinis prouidentia circa iurisprudentiam Romanam.* Hamb. 1739. 4.

b) *eccle-*

b) *ecclesiasticam*,

Aug. de BALTHASAR Praef. *de meritis ICtorum Pomeranorum in iurisprudentiam ecclesiasticam*, praemissa Tr. de libris ecclesiasticis edit. 2dae 1748.

c) *feudalem*,

Ernst. Ioach. de WESTPHALEN Med. pragm. *de fatis et usu studii iuris feudalis in Germania.* Sund. et Wism. 1724. et apud *Ienichen* in Thes. iur. feud. Tom. I. pag. 135.

Aug. Gottl. IENICHEN Praef. *de insignibus commodis, quae iurisprudentia feudalis academiae Gissenae debet* Tom. I. Thes. Iur. feudalis praemissa.

d) *germanicam publicam et priuatam*,

Henr. Gottl. FRANCK *de iurisprudentia veterum Germanorum.* Lips. 1728. 4.

Christ. Ioan. Conr. ENGELBRECHT Sched. *de fatis iurisprudentiae iustitiaeque administrationis in Germania.* Helmst. 1702. 4.

Io. Henr. BOCRIS Comm. *de Germania iurisprudentia domestica nunquam destituta.* Bamb. 1749. 4.

Christ. Lud. KOCH Prol. acad. *de fatis studii iuris priuati eiusque culta ratione apud Germanos.* Giessae 1746. 4.

Georg. Steph. WISAND Epist. *de caussis neglecti iuris germanici.* Lips. 1757.

Gottl. Chr. ROTH Comm. *de ratione et caussis neglectius tractatae veteribus Germanis iurisprudentiae.* Soltq. 1734.

Io. Christ. SCHELLII Or. inaug. *de ortu et progressu doctrinae Imp. Germ.* Lips. 1 08.

Christ. Gottl. BVDERI Diatriba *de fatis doctrinae iuris publici in academiis maxime Germaniae.* Ienae 1731, quae exstat etiam in FRANCKII collectione de fatis methodo fine obiecto iuris publici S. R. Imp. num. I.

Io. Iac. MASCOV Or. *de ortu et progressu iuris publici germanici.* Lips. 1736.

Io.

Io. Burc. GEIGER *de origine et fatis doctrinae iuris publici Imp. Rom. germ.* Erlangae 1764. 4.

Henr. Christ. L. B. de SENCKENBERG *historiae iurisprudentiae publicae, litterariae praesertim, idea.* Vid. Excursus VI. ad Methodum iurisprudentiae Senckenbergianam.

Grundris der gelehrten Historie des teutschen Staatsrechts. In den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. II. P. 5. p. 38.

C. *Singulas doctrinas ad historiam iurisprudentiae pertinentes.*

De his scriptis in ipsa tractatione suis locis agendum.

§. 199.

Quod attinet in specie historiae iurisprudentiae *necessitatem* et *vtilitatem*, ex iis quae de historiae litterariae iuridicae necessitate et vtilitate in genere dicta sunt (§. 15) per se patet, quam vtilis, quamque necessaria sit haec eius pars.

§. 200.

Quoad *methodum docendi discendique* historiam iurisprudentiae non nisi hoc speciatim notandum 1) stricte ordini chronologico inhaerendum esse, sic que fata iurisprudentiae quae habuit sub ICtis diversae aetatis, secundum diuisionem ICtorum quae ex hoc fundamento oritur (§. 67), recensenda esse; 2) cauendum esse ne admisceantur talia quae potius ad notitiam scriptorum iuridicorum, quam ad historiam iurisprudentiae, pertinent.

TRACTA-

TRACTATIO IPSA.

PARS I.

HISTORIA IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS VETERIBVS SEV ANTIQVIS.

EPOCHA I.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS ROMANIS STRICTE SIC DICTIS PRIMAEVIS.

§. 201.

Prout ante ortum legum positiuarum iurisprudentiam positiuam originem coepisse impossibile: ita et, ortis licet legibus positiuis, ast nondum existentibus ICtis, iurisprudentiam positiuam iam exstitisse aeque impossibile est. Quae quum ita sint, per ea quae de origine ICtorum §. 33 seqq. dicta sunt, patet hic verus iurisprudentiae positiuae ortus: non ante diluuium, sed demum post illud, et quidem non in Asia seu Africa, sed in Europa, orta est iurisprudentia positiua, vbi non a Graecis, sed a Romanis, non sub Regibus, sed demum post conditas LL. XII. Tab. sub libera republica edita est, ab orbe condito, omniumque hominum memoria, prima, ad hunc vsque diem conseruata, IVRISPRVDENTIA ROMANA. Roma itaque parens est quae dedit primam iurisprudentiam, eoque multo felicior, quod iurisprudentiae autor, quam quod orbis victor fuerit, quum et alii vicere orbem, soli Romani quaesiuere armis domitum, et iure seruatum retentumque.

Henrici

Henrici de COCCEII Or. *de progressu iuris Europaei ab vltima hominum feritate, vsque ad eam quae vnica ab orbe condito edita est iurisprudentiam*, habita Franc. ad Viadrum 1693. Legi etiam potest in den Hall. Beitr. zur iuristischen gelehrten Historie Vol. III. P. IX. p. 30 seqq.

§. 202.

Vt vero rem omnem, vt aiunt, ab ouo repetam, et quae §. 35. in doctrina de ICtorum ortu attingere tantum licuit, pleniori penicillo depingam, sic, si quid video, verus iurisprudentiae ortus concipiendus. Prudentes seu Pontifices, a quibus descendunt et quasi nati sunt ICti, post latas LL. XII. Tabb. has leges interpretandi officium sibi sumebant, ita, vt non in verborum explicatione subsisterent, sed et id agerent vt omnium negotiorum, tam apud Magistratus, quam priuatim, explicandorum certae quaedam formulae, ritus et solennitates exstarent, vnde *legis actiones*, et *actus legitimi* originem traxerunt et *ius formularium* ortum (*Introductio in Iurispr.positiv.* §. 498.). Quum vero harum formularum, rituum et solennitatum complexus, potius ius ipsum et partem materiae iurisprudentiae constitueret, quam ipsam iurisprudentiam, quippe quae, quum disciplina seu eruditionis pars sit, sine forma artis cogitari nequit, tum demum orta est iurisprudentia, cum iuri formulario et iuri per ipsas LL. XII Tabb. constituto artis forma data est. At enim vero, quum hoc demum praestiterint APPIVS CLAVDIVS, coecus dictus (§. 73) in libro *de actionibus*, et SEXTVS AELIVS (§. 75) in sic dictis *Tripartitis iuris ciuilis*, his ortum debet, tempore quo hi eruditi vixerunt, iurisprudentia positiua. Continebat enim APPII CLAVDII liber de actionibus eam trium iurium tunc enatorum partem quae sub *legis actionum* nomine veniebat, quas teste

teste POMPONIO in *l. 2. §. 7. ff. de O. I.* proposuit, et ad formam redegit APPIVS CLAVDIVS, hicque liber deinde a FLAVIO, eius scriba, diuulgatus, *ius ciuile Flauianum* appellatus est. AELII tripartita iuris ciuilis vero continebant, vt ait POMPONIVS *l. c.* §. *38* veluti *cunabula iuris et Tripartita dicebantur, quoniam lege duodecim tabularum praeposita, iungitur interpretatio, dein subtexitur legis actio.* Quum itaque illo aeuo nata erant tria iura: 1) *LL. XII. Tabb.* (*Introd. cit.* §. 110); 2) *ius ciuile in sensu strictissimo* seu *ius commentitium* (*Introd. cit.* §. 111), et 3) *legis actiones* (§. *cit. Introd.*), AELII Tripartita continebant totam, quanta illo aeuo erat, materiam adhuc in cunis vagientis iurisprudentiae romanae.

Io. Hier. STENGER *de iure formulario Romanorum siue legis actionibus.* Lips. 1709.

Gottl. HEINECCII Or. *de iurisprudentia veterum Romanorum formularia, ritibusque quibus negotia ciuilia explicabant sollennibus*, dicta Franequerae 1724.

§. 203.

Interim tamen negari nequit, magis vmbram formae artis, quam veram artis formam, dedisse APPIVM CLAVDIVM et SEXTVM AELIVM veritatibus iuridicis in tribus hoc aeuo enatis iuribus contentis. *Veram artis formam* itaque potius debent hae veritates Triumuiris, P. MVCIO SCAEVOLAE, quem fundatorem iuris ciuilis appello (§. 76), BRVTO et MANILIO (§. 77), qui teste POMPONIO *l. c.* §. *39. fundarunt ius ciuile*, sicque disciplinam quasi exstruxerunt atque constituerunt. Dum itaque POMPONIVS *l. c.* §. *41.* pergit et addit: *post hos Q. Mucius, Publii filius, pontifex maximus* (qui is est quem §. 76. iuniorem appellaui) *ius ciuile primus constituit, generatim in libros decem et octo redigendo*, et CICERO *in Bruto* c. 41 de SERVIO SVLPICIO RVFO (§. 18) dicit eum

primum *artem in iurisprudentiam intulisse*, haec ita, si quid video, concilianda sunt. Q. MVCIVS ius ciuile in maiorem ordinem redegit ac ante eum factum est. SERVIVS SVLPICIVS vero in eo vicit antecedentes, quod dialecticam, sicque logicam vt hodie loquimur artificialem, adhibuerit in tractando iure ciuili, quum qui eum antecesserunt non nisi logica naturali vsi, sicque omnino SERVIVS SVLPICIVS magis perfectam artis formam dedit iurisprudentiae ac antea habuit.

§. 104.

Scilicet iam hoc aeuo coepit felicissima *coniunctio philosophiae cum iurisprudentia*, quum et inter ICtos romanos primaeuos iam fuerint quibus philosophiae, et quidem stoicae, studium quam maxime curae cordique fuit. Notum enim est iam iis temporibus quibus vixerunt hi ICti, Romanos, PANAETIO iuniore magistro, sapientiam didicisse, siue credas eum Romae scholas philosophicas aperuisse, siue Romanam iuuentutem ad audiendum eum Rhodum profectam esse autumes. Inter hos et SERVIVS SVLPICIVS fuit, qui primus ope philosophiae iura Romana aequitate temperauit, eaque in artis solidioris formam redegit, quam Q. MVCIVS SCAEVOLA *iunior*, licet et eum Stoica sapientia delectatum esse, veterum monumenta loquantur. In tenerrima sua aetate itaque iurisprudentia philosophiae iam debet sua incrementa, quae creuerunt quo magis creuit philosophiae cum iurisprudentia coniunctio.

Carl. Günth LVDOVICI Pr. *de Panaetii iunioris Stoici philosophi vita et meritis in Romanorum tum philosophiam, tum iurisprudentiam.* Lips. 1745.

Mart. Gottl. PAVLI Diss. *de vtilitatibus quas attulit philosophia ad iura et iurisprudentiam romanam.* Lips. 1753.

§. 105.

§. 205.

Quomodo *ſcribendo* cultura iurisprudentiae ab ICtis veteribus promota ſit, optime cognoſci poſſet ex eorum ſcriptis, ſi modo vel tota, vel plura fragmenta eorum, ſupereſſent. Interim tamen conſtat 1) ſcripta eorum iuridica potiora *de iure ciuili* in genere concepta fuiſſe, licet et inter hos ICtos non deſint, qui hoc vel illud argumentum ſpeciale pertractarunt. Praeſertim vero 2) notandum ICtos primaeuos iam de excogitandis principiis generalibus ſollicitos fuiſſe, et ediſſe ſcripta in quibus ad generalia principia, ſicque regulas, reuocata iurisprudentia. Sic iam hoc aeuo Q. MVCIVS SCAEVOLA *iunior*, libro ſingulari quem inſcripſit: ὅρων, id eſt, ſententiarum et definitionum, primus omnium regulas ex iure in foro receptas collegit, et primus fuit qui fundauit ſic dictam *iurisprudentiam regularem*, ſequiori tempore magis magisque excultam.

Franc. Caroli CONRADI Or. *de iurisprudentia regulari Romanorum et de veterum ICtorum ſtudiis circa regulas iuris.* Vitemb. 1728.

§. 206.

Aſt non per ſcripta ſolum iurisprudentia ab ICtis primaeuis exculta eſt, ſed et *viua voce eam docebant.* Primus vero qui inter eos ius publice profeſſus eſt, fuit TIBERIVS CORVNCANIVS (§. 74) teſte POMPONIO in *l.* 2. §. 35. *ff. de O. I.* ibi: *ex omnibus qui ſcientiam nacti ſunt ante* TIBERIVM CORVNCANIVM *publice profeſſum eſſe neminem, traditur; caeteri autem ad hunc vel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus vacare potius, quam diſcere volentibus, ſe praeſtabant.* Aſt his temporibus ſcholae iuridicae publicae nondum ortae erant, prout et haec aetas ICtos Anteceſſores ignorat (§. 51. 61.). ICti primaeui enim ad docendum

profitendumque ius ciuile aliquod tempus ſeponere non ſolebant, ſed potius, dum de iure reſpondebant (§. 44), admittebant ſimul iuuenes patrii iuris notitia imbuendos, vt iura reſpondentibus in atriis ſuis auſcultarent. Sic vna eademque opera et clientibus proderant, et legum cupidos iuuenes inſtruebant. Hi vero olim nullis aliis praeſidiis inſtructi, quam quod LL. XII. Tabb. tanquam carmen neceſſarium didicerant, antequam ad ICtos deducebantur; licet ſucceſſu temporis ab edicto Praetoris iuris ſtudium exorſi ſint, et in ſcholis philoſophorum, Romae nunc apertis, antea philoſophiae rudimenta tractauerint. Quae cum ita ſint, inſtitutio cupidae legum iuuentutis in iure, quae ſub ICtis primaeuis in vſu fuit, mere practica dici poteſt, minimum theoretico-practica fuit.

Germanni Aug. ELLRODII Diſſ. *de Romanorum veterum iurisprudentiam tradendi ratione, rationi ſubinde contraria.* Baruthi 1738.

Abhandlung: *von der Beſchaffenheit des mündlichen Vnterrichts in der Rechtsgelahrheit zu den Zeiten der alten Römiſchen Rechtsgelehrten.* Erſter Abſchnitt: *von der Beſchaffenheit deſſelben vor Errichtung der iuriſtiſchen Schulen* in den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. III. P. IX. p. 147 ſeqq.

§. 207.

Notandum porro iam hoc aeuo inter ICtos ortas eſſe *diſſenſiones*, licet inde nondum ortae ſint ſectae ICtorum (§. 40.). Sic BRVTVS et MANILIVS (§. 77), ſuper quaeſtione: *An partus ancillae in fructu ſit, nec ne?* diſputarunt *l. 38 pr. ff. de Vſufructu.* Porro inter ſe non conuenerunt ICti primaeui; *an poſſet heres, quod furtum antea factum eſſet, furti recte agere?* quam quae-

quaeſtionem CICERO ad reſpondendum propoſuit TREBATIO (§. 80) tanquam problema iuridicum.

Paul. Phil. WOLFFHARDT Pr. *ſuper reſponſo Trebatii* &c. Vid. ſupra §. 80.

§. 208.

Caeterum adhuc monendum 1) fuiſſe et hoc aeuo qui iurisprudentiae ſtudio ſubuenire voluerunt cogendo leges in vnius corporis compagem et harmoniam, inutilibus reſecatis, quod praeſtare voluit IVL. CAESAR teſte SVETONIO *Cap.* 49, qui de eo narrat: *quod ius ciuile ad certum modum redigere atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quaeque et neceſſaria in pauciſſimos conferre libros deſtinarit.* Ab hoc inſtituto vero differt 2) CICERONIS inſtitutum, qui praeter ICtos, qui illud iam antea praeſtiterunt (§. 203), iuris praecepta in formam artis redigendi conſilium iniit, dum librum *de iure ciuili in artem redigendo* ſcribere voluit; aſt an aliquid eius praeſtiterit dubium. Coepiſſe eum opus auctor eſt QVINTILIANVS *Lib. 13 c. 3*, immo prouocat ad illud GELLIVS *Lib. 22. c. 1.*

EPOCHA II.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS ROMANIS STRICTE SIC DICTIS RELIQVIS PRAETER PRIMAEVOS.

§. 209.

Ad fata *iurisprudentiae Romanae*, quae adhuc eſt vnica iurisprudentia quae his temporibus exſtitit, pertinet ſine dubio, verſo in principatum Reipublicae Romanae ſtatu, in quod tempus incidit ICtorum romanorum ſtricte ſic dictorum, praeter eos quos primaevos appello, initium (§. 71.), ICtorum diſſenſiones

degeneraſſe in ſectas (§. 40.), nimirum SABINIANORVM et PROCVLEIANORVM ſeu PROCVLIANORVM. Harum primores ſunt duo ICti quos AVGVSTI aetas tulit, Q. ATEIVS CAPITO et ANTISTIVS LABEO (§. 85.), qui originem dederunt ſectis, quibus MASVRIVS SABINVS (§. 86.) et SEMPRONIVS (§. 88.), nec non CASSIVS LONGINVS (§. 87.) et PEGASVS (§. 88.) deinde nomen adiecerunt, indeque potius *Sabiniano-Caſſianorum* et *Proculiano-Pegaſianorum* ſectae dicendae.

Chriſt. Ott. a. BOECKELEN *de diuerſis familiis ICtorum*. Lugd. Bat. 1678. 12. in SLEVOGTII Collectione ſupra §. 182. allegata p. 9 ſeqq.

Gottfridi MASCOVII *de Sectis Sabinianorum et Proculianorum in iure ciuili*. Diatriba. Lipſ. 1728. 8.

Io. FABRICII Diſſ. *de ſectis veterum ICtorum*. Lugd. Bat. 1711.

§. 210.

Quum non ſit huius loci diſſenſum harum ſectarum in ſingulis iuris argumentis recenſere, non niſi de diuerſitate principiorum, ex quibus ortus eſt diſſenſus in concluſionibus, hic agendum. Exinde enim formari poteſt diſtincta Sabinianorum et Proculianorum notio, quae hic tradenda. Erat vero LABEO, qua ICtus conſideratus, talis qui principio inhaerebat ſummum ius ſemper locum habere, ſicque nullam aequitatem (§. 572. *Introd. in iurispr. poſit.*) ei praeferendam eſſe. Aſt CAPITO, etiam qua ICtus conſideratus, valde diſſimilis ab eo erat, dum principio inhaerebat aequitatem non iuridicam tantum, ſed et naturalem (§. *cit. Introd.*) iuri ſummo ſeu ſtricto eſſe praeferendam. Eſt itaque, quae a LABEONE tanquam ſuo capite deſcendit ſecta *Proculeianorum*, eorum veterum ICtorum ſecta, qui defendunt ius ſummum omni aequitati eſſe praeferendum. Quae vero a CAPITONE deſcendit

Sabi-

Sabinianorum ſecta, eſt ea veterum ICtorum ſecta, qui defendunt aequitatem quamcunque iuri ſummo eſſe praeferendam. Vnde Proculeianorum ſecta me iudice *Superſtitioſorum ſecta*, Sabinianorum ſecta vero *Naturaliſtarum ſecta*, optimo iure dici poteſt. Eſt enim *iuridica ſuperſtitio*, verbis legum poſitiuarum ſemper inharendum eſſe, et *naturalismus iuridicus*, ſi naturalibus legibus conformem, aſt legibus poſitiuis contrariam, ſententiam amplectitur ICtus.

§. 211.

Poſtquam ipſa diuerſitas harum ſectarum explicata, et cauſa ſpecialis earum inueſtiganda (§. 43). Licet vero alii pro cauſa earum habeant aemulationem; alia diuerſam philoſophiae rationem: me iudice tamen, nec vnum, nec alterum pro vera diſſenſionum cauſa inter LABEONEM et CAPITONEM, ſicque nec pro harum ſectarum cauſa ſpeciali, haberi poteſt, quae potius in veritatis amore et ingenii diuerſitate ponenda. Qui vero pro principali cauſa diſſenſionis venditare vellet ipſum hunc in principiis diſſenſum, is manifeſto confunderet cauſam diſſenſionum, et ipſum diſſenſum quoad principium ex quo is originem trahit in ſingulis deciſionibus diſſonantibus.

Car. Ferd. HOMMEL *de principali cauſa diſſenſionum inter Labeonem et Capitonem horumque Sectatores.* Lipſ. 1750.

§. 212.

Hoc ſectae ſtudium, quod tot diſſenſiones, inter ICtos Romanos qui poſt primaeuos floruerunt, produxit, et ad aduerſa iurisprudentiae fata omnino referri debet, durauit vsque ad HADRIANVM, ſub quo, condito edicto perpetuo (§. 116. *Introd. in iurispr. poſit.*) ſectae deferbuere. Vnde in hiſtoria ſectarum a POMPONIO *l.* 2. §. 47. *ff. de O. I.* tradita, vltimus Proculiano-

rum eſt NERATIVS PRISCVS, qui ſub TRAIANO et HADRIANO floruit (§. 89.), et qui Sabinianorum agmen claudit, eſt ipſe is SALVIVS IVLIANVS (§. 90), qui eſt edicti perpetui conditor. Deleta ſic ab HADRIANO ſectarum dignitate, iuniores ICti Romani ſtricte ſic dicti media via incedentes ex vtriusque ſcholae placitis aliquid delibarunt, indeque dici ſolent *erciſcundi*, *miſcelliones* et *medii* ICti. Vt vero conſtet, qui ICtorum Romanorum huius aeui ad ſectatores, et ad quam claſſem inter eos, referri debeant, qui vero fuerint erciſcundi, recenſio eorum ſecundum hanc diuerſitatem adiicienda, facta a potiori denominatione. Quod itaque *ſectatores* attinet, fuerunt, prout iam monui, eorum capita:

ANTISTIVS LABEO. vnde PROCVLEIANO — PEGASIANI, qui ſunt		ATTEIVS CAPITO. vnde SABINIANO — CASSIANI, qui ſunt	
l. primi ordinis.	l. ſecundi ordinis.	l. primi ordinis.	l. ſecundi ordinis.
M. COCCEIVS NERVA *pater*.	ATILICINVS	MASVRIVS SABINVS.	MINVCIVS NATALIS.
SEMPRONIVS PROCVLVS.	VRSEIVS FEROX.	CASSIVS LONGINVS.	TERENTIVS CLEMENS.
M. COCCEIVS NERVA *filius*.	TITVS ARISTO.	CAELIVS SABINVS.	AFRICANVS.
PEGASVS.	VLPIVS MARCELLVS.	PRISCVS IAVOLENVS.	VOLVSIVS MAECIANVS.
CELSVS *pater*.		ABVRNIVS VALENS.	VINDIVS VERVS.
CELSVS *filius*.		TVSCIANVS.	
NERATIVS PRISCVS.		SALVIVS IVLIANVS.	

Ad

Ad *ICtos erciscundos*, *miscelliones* seu *medios* vero referri debent SEXT. POMPONIVS; TITVS GAIVS; AEMILIVS MACER; Q. SEPT. FLOR. TERTVLLIANVS; CERVIDIVS SCAEVOLA; AEMILIVS PAPINIANVS; AELIVS MARCIANVS; VENVLEIVS SATVRNINVS; CLAVDIVS TRYPHONIVS; IVLIVS PAVLVS; DOMITIVS VLPIANVS; HERENNIVS MODESTINVS. (§. 90. 91. 92. 93)

§. 213.

His de sectis Sabinianorum et Proculeianorum in genere praemissis, ad specialiora descendendum esset, singulas controuersias inter sectatores agitatas indicando, earum historiam contexendo, et, quomodo sequentes ICti erciscundi medietatem secuti sint, ostendendo. Ast, quum tantas ambages initia historiae iurisprudentiae respuant, non nisi hoc generatim addendum, ICtos erciscundos, dum medietatem sequebantur, vel mediam inter diuersas sectas viam elegisse; vel ex diuersis sententiis vnam conflasse; vel vtramque sententiam, licet diuersam, probasse; vel partim hanc, partim illam, elegisse; vel neutram sine distinctione admisisse; vel denique alterutram sectarum sententiam Imperatorum rescriptis confirmasse.

Io. Salom. BRVNQVELLI Prol. acad. *de ICtis erciscundis siue Miscellionibus quorum fragmenta in Digestis supersunt.* Ienae 1728. Legi etiam potest in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. III. P. XI. p. 505 seq.

§. 214.

Licet vero tanta fuerit dissensio inter ICtos Romanos stricte sic dictos praeter primaeuos in iuridicis: in *philosophicis* tamen conspirarunt amice, et vtriusque sectae ICti stoica philosophia imbuti fuerunt, nec probari potest eorum sententia qui putant Sabinianos Stoicis non fauisse. Et hi ICti itaque, vt primaeui, in cul-

tura iurisprudentiae iam coeptam ab his philoſophiae Stoicae cum iurisprudentia coniunctionem continuarunt, et tam Sabiniani quam Proculiani Stoicorum riuulos in ſuos hortos, teſtantibus eorum ſcriptis, deriuarunt.

§. 215.

Nec in eo induſtriam ſuam deſiderari paſſi ſunt huius aeui ICti, quod *iuuenes inſtruxerint in arte ſua*, id quod magis felici ſucceſſu factum, quum in haec tempora originem ſcholarum iuris, *Romanae* in Occidente, et *Berytenſis* in Oriente, incidere certiſſimum ſit. Exſtitiſſe enim iam Romae ſcholam iuris in medio Seculo II, et Berytenſem ſcholam iam a. 231 floruiſſe, dudum ab aliis euictum eſt, licet, quo praeciſe anno ante haec tempora originem traxerint hae ſcholae, definiri nequeat. His temporibus itaque et *ICti Anteceſſores* (§. 61.) orti, in his ſcholis publico docendi munere functi. Licet vero certum ſit hos docuiſſe iam his temporibus viua voce iurisprudentiam in publicis ſcholis, eorumque in iurisprudentia inſtitutionem fuiſſe mere theoreticam, harum praelectionum rationem tamen ſcimus cum ignariſſimis, ſilentibus hac de re annalibus. Aſt ideo, quod nunc ortae dictae ſcholae iuris Romani, in quibus docuerunt Anteceſſores, reliqui ICti, qui Anteceſſorum munere non ſunt functi, quorſum omnes ii referendi quorum ſupra §. 81-93. mentio facta, non deſierunt, vt ante a primaeuis factum (§. 206), per mere practicam ſeu theoretico-practicam inſtitutionem inſtruere cupidam legum iuuentutem, quum plurimi eorum ſint, prout ſcriptis, ita et auditoribus clari.

Scripta de ſcholis iuridicis ſupra §. 51. notata, et hic conferenda.

§. 216.

§. 216.

Praesertim vero per ICtorum huius aeui *scripta varii generis*, erudita et acuta, testantibus de eo fragmentis eorum in Pandectis obuiis, iurisprudentia insignia coepit incrementa. Sunt haec scripta ratione materiae et methodi quam maxime diuersa, vnde et variis a se inuicem plane diuersis nominibus distinguuntur. Summa quaedam genera vero ad quae reduci possunt, haec sunt, quod sint I. collectiones constitutionum et decretorum; II. leges aut scripta aliorum ICtorum illustrantia scripta; III. scripta quibus ad sua principia reuocare et in artis formam iurisprudentiam redigere studebant ICti, quales libros sub *Enchiridiorum*, *Epitomarum*, *Membranarum*, *Pandectarum*, *Regularum*, *Sententiarum*, *Definitionum*, *Breuiariorum* et *Institutionum* nominibus edebant; IV. libri singulares de vnico argumento; V. scripta quibus varias quaestiones facti, prout sese obtulerunt, seu obseruationes ad iurisprudentiam pertinentes, nullo satis certo materiarum ordine, tractarunt, quae generali nomine *scripta miscellanea* appellari possunt. Ex his vltimae classis scriptis, ea in quibus responsa consulentibus data proposuere, *responsa*, et in specie, si haec responsa variis iisque prolixius adductis rationibus dabant, *epistolae* dicebantur: ea vero quae ad singulares facti quaestiones vt responsa et epistolae non restricta, sed in quibus pro lubitu de iure controuerso in thesi disputabant, sub *quaestionum* generali nomine edebant. Quae sub quaestionum nomine veniebant scripta, tum speciale nomen habebant, si vel quotidie in foro obuenientes et ad iuris principia spectantes obseruationes; vel obseruationes in foro factas et rationem processus potissimum spectantes; vel controuersas doctrinas; vel cautiones aduersus nimiam iuris subtilitatem, conti-

continebant. In primo caſu enim *rerum quotidianarum* ſeu *aureorum*; in ſecundo *protribunalium*; in tertio *diſputationum* et *opinionum* libros, et in quarto ἐυϱήματικα dicebant. Per haec ſcripta hoc tempore iurisprudentia mirifice exculta, et praeſertim, poſtquam a MVCIO fundata iurisprudentia regularis (§. 205.), editis tot *regularum* et *ſententiarum* voluminibus, inſigniter creuit.

Fr. Car. CONRADI *de Caii libris rerum quotidianarum ſiue aureorum in* EIVS *Parergis* Lib. I. Par. 7. p. 113 ſqq.

§. 217.

Horum ſcriptorum quidem non paruus erat numerus, quum ICtis huius aeui agraphiae vitium obiici nequeat: aſt tamen eorum multitudo non erat tanta, vt cum hodierna aliquo modo comparari poſſit. Iam hoc aeuo enim 1) ſcripta ICtorum primaeuorum non amplius exſtabant, vt refert POMPONIVS in *l. 2.* §. 42. *ff. de orig. iur.* indeque omnia ſcripta iuridica, quae hoc tempore exiſtebant, erant ſcripta ICtorum huius aetatis. Praeterea 2) in eorum computo diſtinguendum inter ſingula ſcripta ſeu ſingula horum ICtorum opera, et *libros* et *verſus* ex quibus conſtabat quodlibet ſcriptum. *Liber* enim hoc tempore non appellabatur ipſum ſcriptum totum thema abſoluens ſeu totum opus: ſed potius ea totius operis pars quae inſcripta erat quatuor aut quinque foliis, indeque calculus quam maxime differt prout vel ſingula ſcripta ſeu opera, vel libri horum ICtorum numerantur. *Verſus* vero quod attinet, non quaelibet linea ſub verſus nomine veniebat: ſed verba quae vnam continent ſententiam ſeu dictum abſolutum perfectumque ſenſu, ſicque quaelibet periodus verſus dicebatur.

Corn. van BYNCKERSHOECK *Obſerv. iur.* L. V. C. XV.

§. 218.

§. 218.

Caeterum, licet omnes ii ICti quos ad ICtos Romanos ſtricte ſic dictos praeter primaeuos relatos vides §. 81. ſeqq. et auditoribus et ſcriptis clari, ſicque quilibet eorum ad vlteriorem iurisprudentiae culturam contulerit ſua ſymbola: excellent tamen inter eos PAPINIANVS, VLPIANVS, PAVLVS et CAIVS. Inter hoc PAVLVS gentium apoſtolo ſimilis, cum in nomine, tum in multitudine ſcriptorum, quum ſolus LXXXIV. ſcripta ediderit, hincque ſupra §. 93. πολυγραφώτατος dictus. Praeterea et in eo a reliquis ICtis diuerſus eſt PAVLVS quod 1) carpendi ſtudio maxime deditus fuerit; 2) eius ſcribendi genus ita obſcurum, vt *Paulinum ſcribendi genus*, id eſt, obſcurum, implicatum, ambiguum ac tortuoſum, in prouerbium abierit.

EPOCHA III.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB RELIQVIS ICTIS ANTIQVIS PRAETER ICTOS ROMANOS STRICTE SIC DICTOS.

§. 219.

Quae ab ortu ſuo ad haec vsque tempora, ſi a ſectis ſub Auguſto ortis diceſſeris (§. 212), non niſi ſerena fata habuit iurisprudentia, nunc etiam experta eſt dari omnium rerum viciſſitudinem. Multum enim de ſuo ſplendore amiſit primis temporibus horum ICtorum, ſicque in vltima parte Sec. III, vt et in Sec. IV. et V, tam in Oriente, quam in Occidente iurisprudentia, nec tulit haec aetas *Vlpianos* et *Papinianos*. Licet vero ex poſt a Sec. VI. collapſa iurisprudentia romana aliquo modo in *Oriente* reſtituta: in *Occidente* tamen triſtiſſima fuerunt eius fata per totum tempus,

quod

quod haec epocha includit. Quae fuerit iurisprudentiae facies primis temporibus huius epochae patet ex testimoniis scriptorum fide dignorum, quae sequuntur. I. LACTANTIVS *de mort. persequut.* Cap. XXII. conqueritur sub GALERIO MAXIMIANO et reliquis collegis *exstinctam esse eloquentiam, caussidicos sublatos, iurisconsultos aut necatos aut relegatos.* II. EVNAPIVS *in vita Aedesii* p. 61. anno 380 iurisprudentiae studium exagitat ob eius amplitudinem et molem, dum *in rebus quae omnium obtutui patent*, inquit, *loculi tanta libellorum mole confecti vt multorum camelorum iustum onus esse possent. Eos vero libros ad vnguem* (Iureconsulti) *edidicerant. Qui a nemine philosophorum veterum scripti, tabulas modo testamentorum; antigrapha; contractuum codicillos; auctionarias tabellas continebant.* III. MAMMERTINVS Panegyr. Cap. XX. refert: *iuris ciuilis scientia quae Manlios, Scaeuolas, Seruios in amplissimum gradum dignitatis euexerat, libertorum artificium dicebatur.* IV. ASTERIVS Episc. Amasen. qui initio Sec. V. vixit in *homil. VII.* apud PHOTIVM Biblioth. Cod. CCLXXI. pag. 1499. Edit Schott. meminit *Scytici servi* qui ius professus est, cuius se ipsum recitationibus interfuisse addit. V. AMMIANVS MARCELLINVS scriptor Seculi IV. *Libro XXX. cap. 4.* narrat partem caussidicorum his temporibus, nec codices, nec libros habuisse: partem vero, quo altius viderentur iura callere, ad ICtorum antiquissimorum scripta prouocasse, vt iudicem et litigantes facilius confundere possent. De posterioribus inquit; *vt altius videantur iura callere Trebatium loquuntur et Cascellium et Alfenum et Auruncorum Sicanorumque iam diu leges ignotas cum Euandri matre, abhinc seculis obrutas multis. Et si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragari absolutionem lectiones reconditas pollicentur, si te senserint esse* nun-

nummatum. De altero caussidicorum genere vero haec refert: *Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrenatum deflectunt cocuiciandi licentiam: e quibus ita sunt rudes nonnulli, vt nunquam se codices habuisse meminerint. Et si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur.* Tandem VI ipse THEODOSIVS Imperator, in Nouella quam de auctoritate sui codicis emisit causas recensens quare eum conficere iusserit, librorum ad ius pertinentium multitudinem, collapsam iuris scientiam et ementitam iurisperitorum severitatem allegat.

Io. Car. Conr OELRICH *de seruis iurisperitis atque magistratibus apud Romanos* Stetini 1765.

Christ. Henr. BREVNING *de causis cadentis iurisprudentiae post tempora Alexandri Seueri.* Lips. 1765.

§. 220.

Haec tam adversa, quae his temporibus experta est iurisprudentia, fata, non effecerunt tamen eam plane desertam et absque omni cultura relictam esse. Non solum enim iurisprudentia *romana* ICtis, qui mihi sub Ciuilistarum primaeuorum nomine veniunt (§. 97.), et his temporibus exculta est; sed et iam nunc iurisprudentiae *canonicae* per Canonistas primaeuos dictos (§. 96.), immo et iurisprudentiae *feudalis* semina sunt sparsa; vt iam nihil dicam de *barbarorum populorum*, qui his temporibus inuaserunt imperii Romani occidentalis prouincias, vt et de *veterum Francorum*, iuris studio. Sunt itaque nunc tam vlteriora fata iurisprudentiae 1) *romanae* recensenda, quam prima stamina iurisprudentiae 2) *canonicae* et 3) *feudalis* eruenda.

Georg. Wilh. DIETZ Progr. *de Francorum veterum iuris studio.* Rothenburgi ad Taubarim 1738.

§. 221.

§. 221.

Quod itaque attinet vlteriora *iurisprudentiae romanae* fata quae debet primaeuis ciuiliſtis, ea alia fuerunt ſub ciuiliſtis *Latino-Romanis*, alia ſub *Graeco-Romanis* (§. 97.) a Seculo X. vsque ad Sec. XV, quo imperium orientale exſtinctum: et quod attinet eius fata ſub Ciuiliſtis primaeuis Latino-Romanis, iterum a ſe inuicem ſeparanda fata eius ſub Ciuiliſtis primaeuis *Anteiuſtianeis*, *Iuſtinianeis* et *Poſtiuſtinianeis* (§. cit.). Secundum hunc ordinem itaque nunc fata ipſa iurisprudentiae romanae, quatenus de iis conſtat, ſunt recenſenda.

§. 222.

Ciuiliſtas primaeuos Latino-Romanos *Anteiuſtinianeos* iurisprudentiae Romanae culturam *ſcribendo* promouiſſe quidem certum eſt, aſt pauci exſtant eorum libri. Niſi enim hunc referre velis tres codices Anteiuſtinianeos ab huius aeui Ciuiliſtis compoſitos, praeter *Collationem LL. Moſaicarum et Romanarum*; *Notitiam dignitatum orientis et occidentis* et *Conſultationem de pactis*, quorum ſcriptorum auctores incogniti ſunt (§. 111.) et pauca ſcripta quorum auctores ſunt ICti Sec. IV. §. 107. recenſiti quae aetatem non tulerunt, alia ſcripta eorum cognita non ſunt. Interim tamen aliud quid, quod iurisprudentiae fata concernit, hoc aeuo contigit quoad ſcripta reliquorum ICtorum Romanorum ſtricte ſic dictorum praeter primaeuos de quibus §. 81 ſeqq. actum. Videlicet, Imperatores THEODOSIVS et VALENTINIANVS a. C. 426 ſingulari conſtitutione *in l. vn. C. Th. de Reſp. prud.* obuia, *Papiniani*, *Pauli*, *Gaii*, *Vlpiani* et *Modeſtini* ſcriptis legum auctoritatem dederunt.

§. 223.

§. 223.

Promouerunt non minus ciuilistae de quibus loquor *docendo* iurisprudentiae culturam. Nunc enim, iam antea ortis scholis iuris Romani, nimirum Romanae et Berytensi (§. 215.), accessit noua Constantinopolitana, quum iam a. C. 425. ibi Professores iuris docuisse ex *l. 3. C. Th. de studiis liber. vrb. Romae et Constant.* constet. In his tribus scholis itaque, quas vsque ad tempora IVSTINIANI floruisse, non solum de Berytensi et Constantinopolitana, sed et de ipsa schola Romana dici potest, quippe quae nec iis temporibus iuris professoribus fuit destituta quibus Roma sub Gothorum dominatione erat, docuerunt ICti Antecessores, quos omnes Ciuilistas fuisse per se patet, iurisprudentiam romanam. Immo non in his scholis publicis tantum docebatur iurisprudentia, sed et alibi in prouinciis, veluti Alexandriae. Quomodo vero hi ICti Antecessores docuerint his temporibus iurisprudentiam romanam in dictis scholis, ex verbis *Constit. ad Antecessores*, quibus IVSTINIANVS, antequam eam docendi rationem, quam imposterum obseruari voluit, determinat, quae hactenus in vsu fuerat docendi methodum describit, patet Ita autem ille: „Et antea quidem (quemadmodum et vestra scit prudentia) ex tanta legum „multitudine, quae in librorum quidem duo millia, „versuum autem tricies centena extendebatur, nihil „aliud nisi *sex tantummodo libros* et ipsos confusos, et „iura vtilia in se perraro habentes, a voce magistra „studiosi accipiebant, caeteris iam desuetis, iam omni„bus inuiis. In his autem sex libris *Gaii nostri Insti„tutiones, et libri singulares quatuor, primus de illa ve„tere re vxoria, secundus de tutelis, et tertius nec non „quartus de testamentis et de legatis*, connumeraban„tur: quos nec totos per sequentias accipiebant, sed

„multas partes eorum quasi superuacuas praeteribant.
„Et *primi anni* hoc opus legentibus tradebantur, non
„secundum Edicti perpetui ordinationem, sed passim,
„et quasi per satyram collectum, vtile cum inutilibus
„mixtum, maxima parte inutilibus deputata. In *se-*
„*cundo autem anno* praepostera ordinatione habita,
„(*prima*) *pars legum* eis tradebatur, quibusdam certis
„titulis ab ea exceptis: cum erat enorme post Institutio-
„nes aliquod legere, quam quod in legibus et primum
„positum est, et istam nuncupationem meruerit. Post
„eorum vero lectionem, neque illam continuam, sed
„particularem, et ex magna parte inutilem constitu-
„tam, *tituli alii* eis tradebantur, tam ex illa parte le-
„gum, quae de *iudiciis* nuncupatur, et ipsis (non)
„continuam, sed raram vtilium recitationem praeben-
„tibus, quasi caetero toto volumine inutili constituto:
„quam ex illa, quae de *rebus* appellatur, septem libris
„semotis, et in his multis partibus legentibus inuiis,
„vtpote non idoneis, neque aptissimis ad eruditionem
„constitutis. In *tertio autem anno*, quod *ex vtroque*
„*volumine*, id est, de rebus, vel de iudiciis, in secun-
„do anno *non erat traditum*, accipiebant secundum vi-
„cissitudinem vtriusque voluminis, et ad sublimissimum
„*Papinianum*, *eiusque responsa* iter (eis) aperiebatur.
„Et ex praedicta responsorum consummatione, quae
„decimo et nono libro concludebatur, octo tantummo-
„do libros accipiebant: nec eorum totum corpus eis
„tradebatur, sed pauca ex multis, ea breuissima ex
„amplissimis: vt adhuc sitientes ab eis recederent. *His*
„*igitur solis a Professoribus traditis*, *Paulina responsa*,
„*per semet ipsos recitabant*; neque haec in solidum, sed
„per imperfectum, et iam quodam modo male con-
„suetum inconsequentiae cursum. Et hinc erat in
„*quartum annum* omnis antiquae prudentiae finis: vt

„(si)

„(si) quis ea quae recitabant enumerare malit, compu-„tatione habita inueniat, ex tam immensa Legum mul-„titudine vix versuum sexaginta millia eos suae notio-„nis perlegere: omnibus aliis deuiis et incognitis, et „tunc tantummodo ex aliqua minima parte recitandis, „quotiens vel iudiciorum vsus hoc fieri coegerit, vel „ipsi magistri Legum aliquid ex his perlegere festina-„batis, vt sit vobis aliquid amplius discipulorum peri-„tia. Et haec quidem fuerant antiquae eruditionis mo-„numenta, secundum quod et vestro testimonio con-„firmatur.„ Ex his verbis itaque patet, Antecessores in scholis iuridicis explicasse 1) varia scripta CAII seu GAII, praesertim eius Institutiones; 2) edicti perpetui varias partes; 3) PAPINIANI responsa. Caeterum quam maxime probabile est, cupidam legum iuuentutem iam hoc tempore per quinquennium studio iuris operam dedisse, licet ipsa institutio et manuductio Antecessorum nonnisi vsque ad quartum annum durauerit, indeque et ii qui studio iuris operam dabant, per quinque annos diuersis nominibus distincti, et in primo *Dupondii*, in secundo *Edictales*, in tertio *Papinianistae* in quarto *Lytae* et in quinto *Prolytae* appellabantur.

Abhandlung: *Von der alten Rechtsgelehrten mündlichen Vnterricht.* Zweiter Abschnitt: *Von der Beschaffenheit des mündlichen Vnterrichts der alten römischen Rechtsgelehrten, seit der Zeit da die öffentliche iuristische Schulen entstanden, bis auf den Kaiser Iustinian.* In den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. III. P. X. pag. 105.

§. 224.

Fata quae iurisprudentia romana porro experta est sub Ciuilistis Latino-Romanis *Iustinianeis*, partim talia sunt quorum ipse IVSTINIANVS auctor est; partim talia quae ab ipsis his ICtis profecta sunt. Ad fata

prioris generis refero IVSTINIANVM 1) per constitutionem in *l. 1. C. de vet. iure enucl.* obuiam legum auctoritatem variorum ICtorum scriptis a THEODOSIO et VALENTINIANO datam (§. 122.) sustulisse et ipsas leges in meliorem ordinem redegisse; 2) liberum arbitrium ICtorum in scribendo et docendo restrinxisse, dum *a*) in *Constit. Omnem reipublicae* §. 7. alibi quam Romae, Constantinopoli et Beryti doceri iurisprudentiam prohibuit; *b*) in *dictae constitutionis* §. 8. per siglas atque notas scribi vetauit; *c*) in *Constit. Deo auctore* §. 12. commentarios in Digesta fieri noluit, permissa interpretationis graecae κατὰ πόδα et paratitlorum, quae sunt titulorum ex aliis titulis repletiones, facultate; *d*) in *Const. Omnem reipublicae* seu *ad Antecessores* §. 2. seqq. methodum docendi in scholis praescripsisse et compendia doctrinae in vsum scholarum confici curasse, de qua restrictione infra ex instituto agendum; 3) quantum in se fuit, fatale illud atque infelix scriptorum iuridicorum tam legalium, veluti Codicum, quam doctrinalium, veluti ICtorum romanorum stricte sic dictorum praeter primaeuos (§. 81 seqq.), praesertim eorum ex quibus Pandectae sunt excerptae, exitium, quod adhuc hodie dolemus, adiuuasse per varias leges eorum vsum iudiciarium prohibentes. Ast IVSTINIANVM corpore iuris conflato et consummato, omnia scripta iuridica per TRIBONIANVM suum conquisita ad rogum exportari et concremari iussisse, fabula est iam dudum ab aliis explosa.

Ioan. LEVNCLAVII Praef. *de priscorum paratitlorum vsu*, tribus paratitlorum libris Francof. 1594 editis, praemissa.

Ioan. Godofr. SCHAVMBVRG Or. *de molestiis quibus iurisprudentiam defectus librorum iuris antiquorum afficit*, dicta Rintelii 1734. Annexa est EIVS Commentario de Constitutionibus Imperatorum antiquis pag. 159.

EIVS

EIVSDEM Progr. *de incensione librorum iuris antiquorum Iustiniano et Triboniano afficta.* Rintelii 1734. Legi etiam potest l. c. p. 178 seqq.

Iust. Henn. BÖHMERS Gedanken *von denen verlohrnen alten Römischen Gesetzen und Rechtsbüchern, wie auch von denen grossen Bemühungen der Gelehrten, solche wieder herzustellen.* Vid. Diurn. Hallens. de a. 1747. num. II. III. IV.

§. 225.

Fata iurisprudentiae romanae sub ciuilistis primaeuis Latino-Romanis Iustinianeis vero, quae ipsis his ICtis potius debet, quam IVSTINIANO, licet ex parte ex eius mandato, sunt, ICtos hos tam docendo, quam scribendo laudabilem operam et industriam collocasse in iurisprudentiae cultura. *Scribendo* id egerunt 1) componendo ex mandato IVSTINIANI Institutionum Iustinianearum et Pandectarum libros, quippe qui non tam legum collectiones, quam iurisprudentiae systemata publica auctoritate confirmata, vsuique iudiciorum ac scholarum publice tradita, sunt; 2) alia scripta componendo, quorsum pertinet THEOPHILI satis nota graeca institutionum paraphrasis, et translationes librorum iuris Iustinianei in linguam graecam. *Docendo* vero id egerunt in tribus scholis iuridicis supra (§. 223.) memoratis, secundum docendi methodum a IVSTINIANO praescriptam, quamque ipsos Iustinianeos ICtos obseruasse, dubio caret. Qualis vero fuerit haec methodus malo ipsis IVSTINIANI, licet hic locus sit prolixus, quam meis, exprimere verbis, quum omnia hic dicenda comprehendat. Ita autem ille in *Constit. ad Antecessores* §. 2. *seqq.* postquam olim vsitatam docendi methodum in verbis supra (§. 223.) obuiis recensuerat, pergit: „Nos vero tantam penuriam legum inuenientes „et hoc miserrimum iudicantes, legitimos thesauros

„volentibus aperimus, quibus per veſtram prudentiam „quodammodo erogatis, ditiſſimi Legum oratores effi„ciuntur diſcipuli. Et *primo quidem anno noſtras* hau„riant *Inſtitutiones*, ex omni pene veterum Inſtitutio„num corpore elimatas, et ab omnibus turbidis fonti„bus in vnum liquidum ſtagnum conriuatas, tam per „Tribonianum, virum magnificum, Magiſtrum et „Exquaeſtorem ſacri palatii noſtri et Exconſulem, quam „duos e vobis, id eſt, Theophilum et Dorotheum fa„cundiſſimos anteceſſores. In reliquam vero anni par„tem ſecundum optimam conſequentiam *primam Le„gum partem* eis tradi ſancimus, quae Graeco vocabu„lo πρῶτα nuncupatur, qua nihil eſt anterius: quia „quod primum eſt, aliud ante ſe habere non poteſt. „Et haec eis exordium et finem eruditionis primi an„ni eſſe decernimus. Cuius auditores non volumus „vetere tam friuolo quam ridiculo cognomine *Dupon„dios* appellari, ſed *Iuſtinianos nouos* nuncupari, et hoc „in omne futurum aeuum obtinere cenſemus: vt hi, „qui rudes adhuc legitimae ſcientiae adſpirent, et ſcita „prioris anni accipere maluerint, noſtrum nomen me„reant: quia illico tradendum eis eſt primum volumen „quod nobis emanauit auctoribus: antea enim dignum „antiqua confuſione Legum cognomen habebant; cum „autem Leges iam clare et dilucide animis eorum tra„dendae erant, neceſſe erat eos et cognomine mutato „fulgere. §. 3. In *ſecundo autem anno* per quem ex *Edi„cto eis nomen antea poſitum*, et a nobis probatur, vel „de *iudiciis* libros ſeptem, vel de *rebus* octo accipere „eos ſancimus, ſecundum quod temporis viciſſitudo „indulſerit, quam intactam obſeruari praecipimus. Sed „eosdem libros de iudiciis vel de rebus totos, et per „ſuam conſequentiam accipiant nullo penitus ex his „derelicto: quia omnia noua pulchritudine ſunt deco-

„rata,

„rata, nullo inutili, nullo desueto in his penitus inue-„niendo. Alterutri autem eorundem volumini, id est, „de iudiciis vel de rebus, adiungi in secundi anni au-„dientiam volumus *quatuor libros singulares*, *quos ex* „*omni compositione quatuordecim librorum excerpsimus:* „ex collectione quidem tripartiti voluminis, quod pro „dotibus composuimus vno libro excerpto; ex duo-„bus autem de tutelis et curationibus vno; et ex septem „libris de legatis et fidei commissis, et quae circa ea „sunt, simili modo vno tantum libri. Hos igitur qua-„tuor libros, qui in primordiis singularum memora-„tarum compositionum positi sunt, tantummodo a vo-„bis eis tradi sancimus, caeteris decem opportuno „tempore conseruandis: quia neque possibile est, ne-„que anni secundi tempus sufficit ad istorum quatuor-„decim librorum magistra voce eis tradendorum reci-„tationem. §. 4. *Tertii insuper anni* doctrina talem „ordinem sortiatur, vt siue libros de iudiciis, siue de „rebus secundum vices legere eis sors tulerit, concur-„rat eis *tripartita legum singularium dispositio:* et in-„primis liber singularis ad hypothecariam formulam, „quem opportuno loco, in quo de hypothecis loqui-„mur, posuimus; vt cum aemula sit pignoratitiis actio-„nibus, quae in libris de rebus positae sunt, non ab-„horreat eorum vicinitatem: cum circa easdem res am-„babus pene idem studium est. Et post eundem librum „singularem, alius liber similiter eis aperiatur, quem „ad Edictum Aedilium, et de redhibitoria actione, et „de Euictionibus, nec non duplae stipulatione com-„posuimus: cum enim quae pro emptionibus et ven-„ditionibus legibus cauta sunt, in libris de rebus prae-„fulgent; hae autem omnes, quas diximus, defini-„tiones in vltima parte prioris Edicti fuerant positae: „necessario eas in anteriorem locum transtulimus, ne

„a venditionibus, quarum quaſi miniſtrae ſunt, vicini-
„tate vlterius deuagentur. Et hos tres libros cum acu-
„tiſſimi *Papiniani lectione* tradendos poſuimus, quo-
„rum volumina in tertio anno ſtudioſi recitabant, non
„ex omni eorum corpore, ſed ſparſim pauca ex mul-
„tis et in hac parte accipientes. Vobis autem pulcher-
„rimus Papinianus non ſolum ex reſponſis, quae in
„decem et nouem libros compoſita fuerant, ſed etiam,
„ex libris ſeptem et triginta quaeſtionum, et gemino
„volumine definitionum, nec non de adulteriis, et pe-
„ne omni eius expoſitione in omni noſtrorum digeſto-
„rum ordinatione praefulgens propriis partibus prae-
„clarus ſui recitationem praebebit. Ne autem tertii
„anni auditores, quos *Papinianiſtas* vocant, nomen et
„feſtiuitatem eius amittere videantur, ipſe iterum in
„tertium annum per belliſſimam machinationem intro-
„ductus eſt: librum enim hypothecariae et primordiis
„plenum eiusdem maximi Papiniani fecimus lectione,
„et nomen ex eo habeant, et Papinianiſtae vocentur et
„(eius reminiſcentes, et) laetificentur et feſtum diem,
„quem cum primum Leges eius accipiebant, celebra-
„re ſolebant, peragant: et maneat viri ſublimiſſimi
„praefectorii Papiniani, et per hoc in aeternum me-
„moria, hocque termino tertii anni doctrina conclu-
„datur. §. 5. Sed quia ſolitum, *anni quarti* ſtudioſos
„Graeco et conſueto quodam vocabulo λύτας appella-
„ri: habeant quidem, ſi maluerint hoc cognomen:
„pro reſponſis autem prudentiſſimi Pauli, quae antea
„ex libris viginti tribus vix in decem et octo recita-
„bant, per iam expoſitam confuſionem eos legentes,
„*decem libros ſingulares, qui ex quatuordecim, quos an-*
„*tea enumerauimus, ſuperſunt, ſtudeant lectitare:* multo
„maioris et amplioris prudentiae ex eis theſaurum
„conſecuturi, quam, quem ex Paulianis habebant re-
„ſpon-

„ſponſis. Et ita omnis ordo librorum ſingularium a no-„bis compoſitus, et in decem et ſeptem libros partitus, „eorum animis imponetur: quem in duabus Digeſto-„rum partibus poſuimus, id eſt, quarta et quinta ſe-„cundum ſeptem partium diſtributionem: et quod iam „primis verbis orationis noſtrae poſuimus, verum in-„veniatur vt ex triginta ſex librorum recitatione fiant „iuuenes perfecti, et ad omne opus legitimum inſtru-„cti, et noſtro tempore non indigni; duabus aliis par-„tibus, id eſt, ſexta et ſeptima noſtrorum Digeſtorum, „quae in quatuordecim libros compoſitae ſunt, eisdem „poſitis, vt poſſint poſtea eos et legere, et in iudiciis „oſtendere. Quibus, ſi bene ſeſe imbuerint; et in *quin-„ti anni*, quo *Prolytae* nuncupantur, metas, *Conſtitutio-„num Codicem* tam legere, quam ſubtiliter intelligere ſtu-„deant: nihil eis legitimae ſcientiae deerit; ſed omnem „ab initio vsque ad finem ſuis animis amplectantur; et, „quod bene in alia nulla euenit arte, cum etſi viliſſimae „ſint, omnes tamen infinitae ſunt, haec ſola ſcientia „beat finem mirabilem, in praeſenti tempore a nobis „ſortita.„ Quodſi nunc hanc a IVSTINIANO praeſcri-ptam docendi in ſcholis methodum, comparamus cum ea qua vſi ſunt Anteceſſores ante tempora IVSTINIANI, pa-tet 1) quoad ſcripta ab iis explicata, loco Inſtitutionum et reliquorum ſcriptorum CAII, ſuas inſtitutiones IVSTI-NIANVM ſubſtituiſſe, et loco certarum partium Edicti per-petui, certas Pandectarum partes, eo fine in ſeptem partes diuiſas (*Introd. cit.* §. *209.*); 2) quinquennium ſtudii iuridici ab eo non eſſe immutatum; 3) nomina eorum qui diſcebant iurisprudentiam non niſi quoad primi anni auditores mutaſſe IVSTINIANVM, quippe quos *Iuſtinianos nouos* ſeu *Iuſtinianiſtas*, non vero *Dupon-dios*, appellandos eſſe conſtituit.

Abhandlung *von dem mündlichen Unterricht der alten Rechtsgelehrten.* Dritter Abſchnitt: *Seit den Zeiten des Iuſtinians,* in den Halliſchen Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. III. P. XI. p. 553 ſeqq.

Iuſti REIFFENBERGII Or. *de quinquennio Iuſtiniani ſtudiis ciuilibus tributo.* Exſtat in EIVS Orationibus quibus Iura Romana cum elegantiori litteratura coniungendi ratio exponitur. Amſtelodami 1629 pag. 48 ſeqq.

§. 226.

Quod tandem attinet fata iurisprudentiae romanae ſub ciuiliſtis primaeuis Latino-Romanis *Poſtiuſtinianeis,* alia ea fuerunt in Oriente, alia in Occidente; quum hi ciuiliſtae partim in Oriente floruerunt, quales ſunt qui ante ortum Graeco-Romanorum Ciuiliſtarum (§. 97.) in Oriente, partim in Occidente, quales ſunt qui vsque ad Sec. XII. cum quo medii ICti orti ſunt (§. 124.) in Occidente, vixerunt. Quod itaque attinet *Orientem* 1) ICtos ibi viuentes continuaſſe in ſcholis iuridicis *viua voce* explicare cupidae legum iuuentuti iuris praecepta, et methodum a IVSTINIANO praeſcriptam obſeruaſſe, tamdiu praeſumendum donec contrarium probatum: aſt nunc non niſi in ſchola Conſtantinopolitana id fiebat, extincta Sec. VII. ſchola Berytenſi. 2) Per *ſcripta* etiam ab his ICtis excultam eſſe iurisprudentiam, et praeſertim paratitla edidiſſe, conſtat, praetereaque eos auctores variorum huius aetatis ſcriptorum, per quae leges vnius argumenti in vnum compendium coactae, veluti leges *nauales, militares* et *georgicae,* fuiſſe, valde probabile eſt. Quoad *Occidentem* vero: *an ſpeciatim iuris Iuſtinianei cultura ibidem durauerit vsque ad Sec. XII, quo orti ſunt ICti medii?* ardua quaeſtio eſt. Poteſt tamen, ſi quid video, affirmatiue ad eam reſponderi, poſtquam ab eruditis Italis et Germanis certiora in dies monumenta pro-

ferun-

feruntur in lucem, quibus confirmant Ius Romanum Iustinianeum semper a IVSTINIANO vsque ad LOTHARIVM in Italia valuisse. Hinc 1) schola iuris romana, quae sub Gothis adhuc floruit, nec sub Longobardis et Francis exstincta, in eaque floruerunt iuris professores quibus iurisprudentiae cultura curae cordique fuit. 2) Praeter scholam iuris romanam non defuerunt aliae scholae iuridicae, veluti Schola Beccensis seu Beccumensis in qua docuit Sec. XI. LANFRANCVS (§. 121). Nec desunt 3) scripta iuridica quae loquuntur non plane neglectam esse iuris Iustianianei culturam in occidente. Referri huc possunt IVLIANI eius cuius §. 118. mentio facta *Epitome Nouellarum*, quod scriptum in Occidente in magna auctoritate fuit; nec non *Brachilogus iuris ciuilis*, siue *corpus legum*, paulo post IVSTINIANVM ab homine Italo vel Afro, vel saltem tali qui ibi vixit, congestum, totum iuris Iustinianei ambitum pandens.

§. 227.

His de fatis iurisprudentiae romanae sub ciuilistis Latino-Romanis dictis, paucis addendum quae fuerint eius fata sub *ciuilistis Graeco-Romanis*, sicque in Oriente circa Sec. IX. finem, vsque ad excidium Constantinopolitanum. Nimirum, postquam LEO opus Basilicorum a BASILIO coeptum perfecerat, et Ius Iustinianeum in Oriente viuere desierat, haec mutatio effecit varia quoad iuris studium esse mutata. Nunc enim 1) in schola iuridica Constantinopolitana, quae his temporibus adhuc floruit, alia scripta in praelectionibus explicata esse, facile patet, licet specialiora de methodo docendi, qua vsi sunt ICti Antecessores graeco-romani, non sint cognita; et quod attinet 2) horum ICtorum scripta, non vnam omnes in iure tradendo ingressi sunt viam, alii enim *glossas* seu *scholia*; alii *paratitla*; alii *compendia*, inter quae et metrica compendia sunt, quae-

que

que *Eclogae*, *Synopſes*, *Promptuaria*, *Manualia* appellari ſolent; alii *de vnico quodam argumento* e. g. de temporalibus interuallis, de poenis, de gradibus cognationis, ſcripſerunt. Aſt omnis haec cultura et omne iurisprudentiae romanae ſtudium Sec. XV. cum ipſo imperio romano orientali plane deletum et exſtinctum.

§. 228.

Abſolutis fatis iurisprudentiae romanae, quae hoc aeuo experta eſt, progredior ad IVRISPRVDENTIAM CANONICAM, quae hoc tempore orta eſt. Incidit enim in haec tempora Canoniſtarum primaeuorum ortus (§. 119.), et ab hoc tempore prodierunt ſcripta circa legum eccleſiaſticarum culturam occupata, quae aliquam artis formam habent, ſicque pro meris canonum collectionibus haberi nequeunt, et Canoniſtas primaeuos, Latinos et Graecos, auctores habent. Qui vero iam aliquid artis in ſuis collectionibus adhibuerunt Canoniſtae primaeui, diuerſa via ſunt ingreſſi in ſuis ſcriptis. Alii enim non niſi legum eccleſiaſticarum in ſcriptis ſuis rationem habuerunt, alii vero ſimul ad leges ſeculares reſpexerunt, quibus e re ſua eſſe viſum eſt conferre cum legibus canones. Poſterius ſtudium produxit ſic dictos *Nomocanones*. Qui vero priori via inceſſerunt, vel integros expanſos dederunt canones ſecundum materiarum ſeriem tamen digeſtos, et huiusmodi ſcripta ſeu maiores canonum collectiones *Decretum* vel *Pannormia* ſeu *Pannomia* appellari ſolent; vel Summis et Breuiationibus eorum contenti fuerunt, vnde *Epitomae*, *Synopſes*, *Breuiationes* ſeu *Breuiaria canonum*; vel iis ſatis fuit ſelecta duntaxat, ſuoque vſui accommodata, proferre; vel certi alicuius argumenti canones in vnum tantum contulerunt.

§. 229.

§. 229.

Incidit etiam in hanc epocham IVRISPRVDENTIAE FEVDALIS infantia, seu potius quaedam eius quasi praeludia iam huc pertinent. Licet enim cum iis facere nequeam, qui putant Cancellarios et Notarios iam inde ab origine feudorum iuris feudalis peritos fuisse, nec ADELARDVM, Caroli M. propinquum, aut HATTONEM, Archi-Episcopum Moguntinum, huc referri posse, credam: in PHILIBERTI seu FVLBERTI, Episcopi Carnotensis, qui floruit Sec. XI. et a. 1028 mortuus est *Epistola de forma fidelitatis inter dominum et fidelem*, cuius fragmentum quoddam exstat in Decreto Gratiani *c. 18. C. 22. Quaest.* 5. et *II. Feud. 16.* prima iurisprudentiae feudalis stamina contenta esse, optimo iure defendi potest. Vel inde enim 1) quod haec epistola ad Ducem Aquitanorum scripta sit, patet eam ad scripta dogmatica referri posse. Immo 2) cum PHILIBERTVS expresse fateatur, se ex *librorum auctoritate* scribere, eo magis defendi potest, iam sub ICtis antiquis iurisprudentiam feudalem aliquo modo esse excultam.

§. 230.

Licet vero ex his quae de fatis iurisprudentiae sub ICtis antiquis reliquis, praeter ICtos Romanos stricte sic dictos, sicque de fatis eius ab vltima parte Sec. III. vsque ad Sec. XII, et, Graeciam quod attinet, Sec. XV, §. 219 seqq dicta sunt, pateat, per omne hoc tempus iurisprudentiae studium nunquam plane cessasse: negari tamen nequit omnem hanc culturam, si discesseris ab ea quae per ipsum IVSTINIANVM facta Sec. VI, dum Pandectarum et Institutionum systema compilari iussit, parum aut nihil eo contulisse, iurisprudentiam ad illud fastigium peruenisse in quo eam hodie positam esse cernimus. Vnde in enarrandis fatis iuris-

iurisprudentiae huius temporis hic ſubſiſto, nec operae pretium eſſe iudico, quibus ſubſidiis ICti huius aeui in eruendis veritatibus iuridicis vſi ſunt, quidque praeſtiterunt, inquirere et ad varias alias quaeſtiones, quae praeterea hic moueri poſſent, reſpondere. Mirandum interim in tanta barbarie, quae his temporibus in orbe erudito fuit, quibus omnes fere litterae, praeſertim ex occidente, aufugiſſe videbantur, non plane deletam et funditus exſtirpatam eſſe vnicam, quae hactenus effloruerat, iurisprudentiam romanam, quod ſine ſingulari Dei circa eam prouidentiam non potuiſſet non euenire.

PARS II.

HISTORIA IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS MEDIIS.

Ioan. Baptiſt. de GAZALVPIS *hiſtoria interpretum et Gloſſatorum iuris*, quam ex EIVS Tr. de ſtudendi modo ſuae Panziroli editioni adiecit *Hoffannus*.

Catelliani COTTAE *recenſio breuis inſignium iuris interpretum et Doctorum*, quae ex EIVS memorialiis inſerta Hoffmannianae editioni Panziroli.

Mattheae Gribaldi MOPHAE *catalogus interpretum iuris ciuilis*, itidem nouae editioni Panziroli a HOFFMANNO adiectus.

Alberici GENTILIS *de iuris interpretibus dialogi ſex*. Londini 1582 et apud HOFFMANNVM l. c.

EPOCHA I.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB GLOSSATORIBVS.

§. 231.

Reuiuixit nunc, quod aliquo modo quieuerat in Occidente, iurisprudentiae *romanae* ſtudium, et iuriſpru-

risprudentia *canonica* tam, quam *feudalis*, efflorescere coeperunt ex sparso iam antea semine. Iacta etiam nunc sunt iurisprudentiae *germanicae* fundamenta. Huius quadruplicis iurisprudentiae fata itaque nunc sigillatim recensenda, quae experta est sub ICtis mediis iis quos sub Glossatorum nomine a reliquis separaui (§. 127.).

§. 232.

Seculo XII sub iis ICtis mediis, quos sub Glossatorum nomine a reliquis separaui, IVRISPRVDENTIAM ROMANAM, nimirum Iustinianeam, maiori feruore in Occidente, quam ante haec tempora sub ICtis antiquis reliquis praeter ICtos romanos stricte sic dictos factum, excultam esse, extra omnem positum est dubitationis aleam. Si vero vlterius determinandum: *vbi, a quo, et qua occasione studium huius iurisprudentiae hoc aeuo reflorescere coeperit?* omni opus est circumspectione, vt verum a falso separetur. Olim constans fuit opinio, repertum esse a. MCXXXVII a LOTHARIO in vrbe Amalphi expugnata codicem aliquem pandectarum, antea in Occidente plane incognitarum, eumque occasionem dedisse LOTHARIO ius romanarum Iustinianeum in scholas et fora Germaniae et Italiae introducendi, et IRNERIVM, qui tum latinas litteras Bononiae docuit, cum ei in explicatione quid sit As aqua haeserit, hac occasione permotum esse publice Bononiae Ius Iustinianeum explicandi. Ast dudum iam monuerunt alii, haec omnia se omnino ita non habere, licet aliqua ex iis vera sint. Dicam quod sentio hac de re, quatenus huc pertinet, reliqua enim partim ad Historiam legum, partim ad Notitiam scriptorum iuridicorum remittenda sunt. Ante omnia vero notandum hic distinguendum esse inter *Italiam* et *alias occidentalis Europae terras. Italiam* quod attinet 1) certum est Sec. XII ineunte

te docuiſſe quendam IRNERIVM, ante annum 1150 mortuum (§. 129.) iurisprudentiam romanam Iuſtinianeam Bononiae. Nec minus 2) certum eſt iam ante eum idem Bononiae feciſſe PEPONEM quendam, aſt non ſatis felici ſucceſſu. Porro 3) certum eſt ob controuerſiam de *Aſſe* ſtudium iuris veniſſe Bononiam. Tandem 4) certum eſt ad petitionem MATHILDIS renouaſſe IRNERIVM ſtudium iuris Bononiae et Imperatores iam Sec. XII ſtudium vniuerſale ibi confirmaſſe. Haec enim ſunt quae per teſtimonia quae ſequuntur fide digna probari poſſunt. I. ABBAS VRSPERGENSIS: *Eisdem quoque* (Lotharii) *temporibus Dominus* WERNERIVS *libros legum, qui dudum neglecti fuerunt, nec quisquam in iis ſtuduerat, ad petitionem* MATHILDAE *Comitiſſae renouavit. Et ſecundum quod olim a diuae recordationis Imperatore Iuſtiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpoſitis, eos diſtinxit, in quibus continentur Inſtituta praefati Imperatoris, quaſi principium et introductio iuris ciuilis. Edicta quoque Imperatorum et Aedilium curulium, quae rationem et firmitatem praeſtant iuri ciuili, haec in libro Pandectarum videlicet in Digeſtis continentur. Additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum ſtatuta deſcribuntur. Quartus quoque liber eſt authenticorum, quem praefatus Iuſtinianus ad ſuppletionem legum imperialium ſuperaddit.* II. ODOFREDVS ad *l. ius ciuile D. de I. et I. Dominus* IRNERIVS *fuit apud nos lucerna iuris, id eſt primus qui docuit in ciuitate iſta* (ſcilicet Bononiae). *Nam primo coepit ſtudium eſſe in ciuitate iſta in artibus*; et *cum ſtudium eſſet deſtructum Romae, libri legales fuerunt deportati ad ciuitatem Rauennae et de Rauenna ad ciuitatem iſtam. Quidam dominus* PEPO *coepit autoritate ſua legere in legibus. Tamen quicquid fuerit de ſcientia ſua nullius nominis fuit. Sed Dn.* IRNERIVS *dum doceret in artibus in ciuitate iſta, cum fuerunt de-*

por-

portati libri legales, coepit per se studere in libris nostris et studendo coepit docere in legibus. Et ipse fuit maximi nominis, et fuit primus illuminator scientiae nostrae, et quia primus fuit qui fecit glossas in libris nostris, vocamus eum lucernam iuris. III. Porro idem ODOFREDVS ad *l. 82. ff. ad L. Falcidiam*: *legum studio*, ait, *Rauennae cadente Bononiam translatum fuisse cum corpore legum non vno eodemque tempore, sed primo Codicem, Digestum nouum et vetus atque Institutiones, postea*, addens, *fuit inuentum Infortiatum sine tribus partibus: postea fuerunt portati tres libri et vltimo liber Authenticarum inuentus est.* IV. CARDINALIS HOSTIENSIS in *c. 1. pr. X. de test. n. 2. As, id est duodecim vnciae: As ergo quandoque ponitur pro obulo, propter quod verbum venit Bononiam studium ciuile, sicut audiui a Domino meo* (Azone). Tandem V. huc pertinent variae annotationes ex vetustissimo Kalendario Archigymnasii Bononiensis ab ALEXANDRO MACHIAVELLO in notis ad SIGONII *historiam Bonon.* adductae, veluti ad d. 10 Iunii a. MCXXXIII. *Hac die geminis terrarum orbis principibus Romae extantibus ac vna conuenientibus in ferendo de iuribus nostrae ecclesiae, academiae et patriae iudicio de plenitudine eorum potestatis* INNOCENTIVS *nempe II. et* LOTHARIVS *quoque II. Caes. Aug. amplissime ea apud Lateranum confirmarunt et ampliarunt, largito diplomate desuper re hac dato*, IRCO BECCARIO *famosiss. legum interpreti*, PILIO BAGAROTTO *celeberr. glossatori huius Lycaei publ. lect. Antonio Torello et Celso Petro de Bulgaris equitibus, qui pro Bononia legationem ad eos obierunt, et nomine publico interfuerunt solenni nominationi in imperatorem, quam in eadem Basilica S. Io. idem Innocentius habuit d. 4 huius mensis et praesenti anno, vniuersis adclamantibus orthodoxis:* nec non ad finem Decembris, vbi annotat LOTHARIVM II d. 3. Dec. MCXXXVIII obiisse, atque

ſolennes exequias ſcholam Bononienſem quotannis di·ℭta die in ſuffragium animae eiusdem celebraſſe, *laudis tunc orationem acclamante cl. D.* PETRO LOMBARDO *tunc Bonon. publ. leℭt. et poſtea Ep. Pariſien. qui vocatur magiſter ſententiarum et hoc fiet obinde, quia idem Caeſar tam Romae d. a. MCXXXIII vt infra in Iunio, quam de a. MCXXXVI apud Roncalias hoc ſtudium confirmauit et ſummis priuilegiis auxit, ac inſuper per Bononiam tranſiens, Colleg. Doℭtores Equites creauit auro torque decorauit et indum. palatin. pretioſiſſimo honeſtauit, comprobata inſuper immemorabili ſacrata ordinatione de non admittendis vnquam ad eadem* IVRISTARVM COLLEGIA *niſi ciuibus, iisque vna ſimul legit. et nat. ad excluſionem naturalium tantum, nothorum &c. quauis ampliſſ. eorum legitimatione non obſtante.* Quodſi itaque nunc quae certa ſunt, coniunguntur cum iis quae ex variis circumſtantiis probabiliter colligi poſſunt, haec prodit, me iudice, vera hiſtoria reſuſciati in Italia ſtudii iuris ciuilis. Quum Sec. XII per occidentalem Europam refulgere quaſi coeperunt aliae diſciplinae, idem etiam contigit quoad iurisprudentiam romanam, quam in *Italia* praeſertim IRNERIVS ineunte Sec. XII Bononiae iterum publice tradere coepit, ſecundum libros iuris Iuſtinianei tum magis notos faℭtos ac ante erant, hocque ſtudium ibi per ICtos ſcholae Irnerianae (§. 130.) magis propagatum, et LOTHARIVS quouis modo efficere ſtuduit, vt ſtudium iuris ciuilis nunc reſtauratum maiora capiat in dies Bononiae incrementa. Quoad *alias Europae occidentalis terras*, antea iam in *Gallia* non incognitum ſtudium iurisprudentiae Romanae nunc inſignia coepit incrementa: aſt, vt mihi videtur, non tam per ICtos ſcholae IRNERIANAE, ſed per eos qui potius LANFRANCO debent originem (§. 129). Iam Sec. XI enim in Gallia floruit *ſchola iuris Beccenſis*, et ex ea

Sec.

Sec. XII in *Anglia* enata eſt *ſchola iuris Cantiburienſis.* Addo et hic, quae huc faciunt teſtimonia ſcriptorum I. ROBERTVS de MONTE ſcriptor Sec. XII apud BRENCMANNVM in *Epiſt. ad Heſſelium* p. 54 ait: LANFRANCVS *Papienſis et* GVARNERIVS *ſocius eius*, *repertis apud Bononiam legibus romanis*, *quas Iuſtinianus Imperator Romanorum emendauerat*, *his inquam repertis*, *operam dederunt*, *eas legere et aliis exponere*, *ſed Guarnerius in hoc perſeuerauit*, *Lanfrancus vero diſciplinas in Galliis multos edocens tandem Beccum venit.* II. IDEM alio loco apud SELDENVM *ad Fletam* p. 510 de Ivone Carnotenſi ſcribit: *dum eſſet iuuenis audiuit Lanfrancum Priorem Becci de ſecularibus et diuinis literis tractantem in illa famoſa ſchola*, *quam Becci tenuit*, *in qua multi et nobilitate ſeculari et honeſtate morum conuenerunt.* III. PETRVS BLESENSIS qui in domo THEOBALDI antiſtitis Cantuarienſis leges ciuiles cum aliis didicerat, in epiſtola quadam in EIVS *Opuſc. edit. Lond. pag.* 497. obuia ſcribit: *in domo domini mei viri litteratiſſimi ſunt*, *apud quos inuenitur omnis rectitudo iuſtitiae*, *omnis cautela prouidentiae*, *omnis forma doctrinae. Iſti poſt orationem et ante comeſtionem in lectione*, *in diſputatione*, *in cauſarum deciſione iugiter ſe exercent. Omnes quaeſtiones regni nodoſae referuntur ad nos*, *quae cum inter ſocios noſtros in commune auditorium deducantur*, *vnusquisque ſecundum ordinem ſuum ſine lite et obtrectatione ad bene dicendum mentem ſuam acuit et quod ei conſilioſius videtur et ſanius de vena ſubtiliore ſubducit.* IV. In CHRONICO NORMANNORVM in *Scriptoribus Normannicis p. 983* legitur: *obiit Bechardus VI Abbas Becci*, *cui ſucceſſit* ROGERIVS, MAGISTER WACARIVS, *gente Longobardus*, *vir honeſtus*, *iuris peritus*, *cum leges Romanas Anno ab Incarn. Dn. MCXLIX in Anglia diſcipulos doceret*, *et multi tam diuites quam pauperes ad eum cauſa diſcendi confluerent.*

Suggeſtione pauperum de Codice et Digeſtis excerptos novem libros compoſuit, qui ſufficiunt ad omnes legum lites, quae in ſcholis frequentari ſolent, ſi quis eos perfecte noverit.

§. 233.

Sic reſtaurata iurisprudentia romana in *Italia* felices habuit progreſſus, dum LOTHARIVS II. Bononiae ſtudium generale MCXXXIII et MCXXXVIII conſtituit et confirmauit, nuncque facultates iuridicae (§. 54.) in iure ciuili, nec non gradus academici (§. 59.) in iure ciuili, originem traxerunt. Quod vero *alias Europae occidentalis terras* attinet, in *Germania* quidem deſunt ante Sec. XIV ſtudii iuris ciuilis ſ. romani veſtigia: aſt in *Anglia* et *Gallia* continuatum eſt ſtudium iuris romani; licet in Anglia Rex STEPHANVS Roberto ſilentium impoſuit et edicto proſcripſit leges Romanas, nec non in *Gallia* per conſtitutionem ab HONORIO III cum conſenſu PHILIPPI Regis a. 1220 editam, ſeuere prohibitum: „ne Pariſiis vel Ciuitatibus ſeu aliis locis vi- „cinis quisquam docere ſeu audire ius ciuile praeſumat„ *c. 28. X. de priuil. et exceſſ. priuileg.* quo tamen ſtudium legum romanarum magis auxerunt quam depreſſerunt. Non defuiſſe enim qui ius romanum diſcendi deſiderio flagrarunt, patet ſatis ex inſigni multitudine Gloſſatorum qui hoc tempore floruerunt, et eorum auditorum magna frequentia, nec non querela reliquarum artium peritorum: leges imperiales alias ſcientias omnes ſuffocaſſe. Inde etiam factum monachis et clericis iuris ciuilis ſtudium eſſe interdictum *c. 3. X. Ne cler. vel monach. ſecul. reg.* et *c. fin. X. eod.* quae prohibitio tamen ex poſt aliquo modo iterum relaxata eſt.

Hier. Frid. SCHORCH Progr. *de ſtudio iuris ciuilis clericis interdicto.* Erfordiae 1745.

§. 234.

§. 234.

Turbarunt vero mox vix resuscitatum iuris ciuilis studium, nunc ortae sectae BVLGARIANORVM et GOSIANORVM, Sabinianorum et Proculianorum sectis (§. 209.) simillimae, ita vt Bulgariani cum Sabinianis, Gosiani vero cum Proculeianis comparandi. Durarunt vero hae sectae tempore IRNERII ortae vsque ad FRANCISCVM ACCVRSIVM, sicque temporibus Glossatorum stricte sic dictorum (§. 127.) viguerunt, indeque reliqui ciuilistae inter Glossatores cum ICtis Romanis qui erciscundi appellantur (§. 212.), comparandi. Seriem et successionem harum diuersarum Glossatorum familiarum vero quod attinet, ea ex sequenti tabella cognosci potest. Capita earum sunt:

MARTINVS. vnde GOSIANI.	BVLGARVS. vnde BVLGARIANI.
\|	\|
PLACENTINVS.	IOANNES BOSSIANVS.
	NIC. FVR. BAGAROTTVS.
ALBERICVS A PORTA RAVEGNATE.	LOTHARIVS CREMONENSIS.
	AZO.
	HOMOBONVS HOSTIENSIS.
	ROFREDVS BENEVENTANVS.
PYLEVS.	IACOBVS BALDVINI.
	ODOFREDVS.

• *Io. Sam.* BRVNQVELLII Prol. acad. *de sectis et controuersiis iuris Iustinianei interpretum quos Glossatores appellamus.* Ienae 1725.

§. 235.

Licet autem hae Sectae his temporibus ortae et inter eas multae fuerint dissensiones: eodem *modo* tamen iurisprudentia romana ab omnibus huius aeui ciuilistis exculta, nec probari potest hic inter scholam

IRNERIANAM et ACCVRSIANAM, quod vulgo tamen fieri ſolet, diſtinguendum eſſe. Ad culturam ipſam vero referri poteſt, quod 1) quaedam doctrinae cauſa circa iuris Iuſtinianei libros immutauerint, praetereaque 2) ſcribendo, et 3) viua voce docendo, iurisprudentiae romanae culturam omni modo promouere ſtuduerint.

§. 236.

Quae circa *libros iuris Iuſtinianei* innouarunt ICti huius aeui ad facilitandum eius ſtudium, eo redeunt, quod 1) IRNERIVS authenticas adiecerit Codici; 2) BVRGVNDIO quidam graecos in Pandectis et Codice textus latinitate donauerit; 3) Nouellarum diuiſio in nouem partes, nouem Authenticarum collationes dictas, ab eodem facta; 4) Pandectae in Digeſtum vetus, infortiatum et nouum diuiſae; et 5) diuerſae partes iuris Iuſtinianei in vnum volumen ſub *corporis iuris* nomine redactae.

Cornelius van BYNCKERSHOECK diatriba *de auctore*, *auctoribusue authenticarum.* Hagae 1699.

Abhandlung: *von der Streitigkeit über den wahren Verfaſſer der Authenticarum.* In den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol II. P. VI. num. 111.

§. 237.

Ciuiliſtarum huius aeui *ſcribendi* labor in eo conſtitit, quod Gloſſas, Summas, aliaque ſcripta compilauerint. Per 1) *gloſſas* illuſtrarunt leges, et licet gloſſae a nuda vocum obſcuriorum, quae in textu occurrunt, interpretatione ac breuibus notis coepiſſe videntur, eo tamen progreſſu temporis perductae ſunt, vt textus iuris plenius et more commentariorum enarrent. Qui hoc ſcriptorum genere potiſſimum inclaruerunt ſtricte Gloſſatores iuris ciuilis appellantur, quorum

rum vltimus ACCVRSIVS fuit, qui collegit aliorum glossas suasque adiecit, vnde a. MCCXX. enata glossa corpori iuris adiecta, quae in foris et scholis magnam accepit auctoritatem, secundum illud: *Malo pro me glossam quam textum, quia subtilis ratio non ita intrat in caput iudicis sicut glossa.* 2) Qui ediderunt *summas* per eas ius in breuiores veluti positiones contraxerunt, et ipsi earum auctores *Summistae* dicebantur, inter quos praecipui sunt ROGERIVS et AZO. 3) Reliqua scripta ad singulare quoddam thema restricta erant, veluti IRNERII *Formularium*; scripta sub *iudiciarii ordinis* titulo edita, veluti a PYLEO, cui etiam originem debent *Quaestiones sabbatinae*, ab hoc, quod singulis diebus saturni in vtramque partem disputationes haberentur, dictae.

§. 238.

Viua voce docuerunt Ciuilistae huius aeui iura in lectionibus tam ordinariis, quam extraordinariis. *Ordinariae* lectiones erant publicae lectiones pro stipendio publico habendae, quibus olim non nisi Digestum vetus et Codex explicari solebant: alias iuris partes vero priuatim domi, stipe sibi ab Auditoribus collata, in *extraordinariis* lectionibus explicabant; licet posterioribus temporibus et hae lectiones vespertinis horis publico stipendio enarratae sint. Lectionem ordinariam vel Codicis, vel Digesti veteris quotannis absoluere solebant, ab initio mensis Octobris vsque ad medium Augustum, et ad quamlibet lectionem olim non nisi vnicus constitutus erat professor, postea vero eiusdem lectionis bini aut plures interpretes esse coeperunt qui *Concurrentes* vocari solebant.

§. 239.

His de fatis iurisprudentiae romanae sub ICtis Glossatoribus praemissis, et nunc de IVRISPRVDENTIAE CA-

NONICAE fatis, quae habuit hoc aeuo, agendum. Studium iuris ciuilis his temporibus, vt dixi, tam subito efflorescere crabrones excitauit, et effecit iurisprudentiae canonicae in cunis adhuc vagientis metuendus interitus, Pontificem aliosque omnem mouisse lapidem culturam eius promouendi. Hinc factum hoc tempore studium canonum in Italia academicum factum esse, sicque iurisprudentiam canonicam, nunc si non ortam, tamen insignia coepisse incrementa. Excitatus enim GRATIANVS, potissimum monitis et consiliis S. BERNHARDI Abbatis Claraeuallensis, cui studium iuris ciuilis sudes in oculis erat, vt, cum liber idoneus deesset qui praelectionibus academicis in ius canonicum inseruire posset, in hunc finem Decretum suum ordine systematico compilaret. Quo facto hoc suum Decretum obtulit censurae academiae Bononiensis, precibus additis vt postea EVGENIO III. mitteret Pontificia auctoritate confirmandum, quam confirmationem etiam quoad vsum academicum obtinuit et ipse GRATIANVS sacrorum canonum Professor cum REYNERO BELLAPECORA in academia Bononiensi a. 1152 constitutus est. Hanc esse veram studii iuris canonici originem testatur saepius allegatum *Kalendarium Bononiense* his quae sequuntur verbis: *Hac die* (nimirum d. 22 Martii) *Gratianus monachus celeberrimus S. Felicis, cognomento Magister decretorum, et a plurimis annis sacrarum Canonum in hoc Lyceo publ. professor, obtulit de ao. 1151, vniuersis Iurisconsultis publicis nostris interpret. et scholar. dantibus hic operam legibus, insigne opus suum a plurimis annis retro sub magno labore congestum, et modo absolutum, concordiae discordantium canonum, quod appellatum est decretum, rogans eos dimisse, vt sibi compatiendo dignarentur illud examinare, et corrigere, et postea offerre D. Apostolico Eugenio III. vt de sua venia publice legi et explicari,*

plicari, prout laudato solertissimo Authore R. D. Archid. nomine Academiae spospondit facere, et onus assumsit, ac porro etiam obtinuit cum magna satisfactione d. D. papae de anno 1152. Porro refert hoc Kalendarium ad d. 4 Nov. *hac die de anno 1152. R. D. archid. Bonon. tamquam maior huius studii gen. Cancell. conuocatis pub. iur. interp. et cap. nat. scholarium Legist. in S. Petri, promulgauit litteras apostolicas D. Eugenii papae III. ad ipsum dat. Romae 21 Octob. praeteriti, per quas dabat suum PLACET super hoc, quod compilatio magistri Gratiani superiori anno per eum huic Lycaeo oblata, et a D. archid. Romam missa, vt sana et canonica publice posset legi et explicari, commendans insuper summopere, et maxime Clericis, hoc studium sacrorum canonum, spem denique dando, fore se magnis honor. atque dignit. cumulaturum eos, qui proficiscent in hac facultate. Et proinde hac eadem die fuerunt assumti duo publici iuris interpretes, qui dictum decretum legere incoeperunt, et fuerunt idem magister Gratianus, monachus S. Benedicti et magister Raynerius Bellapecora ex canonicis regularibus vsque ad exitum vitae suae.* &c.

Iust. Henn. BOEHMERI Diss. *de varia Decreti Gratiani fortuna*, Decreto in EIVS editione corporis iuris Canonici praefixa.

§. 240.

Sic apertis iuris canonici cathedris academicis, vt faciliores habeat studium iuris canonici progressus, *gradus academicos*, antea iam in iure ciuili et artibus conferri solitos, EVGENIVS III. et iuri canonico indulsit, quo tempore itaque *facultates iuris canonici* ortas, et facultatibus iuris ciuilis adiunctas esse, valde probabile est. Quae vero de gradibus academicis in iure pontificio nunc introductis dicta sunt confirmant satis, quae *ad 7 Martii* in *Kalendario Bononiensi* annotata sunt: *Hac die,*

 de

de A. 1153. in generali conuentu publico iuris interpret. et scholarum dantium operam legibus, in vtroque iure, habito de ordine R. D. archidiaconi, tamquam maj. cancellarii huius studii generalis in Sancti Petri, edita est constitutio D. apostolici Eugenii Papae III. data Lateram 14. Febr. huius anni, et per eum transmissa ad dictum R. archidiaconum super facultate ipsi collata constituendi baccalaureos et Licentiatos, atque eosdem creandi distinctim a gradu vel censura in iure ciuili, doctores siue magistros in iure canonico cum iisdem honoribus, dignitatibus, praerogatiuis &c. quibus fruuntur baccalaurei et licentiati et creati doctores Bononiae in iure Caesareo et artibus per dictum D. archidiaconum, ita, quod in omnibus, et per omnia, qui creati erunt doctores siue magistri in iure canonico posthac Bononiae per d. D. archidiaconum sint, habeantur ad instar et aequiparentur, sine vllo discrimine doctoribus ita creatis, vel in iure caesareo, vel in artibus, immo hi tamquam digniores propter diuinum ius, quod pertractant, praeferri debeant, et praecedant in quacunque alia facultate doctoratos. Baccalaureus vero constitui nullus poterit, nisi postquam bene studuerit per tres annos, et publice disputauerit cum scholaribus in iure hoc; item, neque postea poterit quispiam baccalaureari, licenciari, nisi bene studuerit altero anno a Baccalaureatu et publice disputauerit, cum aliis baccalaureis in hoc iure, et demum Doctor nullus creari in iure canonico poterit, nisi qui altero rursus anno, postquam fuit Licentiatus in d. hoc iure, optime in eo se habuerit, atque rigorosum subierit sub aliis doctoribus examen, sub poena nullitatis actus. Huc etiam faciunt quae alio loco in dicto Kalendario commemorantur ad d. 19 Sept. de GRATIANO et eius decreto, de eoque additur: *quod opus huic Archigymnasio obtulit, vt supra ad diem 21 Martii, et de venia B. Eugenii III. coepit*

publice

publice legi et exponi, dilectis eodem magistro Gratiano et magistro Raynerio Bellapecora, vt pariter supra sub die 4 Nouembris, cum incomparabili decore et honorif. studii general. Bononiens. in quo ob id quoque instituti sunt baccalaurei, licentiati et doctores siue magistri etiam in iure canonico, vt fiebat in iure ciuili et artibus, quare memoria tanti viri erat apud nos in laude perpetua et sancta benedictione. Obiit autem ipse hac die A. 1158. et sepultus est in S. Felice.

§. 241.

Sic ortum et adiuuatum iuris canonici studium academicum, *feliciorem* adhuc *progressum* habuit quam studium iuris ciuilis, idque itidem non in *Italia* solum, sed mox etiam in *alias terras* diffusum est, et praesertim in academia Parisiensi sedem sibi quaesiuit et retinuit iuris ciuilis studio licet prohibito. Ast tamen 1) hoc tempore nondum adsunt vestigia studii academici huius iuris in Germania, etsi IOANNES SEMECA iam nunc decretum glossis illustrauerit in Germania. Promotum porro 2) iurisprudentiae canonicae studium per collectiones Decretalium Sec. XIII et initio Sec. XIV factas et ad Academias missas, vt praelectionum academicarum vsui inseruirent. Et licet 3) hoc tempore inter ICtos oriebantur *Legistarum* et *Decretistarum* factiones, inde tamen iuris canonici culturae nihil decessit, sed Legistae iuris ciuilis, Decretistae vero iuris canonici studium omni modo promouere allaborabant. Ortus harum, factionum potius, quam sectarum (§. 41.) inter ICtos vero hic est. Prout Sec. XII. Gibellini Caesaris, Guelphi autem Pontificis auctoritatem mirum in modum extulerunt; ita et alii ICtorum cum Gibellinis, alii vero cum Guelphis faciebant. Legistae enim iuris ciuilis studio potissimum dediti a partibus Imperatoris

toris ſtabant, eique attribuebant, quae in iure romano de Imperatoribus Romanis legerant. Decretiſtae vero, qui iuri canonico praeſertim incumbebant, Pontifici fauebant eiusque auctoritatem omni modo contra Imperatorem extollere annitebantur. Scripta ipſa quibus Legiſtae et Decretiſtae inter ſe contenderunt collegit GOLDASTVS tribus voluminibus ſub titulo: *de Monarchia Imperii.*

Iuſt. Henn. BOEHMER Diſſ. *de decretalium Pontificum Romanorum variis collectionibus et vſu*, decretalibus in EIVS editione corp. iur can. praefixa.

Auguſt. de LEYSER Praef. *de reliquiis Gibellinorum et Guelforum in iuris canonici ſcriptoribus* EIVS Inſtit. iur. can. praemiſſa.

§. 242.

Quod attinet *ipſam* iuris canonici ſeu potius canonico - pontificii *culturam*, Canoniſtae huius aeui, prout Ciuiliſtae, *docuerunt* viua voce ius canonicum et editis *ſcriptis* illud illuſtrarunt. Quae ſupra (§. 237 et 238.) tam de Ciuiliſtarum huius aeui ſcriptis, quam de eorum praelectionibus dicta ſunt, et hic, mutatis mutandis, valent, dum et Canoniſtae *Gloſſas*, *Summas* et *Tractatus* ediderunt, et hic non niſi hoc addendum commentarios ampliores, *Apparatus*, vt et *Lecturas*, potiſſimum a Canoniſtis, appellatos eſſe. Prout vero inter Gloſſatores iuris ciuilis praeſertim ACCVRSIVS notandus, ita et inter Decreti Gloſſatores IOANNES SEMECA, ſeu IOANNES TEVTONICVS, et inter Decretalium Gloſſatores, BERNARDVS BOTTONVS, ſeu BERNARDVS PARMENSIS, praeſertim notandi, et hi quoad aliorum gloſſas in Decretum et Decretales fecerunt id, quod quoad gloſſas iuris ciuilis fecit ACCVRSIVS (§. 237).

§. 243.

§. 243.

Praeter iuris romani et canonici culturam, ICti huius aeui et IVRISPRVDENTIAE FEVDALIS LONGOBARDICAE vlteriorem culturam (§. 229.), infigniter promouerunt. Huc faciunt 1) fcripta feudalia quae Confules Mediolanenfes OBERTVM de ORTO et GERARDVM NIGRVM auctores habent (*Introd.* §. 143.), quippe quae non pro nudis legum collectionibus, fed potius fyftematicis fcriptis iuris feudalis habenda; 2) academica cultura iurisprudentiae feudalis Longobardicae hoc tempore fic orta. Facta Sec. XII. Bononiae tam iuris ciuilis, quam canonici culturae feliciffima reftauratio, excitauit libri feudorum compilatorem fub FRIDERICO I, ne et iuris beneficiarii collectio deeffet, et vt ICti academiae Bononienfis ad docendum et excolendum iurisprudentiam feudalem ducerentur, illum compilandi, cumque hic liber a FRIDERICO I Bononiam miffus, ibi et iuris feudalis Longobardici ftudium coepit; id quod per faepius allegatum *Kalendarium Archigymnafii Bononienfis* probatur, in cuius menfe Octobri haec notantur: 23 *Anniv. funeris infigniff. D. Hugolini de Porta Rauennate iurisconfulti et Libri feudorum Bononiam a Friderico* I *Aenobardo Caefare miffi Gloffatoris ac publici legum in noftro Archigymnafio interpretis* &c.

§. 244.

Vlteriora fata quae habuit iurisprudentia feudalis fub ICtis Gloffatoribus haec funt. ICti huius aeui 1) docebant eam viua voce, licet operae praetium non habuerunt ex inftituto docere hanc iurisprudentiae partem, fed alii eam per tranfennam in iure canonico explicarunt, alii ablegarunt ad argumentum iuris emphyteutici et agglutinarunt Codicis libro quarto. Nec minus 2) per fcripta eam excoluerunt, nimirum per *Gloffas*

Jas et *Summas*, ſuntque Gloſſarum auctores preſertim duo HVGOLINI et IAC. COLVMBINVS (§. 136.). Caeterum 3) ad fata iurisprudentiae feudalis ſub ICtis huius aeui etiam pertinet, HVGOLINVM de PRESBYTERIS ſub FRIDERICO II. exemplis Corporis iuris Iuſtinianei poſt nonam collationem, addidiſſe librum feudorum ſub FRIDERICO I iam conditum, ſub decimae collationis nomine, quo ipſo inſigniter promouit huius iuris ſtudium, huicque decimae collationi a. 1303 IACOBVS de ARDIZONE adiecit compilationen rerum iudicatarum feudalium, quae ſub nomine capitulorum extraordinariorum venit, quia auctoritate collationis decimae deſtituta.

Car. Gottl. KNORRII Vnterſuchung vnd Entſcheidung der Frage: *Ob ein Rechtsgelehrter auf der hohen Schule zu Bononien, mit Namen Hugolinus, vnter der Regierung Kaiſer Friderichs des andern und auf deſſen Befehl die Longobardiſche Lehnbücher, vnter der Benennung der zehnten collation denen Nouellen des Iuſtiniani angehänte habe*, in den rechtlichen Anmerckungen &c. num. XII.

§. 245.

Incidit etiam in haec tempora IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE ortus. Etſi enim his temporibus ſtudium academicum iuris germanici adhuc ad non entia referri debeat, inde tamen non ſequitur iurisprudentiam germanicam plane non eſſe cultam et in formam artis redigi coeptam. Debet vero iurisprudentia germanica originem receptioni iurium peregrinorum hoc tempore factae. Dum enim hac occaſione variae collectiones conſuetudinum germanicarum factae (*Introd.* §. 145 ſeqq.), earum auctoribus iurisprudentia germanica exiſtentiam debet, cumque inter eos notus ſit EPKO a REPKO, eum Germanorum APPIVM CLAVDIVM, vel ſi mauis TRIBONIANVM aut GRATIANVM, appellari et pro primo Germaniſta haberi poſſe

posse nullus dubito, licet forsan multis hoc mirum videatur. Si enim rem omnem prout est, sepositis omnibus praeiudiciis, perpendo, nescio sane cur de speculis, aliisque scriptis consuetudines germanicas continentibus, dici nequeat, in eo cum Pandectis et Decreto conuenire, quod, prout hae compilationes, potius pro systematicis scriptis, quam meris legum collectionibus omni artis forma destitutis, haberi debeant, et hinc non possum non defendere iurisprudentiae germanicae primordia iam incidere in haec tempora.

§. 246.

Ita ortae iurisprudentiae germanicae non defuerunt cultores, licet, academica eius cultura cessante, tanta non coeperit incrememta, ac reliquae partes iurisprudentiae ante eam enatae. *Docendo* vero hoc aeuo non exculta est iurisprudentia germanica, sicque discentes viuae vocis commodis in discendo eam erant destituti, nec possunt etiam, qui de ea discenda solliciti erant pro iuris studiosis haberi. Ast *scribendo*, licet a paucis, est exculta, et imitabantur huius aeui Germanistae (§. 137.) alios ICtos, scribendo *Glossas*, *Summas* et *Tractatus*. Erant vero *glossae*, glossis Ciuilistarum, Canonistarum et Feudistarum simillimae, estque inter eos, qui glossis culturam iurisprudentiae germanicae promouere studuerunt, praecipuus BVRCARDVS A MANGELFELDT, merito germanorum ACCVRSIVS dicendus. *Summarum* instar sunt ipsae collectiones consuetudinum ab iis compilatae, specula forsan inde dicta quoniam summae aliorum ICtorum huius aeui specula dicta sunt, veluti DVRANTI *Speculum iuris* 1271 compositum. *Tractatus* exemplum est *Pons iudiciarius*, der Richstieg Land vnd Lehenrecht.

§. 247.

§. 247.

Sic abſolutis iurisprudentiae quoad ſingulas eius partes fatis, quae ſub ICtis Gloſſatoribus experta eſt, *generatim* de iis adhuc addendum, Gloſſatores ob adhibitam inſignem diligentiam in cultura iurisprudentiae omnem mereri laudem, quum, licet deſint vires, tamen laudanda ſit voluntas. Actu enim parum aut nihil praeſtiterunt, quum neceſſariis ad hanc rem praeſidiis erant deſtituti. Tractarunt iurisprudentiam absque hiſtoriae et antiquitatum lumine. Artis criticae ſubſidiis erant deſtituti, et, ſi qui inter eos philoſophiae, quae hoc aeuo regnabat, ſcholaſticae, aliqua cognitione imbuti erant, per eius cum iurisprudentia coniunctionem tamen magis corrupta, quam illuſtrata eſt iurisprudentia. Erat itaque adhuc his temporibus iurisprudentiae facies barbara et horrida, et non niſi in eo profecit per ſtudium Gloſſatorum ei impenſum, quod non ita neglecta eius cultura ac olim ſub ICtis antiquis reliquis, praeter ICtos romanos ſtricte ſic dictos, in occidente factum, ipſa cultura vero talis non fuit, vt per eam magna ſenſerit incrementa.

EPOCHA II.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB RELIQVIS ICTIS MEDIIS PRAETER GLOSSATORES.

§. 248.

Qui inter ICtos medios Gloſſatores excipiunt, et floruerunt adhuc ex parte in Sec XIV, praeſertim vero Sec. XV, nec non primam Sec. XVI partem attingunt ICti (§. 138.), veſtigiis praedeceſſorum ſuorum eatenus inſtiterunt, quod partium iurisprudentiae iam exiſtentium, ſicque *Romanae*, *Canonico-pontificiae*,

Feuda-

Feudalis Longobardicae et *Germanicae* culturam continuauerint, licet non prorſus eodem modo. Hinc aliquatenus iurisprudentiae facies ſub his ICtis eſt mutata, et praeſertim his temporibus enata eſt *academica cultura* iurisprudentiae in Germania, de qua generatim quaedam praemittenda, antequam ſingularum partium iurisprudentiae vlteriora fata recenſenda.

§. 249.

Licet inter alios et Germani ad ea loca in quibus florebat iam iurisprudentiae Romanae, Canonico-pontificiae et Feudalis Longobardicae ſtudium academicum, magna copia hactenus adfluxerant: ante Sec. XIV tamen in Germania ſtudii iuridici academici, nec vola, nec veſtigium adeſt. Ortis vero Sec. XIV in Germania academiis, nimirum *Heidelbergenſi* a. 1346; *Viennenſi* 1356; *Pragenſi* 1360; *Colonienſi* 1388; *Erfordienſi* a. 1392; iisque ad normam Italiae et Galliae academiarum fundatis, ſicque Facultatibus iuridicis inſtructis, quarum membra erant in peregrinis academiis formati et enutriti iuris Doctores, coepit ſtudium iurisprudentiae in Germania academicum tale, quale erat apud exteros. Haec cultura academica deinde in Germania tanto, ſi non maiore, feruore, ac alibi, per Sec. XV et eam partem Sec. XVI, quam haec epocha ſub ſe continet, tam in iam recenſitis antea ortis academiis, quam nouis poſtea demum fundatis, et facultatibus iuridicis inſtructis, academiis, quae, ne limites inter hiſtoriam litterariam generalem et iuridicam transgrediar, hic non recenſendae, continuata.

§. 250.

Felix hic ſucceſſus culturae academicae iurisprudentiae, non ſolum in academiis extra Germaniam, ſed et nunc in Germania, excitauit crabrones eorum qui de

conſeruandis moribus germanicis in viridi obſeruantia ſolliciti erant. Hi itaque *academicae culturae iurium peregrinorum in ipſa Germania obicem poni*, e re ſua eſſe ducebant, ne adhuc maiorem, ac iam habebat, in foro obtineret ius peregrinum auctoritatem. Vnde 1) ſi fabula vera, in famoſae Reformationis de a. 1441 apud GOLDASTVM *P. I. der Reichs Satzungen p. 166* in comitiis propoſitae declaratione, quoad Art. V. inter alia legitur: *im heiligen römiſchen Reich teutſcher Nation, bey allen Vniuerſitäten, die beim Reich zugelaſſen worden, darauf man Doctor und Lehrer der Rechten machet, ſollen drey Doctores im Rechten gehalten werden, und verlegt, die der Rechten, ſo mit wahren Grund beſtettiget und zugelaſſen ſeind, ſollen warten, auch dieſelben vnd nichts anders im Rechten leſen oder lehren, vnd ſich auch anders nicht weiter führen laſſen, oder davon bringen, dann wie es im Reich geordnet und beſtetiget wird. Ob aber groſſer Irrung halber ein Rathſchlag, der ſich einer Vrthel wohl vergleichte, von ihm ſämtlich begerdt wurde, doch ſollen ſie alle drey einmüdiglich umb Furderung Willen der Sache annehmen, und innerhalb eines Monats oder dreiſſig Tagen demſelben urtelmäſſigen Rahtſchlag beſchlieſſen, nnd denſelben von den er herkommt, wieder überantworten, damit im Rechten niemand verkürzt werde, und alle menſchen darin gefordert auch kommen mögen. Denn ein unbillicher Verzug im Rechten iſt dem gemeinen Mann ein ſchedlich Ding ſeiner Nahrunge.* Porro 2) grauiſſimae nunc inter Facultates iuridicas et Scabinatus antiquos (§. 53.) ortae diſcordiae, quum Profeſſores academici de iure reſpondere inciperent, et ex iure peregrino decidebant, quod aequo animo ferre non poterant qui in Scabinatibus ius dicebant acerrimi conſuetudinum germanicarum propugnatores. Aſt vana fuit ſine viribus ira, dum nihiloſecius creuit

ſtudium

ſtudium iuris peregrini in Germania, nec cultura academica iurium peregrinorum in academiis Germaniae ideo vel ceſſauit, vel ſaltem remiſſior facta eſt.

§. 251.

Quum academiae Germaniae ad imitationem aliarum academiarum extra Germaniam erectae, in iisque non ſecundum ſeriem *diſtinctarum profeſſionum* iura ex publica cathedra profiterentur Anteceſſores, nec in primis Germaniae academiis diſtinctae profeſſiones iuridicae ſunt conſtitutae. Aſt tamen paulo poſt iam hoc aeuo id factum eſt, dum profeſſiones *Decretalium*, *Inſtitutionum*, *Pandectarum* et *Codicis* ortae ſunt, quae ſunt eae diſtinctae profeſſiones quae regulariter in omnibus academiis, in quibus diſtinctae profeſſiones introductae ſunt, obuenire ſolent. Praeterea vero ſpeciatim in hac vel illa academia adhuc aliae determinatae profeſſiones iuridicae ſucceſſiue ortae ſunt, quorſum referri poſſunt profeſſiones: *de verborum ſignificatione et regulis iuris*; *praxeos*; *iuris patrii*; *iuris feudalis* et *publici* &c. aſt iam hoc aeuo tales ſpeciales profeſſiones nullibi conſtitutae fuerunt, indeque omnes ſequentibus temporibus originem debent, nec ipſa profeſſione de V. S. et R. I. excepta.

Carl Otto RECHENBERG Pr. *de origine et hiſt. profeſſionis de V. S. et R. I. eiusque profeſſoribus in academia Lipſienſi*, Lipſ. 1715. et in den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. II. P. V. p. 27.

§. 252.

Quod ſpeciatim attinet vlteriorem culturam iurisprudentiae ſecundum diuerſas eius partes, antiquiſſima eius pars, nimirum ROMANA IVRISPRVDENTIA, magno feruore nunc porro exculta eſt. BARTOLVS eiusque diſci-

pulus BALDVS (§. 139.) duces inter eos ſunt, qui hoc tempore induſtriam et operam ſuam collocarunt in magis magisque excolendo iuris ciuilis ſtudio, vnde nunc de ſchola, vt aiunt, *Bartolina* et de *Bartoliſtis* agendum. Hi vero a Gloſſatoribus in eo ſe diſtinguunt, quod profuſam iura tractandi methodum amaverint, dum ſpinas dialecticorum in iurisprudentiam ſparſerunt, vnde *Bartoliſtae* verboſi et prolixi, aſt acuti ſunt, ad reſtituendum natiuum iurisprudentiae romanae ſplendorem vero non erant nati. Recte itaque de iis iudicauit GRAVINA *Originum iur. civ. Lib. 1.* Cap. 109: *ratione explicandi vſi ſunt vtili quidem illa et peracuta, ſed non vbique vera: nam vbi non tam ingenii vires proficiunt quam lectio veterum et morum temporumque cognitio, notitiaque ſermonis abſtruſior; baerent ipſi miſere, ac ſaepe labuntur: etſi aliquando audaci coniectura freti, diuinatione potius, quam arte rem conſequantur. Stylo praeterea vtuntur illorum temporum inquinato et barbaro; a cuius tamen lectione ob rationum acumen et rerum vbertatem, viri maturioris iudicii mimine abhorrent: imo vanitatem vident eorum qui non tam eruditione propria, quam ineruditorum interpretum contemtu atque faſtidio ſe profitentur eruditos.* Interim tamen non plane deſunt inter Ciuiliſtas huius aeui §. 142. recenſitos, qui, iam ante ALCIATVM, tentarunt bonarum litterarum cum iurisprudentia romana coniunctionem, veluti HALOANDER et ZASIVS. Quid caeterum Ciuiliſtae huius aeui ſeu Bartoliſtae praeſtiterint ſpeciatim docendo paucis dici poteſt. *Docuerunt* viua voce iurisprudentiam romanam ad ſeriem textuum iuris, magis tamen BARTOLVM et BALDVM ſecuti ſunt et explicarunt, quam ipſam legum mentem atque ſententiam, ſolebantque commentarii eorum in ſingulas leges appellari *repetitiones.* *Scripſerunt* ingentes et multos commentarios,

rios, prolixos tractatus, et prolixissima responsa, consultationes et decisiones.

Wilh. Hier. BRÜCKNERI duo Progr. *de Accursianis et Alciateis.* Ienae 1695.

§. 253.

Eadem fere quae his temporibus habuit fata iurisprudentia romana quoad modum quo exculta (§. praec.), et IVRISPRVDENTIA CANONICO - PONTIFICIA experta est. GRAVINAE iudicium de Ciuilistis huius aeui, valet etiam de Canonistis horum temporum. Immo in eo fata iurisprudentiae Canonico-pontificiae adhuc duriora fuerunt, quod hoc tempore, ne quidem vestigia adsint aliqualis coniunctionis historiae ecclesiasticae et antiquitatum sacrarum, cum hac iurisprudentiae parte. Interim tamem alia via, aliquo modo, studio iuris canonici subuenire voluit IOANNES a TVRRECREMATA (§. 142.) circa medium Sec. XV, qui, cum a GRATIANO in decreto peccatum etiam in forma, et bonus ordo vbique neglectus, de forma et methodo faciliori sollicitus fuit, hincque collectanea GRATIANI in meliorem ordinem redegit, atque ad methodum in Decretalibus obseruatam, quae concinnior atque studio iuris canonici aptior, composuit. Totum aedificium GRATIANI itaque destruxit TVRRECREMATA, et ex eo nouum opus composuit secundum Gregorianam decretalium compilationem in quinque libros distinctam. Ast Canonistis hoc opus non fuit acceptum, qui veteri methodo, et glossis in decretum scriptis, ita adsueti, vt se ab illis retrahi non paterentur.

§. 254.

Nec alia fuit IVRISPRVDENTIAE FEVDALIS LONGOBARDICAE sub ICtis, de quibus loquor, facies. Vnde non nisi hoc quoad huius partis iurisprudentiae fata speciatim notandum, quod ICti huius temporis, dum

ab omni hiſtoria rudes, aſt iuris romani periti, ridicula argumenta ab emphyteuſi ad feudum, a liberto ad vaſallum, pluraque id genus alia, inuexerint, et ſic cuncta magis intricarint, quam extricarint. Interim tamen 1) iam nunc dignati ſunt peculiaribus ſcholis iurisprudentiam feudalem, aſt non niſi feriatis temporibus, et vbi quies erat ab ordinariis laboribus, haberi ſolitis. Porro 2) duo Feudiſtae huius aeui, nimirum ANTONIVS MINCVCCIVS et BARTHOLOMAEVS BARATERIVS, quae in *Libro Feudorum* de quo ſupra (§. 243.) admodum confuſe propoſita, in meliorem ordinem redegerunt, horumque prior a. 1428 *librum de feudis* compilauit, quem ipſe dein correxit et auxit additis COLVMBINI gloſſis, poſterior vero 1442 *libellum feudorum reformatum*. Aſt 3) neuter horum librorum in ſcholis et foro receptus; licet BARATERIVS a Duce Mediolanenſi obtinuerit, libellum ſuum ab eo Papiam eſſe miſſum, ſed absque mandato hoc libello duce ius feudale in ſchola Papienſi tradendum eſſe.

Sam. REYHER *de feudorum origine et libris, imprimis de codice Mericutiano.* Kiloniae 1704.

§. 255.

Praeſertim vero IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE vlteriora fata, quae habuit ſub ICtis de quibus loquor, notanda ſunt. Germaniſtae huius aeui (§. 144.) enim 1) ita, prout a Germaniſtis qui ante eos vixerunt factum (§. 246.), in cultura iurisprudentiae ſint verſati. Praeterea 2) et de eo ſolliciti fuerunt, vt in meliorem ordinem redigerent compilationes conſuetudinum germanicarum, quale quid ex nobilitate Teutonica tentauit BRAND VON TZERSTEDT qui a. 1442 edidit: *Slotol des Landrechts*, de quo ſcripto ipſe Auctor in praefatione dicit: *Nu nach der erſten Wiſe, alſe nach der Summlen*

is

is hyr dat Keyser-Recht unde de Sassen-Speygel myt syner glosen in eyn ghebracht. Nach der Concordantien sint alle Materien de in eyn horen, by eyn ander ghebracht, unde nach den tabellen in ayt Boyk ghesat, vnde wat to der Matherien des wordes mere horet, dar sint de relacien mede sat, vppe dat men io snelle vinde wes men in dussen Boyke suket. Hyr umme hebbe ik dyt Bök ghenomet eynen Slotel des Landrechts. Potissimum vero 3) notatu dignum, iam inde a fine Sec. XIV. occurrere prima vestigia alicuius culturae academicae quarundam doctrinarum IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE PVBLICAE.[t] Iam a. 1380 quidam VBERTVS *de Lampamiano* Pragae indixit praelectiones de quibusdam capitibus iuris publici, veluti de quaestione: *vtrum, quando electio solennis facta est in Alemannia de Domino Imperatore, statim consequatur nomen Imperatoris omnium respectu: an vero demum post coronationem factam de ipso?* Porro HARYNGHVS SIGFRIDI SINNAMA, postea Camerae imperialis Assessor, iam ausus est a. 1491 in Academia Coloniensi Auream Bullam praelegere, atque eam Collationi vndecimae, quam ex variis post feudales libros existentibus Constitutionibus, et PII II Bulla contra prouocationes ad futurum Concilium conflauerat, inserere. HENN. GODENIVM etiam circa a. 1519 Vitebergae *de practica et modo eligendi regem Romanorum* publicas recitationes habuisse, *vt Scholares Wittenbergenses aliquid audiant de cursibus mundi*, constat. Hinc etiam dantur *scripta* quae loquuntur iam his temporibus aliquam iurisprudentiae germanicae culturam coepisse, veluti IOANNIS HVG, Pastoris Selestadiensis, ridiculum scriptum Argent. 1504 fol. sub titulo: *der heiligen Kirchen und des römischen Reichs Wagenfur* editum.

t) *Christ. Gottl.* BVDER *de primis iuris publici Rom. Germ. compendiariis expositionibus* in EIVS *Amoenitatibus iuris publici* num. 11.

§. 256.

Licet vero, prout ex dictis patet, his temporibus non defuerunt cordati Germani, qui de iurisprudentiae germanicae cultura fuerunt solliciti: ab altera parte tamen fuerunt etiam ICti in Germania qui iuri peregrino ita dediti, vt nil minus quam eius culturam promouere intenderint. Hinc 1) plerique sola Romana et Longobardica in Academiis docebant, et, si quae germanica, vel explicanda, vel decidenda erant, iis nouum plane vestitum, rationibus ex iure peregrino et Glossatoribus Italis vndique collectis, formare omnibus modis studuerunt, vel, si nec hoc fieri posset, ad anonyma reiecerunt, indeque nunc enata est mira iurisprudentiae romanae et germanicae commixtio, et in haec tempora incidit *iurisprudentiae germanicae impurae*, seu romanizantis et longobardizantis, initium; licet nec Glossatores iuris germanici (§. 244.) ab hoc vitio plane immunes sint. Praeter hoc malum 2) adhuc aliud malum premere hoc tempore coepit iurisprudentiam germanicam, dum *noui speculatores* surrexerunt, qui, ad exemplum veterum speculatorum iuris Saxonici et Sueuici, contraria tamen animi intentione, noua specula lingua vernacula e iuribus latinis seu peregrinis conscripserunt, multisque legum et Glossatorum allegatis exornarunt, veluti VDALRICVS TENGLERVS qui circa initium Sec. XVI a. 1511 edidit *Layen-Spiegel von Rechtmässigen Ordnungen in bürgerlichen vnd peinlichen Regimenten*, cui addere voluit filius CHRISTOPH. TENGLERVS aliud speculum ex iure canonico sub titulo: *Priester-Spiegel*. Porro huc pertinet SEBASTIANI BRANDT *Richterlicher Klage-Spiegel* Strasburg. 1538 et IVSTINI GÖBLERI *Spiegel der Rechten aus natürlichen den beschriebenen, geistlichen, weltlichen und anderen gebräuchlichen Rechten*. Franckf. 1573.

PARS. III.

PARS III.

HISTORIA IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS RECENTIORIBVS SEV NOVIS.

EPOCHA I.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS RECENTIORIBVS SEC. XVI.

§. 257.

Tandem poſt nubila Phoebus. Quum enim iam Sec. XV. *humaniora*, quae vocant, *ſtudia* reſuſcitata, hoc eſt, ſtudia linguarum, hiſtoriarum, antiquitatum, ars cirtica et quicquid ſub philologiae nomine continetur, tandem hoc aeuo eorum feliciſſima coniunctio cum *realibus*, quas ſcholaſtici vocabant, *diſciplinis*, hoc eſt, reliquis diſciplinis praeter eas quae ad humaniora ſtudia relata, ad quas reales diſciplinas itaque etiam pertinet iurisprudentia, facta. Inde nunc enata eſt ſic dicta *iurisprudentia elegantior*, et originem traxerunt ii ICti qui *Humaniſtae* appellantur, a quibus reliqui, ſub *Realiſtarum* nomine, ſe diſtinguebant, quaeque ICtorum differentia, licet vulgo non niſi ad Ciuiliſtas applicari ſoleat, tamen potius vniuerſalis eſt. (*Introd. in iurispr. poſit.* §. 24). Etſi enim pro veritatum iuridicarum diuerſitate, differant ipſae illae litterae elegantiores quae faciunt ad earum illuſtrationem, dantur tamen quoad omnes tales quae huic fini inſeruiunt. Vnde inter *Ciuiliſtas*, *Canoniſtas*, *Feudiſtas* et *Germaniſtas* dantur Humaniſtae, licet non eodem tempore orti ſint,

§. 258.

Porro *generatim* de fatis iurisprudentiae sub ICtis Sec. XVI. praemittendum, et hoc potissimum seculo ortos esse *Methodistas*, qui de magis perfecta forma artis iurisprudentiae solliciti, non secundum librorum et titulorum in legum collectionibus obuiorum seriem, sed arbitrarium ordinem, vel in compendiis, vel in prolixioribus scriptis, veritates iuridicas tradiderunt, suntque vel *vniuersales*, qui in scriptis suis methodicis omnes, vel saltem plures iurisprudentiae partes, coniunxerunt, vel *particulares*, qui non nisi quoad hanc vel illam partem id egerunt. Ab his Methodistis vero distinguendi sunt, quos appellare licet, *Reconcinnatores legum*, qui ipsos textus iuris in meliorem ordinem redigere tentarunt. Licet vero 1) prout ex antecedentibus constat, non desint praeteritorum temporum Methodistae (§. 256.) et Reconcinnatores (§. 253 et 254.), potissimum tamen ab hoc tempore Methodistae originem trahunt, et minimum, iam his temporibus, orta est iurisprudentia quam dicunt *compendiariam*, dum a Sec. XVI ipsa textuum in scholis explicatio non amplius vniuersalis fuit, sed potius iam ab hoc tempore a nonnullis, loco textuum ipsorum, compendia in scholis sunt explicata. Quod 2) in specie attinet Methodistas huius aeui *vniuersales*, ad eos quidem vulgo referri solent IO. CORASIVS et IOACHIMVS HOPPERVS; ast hi in libellis suis de *iuris arte*, et *de iure in artem redigendo*, potius de iuris forma artis disputarunt, quam quod ipsi methodica scripta ediderint. Potiori iure itaque ad Methodistas huius seculi, et quidem vniuersales, referri debent PETRVS GREGORIVS vulgo THOLOSANVS dictus, CONRADVS LAGVS aliique, immo ipsum MAXIMILIANVM I. de tota iurisprudentia in melius reformanda cogitasse, videtur, licet eius propositum exitu destitutum. Caeterum

terum de Methodiſtis *particularibus* huius aeui infra ſuis locis agendum.

Andr. Flor. RIVINI Or. *de iurisprudentia compendiaria*, habita Vitembergae 1740, nuncque EIVS *ſyſtemati iurisprudentiae polemicae* annexa.

Polycarpus Aug. LEISCHING Diſſ. ſub titulo: *de nouo corpore iuris faciendo vana doctorum hominum conſilia.* Goett. 1756.

§. 259.

Quae hoc tempore contigit *religionis reformatio*, itidem quidem quoad fata iurisprudentiae varias produxit mutationes; aſt tamen, quod iam hoc ſeculo iurisprudentia per emendationem religionis reformata ſit, et iam nunc iurisprudentia generatim conſiderata per eam ſenſerit incrementa, dici nequit. Quid vero effecerit quoad hanc vel illam iurisprudentiae partem in ſpecie, ex iis, quae nunc de *ſingularum* iurisprudentiae partium fatis addenda, patebit.

Ach. BECK *de iurisprudentia per emendationem religionis reformata.* Ienae 1717.

Iuſt. Henn. BÖHMERI Or. ſec. *de meritis Auguſtanae confeſſionis in rem iuridicam d. XXVI Ian. 1730 recitata.* Halae.

§. 260.

Quod itaque attinet IVRISPRVDENTIAE ROMANAM, haec potiſſimum coepit hoc tempore inſignia incremanta per 1) litterarum elegantiorum cum ea coniunctionem, iam antea quidem a nonnullis tentatam (§. 252.), aſt nunc demum ita peractam vt inde ſenſerit fructus vberrimos. Praeterea etiam 2) iurisprudentia romana, expugnata paullo ante haec tempora vrbe Conſtantinopolitana, ibique ſtudio iuris graeco-romani deleto (§. 227.), per eruditos Graecos qui Italiam confugerant, ſimulque Libros Baſilicorum, THEOPHILVM,

HAR-

HARMENOPOLVM ceterosque iuris Graeco-Romani interpretes illuc adduxerant, natiuam suam dignitatem a priscis repetere coepit auctoribus.

§. 261.

Licet vero sic renatae elegantioris et masculae iurisprudentiae romanae *natale solum* sit *Italia*, et ICtus italus, ANDREAS ALCIATVS, sit is cuius opera potissimum coniunctio elegantiorum litterarum cum iurisprudentia romana ad effectum perducta, non tamen in natali suo solo Italia educata et adoleuit haec iurisprudentia: sed potius *Galliae* et *ICtis Gallis* huius aeui debet, quod tanquam laeta seges, ex sparso ab ipso ALCIATO in Gallia, dum in Bituricensium schola docebat, semine, effloruerit. Haec schola enim his temporibus praesertim aluit eos ICtos, qui in elegantiori iurisprudentia romana excolenda, aliarum nationum ICtos huius aeui longo post se reliquerunt interuallo, quorum princeps est IACOBVS CVIACIVS. Hinc etiam factum elegantiorem iurisprudentiam romanam non ab ALCIATO, ALCIATEAM, sed a CVIACIO, CVIACIANAM, appellari. CVIACIVS enim in eo Humanistas, qui ante eum, et cum eo, floruerunt, superauit, quod non tantum, vel orationis lenocinium iuri ciuili adplicuerit, vel historiarum scientiam cum iuris ciuilis studio coniunxerit: sed et veterum ICtorum PAPINIANI, AFRICANI, VLPIANI, MODESTINI aliorumque fragmenta in Digestis reliqua in ordinem coëgerit atque commentariis suis illustrauerit, praetereaque veteris iuris Romani latini et graeci monumenta, veluti *Codicem Theodosianum*, VLPIANI *regulas*, *Libros Basilicorum* aliaque in lucem protraxerit.

Io. Sal. BRVNQVELL Prol. acad. *de vtilitate ex diligenti comparatione omnium eiusdem inscriptionis in Digestis capitum capienda, deque huius artificii inuentoribus et promotoribus*, Ienae 1724.

§. 262.

§. 262.

Prout vero, quem in *Gallia* experta eſt iurisprudentia romana elegantior, applauſus, ne quidem ibi vniuerſalis fuit: ita multo minus alibi, veluti in *Italia*, *Hiſpania*, et *Germania* ea tam grata et accepta fuit, vt nunc relictis ICtorum mediorum ineptiis, vbique linguarum et antiquitatum peritia cum iuris ſtudio coniuncta. Haerebant potius plerique harum terrarum ICti adhuc in veteri luto, et, Realiſtas ſe appellantes, Humaniſtarum, ſeu qui more Gallico docebant, oſores et obtrectatores erant. Non defuerunt itaque Ciuiliſtae huius ſeculi qui, vt ante, more Italico, id eſt, a ICtis mediis introducto, in cultura iuris ciuilis verſati ſunt, et in BARTOLI et BALDI caſtris adhuc militabant, ita vt, licet, quod ſpeciatim Germaniam attinet, ſub initium Sec. XVI HALOANDER et ZASIVS auroram elegantioris iurisprudentiae romanae iam viderint (§ 252), expoſt tamen omnia prioribus tenebris iterum inuoluta. Quae quum ita ſint, his temporibus in republica ICtorum nec inter Ciuiliſtas pax et concordia regnauit, quum Humaniſtae et Realiſtae diuerſas ſectas conſtituerent. Aſt non inter hos ſolum contentiones nouae ſunt ortae; ſed et ipſi Humaniſtae inter ſe diſſentiebant, et variae inter eos ortae ſunt controuerſiae, quorſum pertinent EGVINARII BARONIS concertationes cum GOVEANO et DVARENO, et quis neſcit CVIACIVM, partim ob doctrinae praeſtantiam, partim quia nec parem, nec ſuperiorem, ferre poterat, nactum eſſe varios aduerſarios inter ipſos coaeuos et ſuae ſectae ICtos, veluti DVARENVM, HOTMANVM, aliosque.

Io. Gottl. HEINECCII Praef. *de Cuiacii aduerſariis et obtrectatoribus*, editioni Hallenſi *Obſeruationum Cuiacii* de a. 1737 praemiſſa.

§. 263.

§. 263.

Ad fata iurisprudentiae romanae ſub ICtis huius ſeculi porro pertinet fuiſſe inter eos *Reconcinnatores corporis iuris romani et Methodiſtas particulares*, quorſum pertinent FRANCISCVS CONANVS; FRANCISCVS BALDVINVS; FRANCISCVS HOTMANVS; HVGO DONELLVS aliique. Praeſertim vero NICOLAVS VIGELIVS his temporibus inclaruit per ſua methodica ſcripta, isque non ſolum iuris *ciuilis*, ſed et iuris *pontificii* et iuris *feudalis*, methodum edidit.

§. 264.

Incidit porro in haec tempora, et haec, quoad ſtudium iuris ciuilis potiſſimum facta, mutatio, quod nunc orta ſit quoad ſingulas iuris materias *methodi cauſarum*, a PETRO RAMO ramiſticae dictae, in iurisprudentia romana applicatio, cuius auctor fuit MATTHEVS WESENBECCIVS, quem alii ſequuti. Et licet methodus *dichotomica* ſeu *tabellaris* non hoc demum ſeculo ICtis ſe probauit, potiſſimum tamen ab hoc tempore inualuit huius methodi in tradenda iurisprudentia romana vſus. Interim tamen vtraque haec methodus et in aliis iurisprudentiae partibus ſucceſſu temporis applicata eſt.

Georg. Henr. AYRER *de vario et mutabili methodi iuris ciuilis guſtu.* Gott. 1759.

§. 265.

Sufficiant haec de fatis iurisprudentiae romanae ſub ICtis Sec. XVI. Progredior ad IVRISPRVDENTIAE CANONICO-PONTIFICIAE fata, cui ab initio huius ſeculi imminebat hoc triſte fatum, quod, ſi LVTHERI propoſitum de plane tollendo omni vſu iuris canonico-pontificii in terris proteſtantium, ſperatum ab eo, et, per publicam huius iuris concremationem a. 1520 factam, obtinen-

tinendum exitum habuiſſet, eius cultura a ICtis proteſtantibus deſerta eſſet. Aſt, quum ICti Wittebergenſes, SCHVRFFIVS et GOEDENIVS, maſcule ſe opponerent, LVTHERVS ne quidem efficere potuit ICtos euangelicos in euangelicis academiis hoc ſtudium deſeruiſſe, nec reformatio in Germania vllam, quoad iurisprudentiam canonico-pontificiam, hoc ſeculo produxit mutationem; ſed ICti Proteſtantium religioni addicti traditis Gloſſatorum, aliorumque iuris canonici interpretum, firmiter inhaerebant, et ne vel ad vnguem ab illis diſcedebant, licet alius eccleſiae ſtatus, aliam efflagitauit normam. Erant itaque hi ICti euangelici *papizantes ICti*, et ab hoc tempore quoad euangelicos *iurisprudentia eccleſiaſtica papizans* orta eſt.

Georg. Franc. DEINLIN Pr. *de Diuo Luthero in extirpando iure canonico fruſtra laborante.* Alt. 1730.
Io. Sam. HERING Or. *Quantum prudentia iuris eccleſiaſtici Luthero eiusque reformationi debeat.* In CYPRIANI *hilariis euangelicis.*
Io. Wolffg. KIPPING *Apologet. pro Martino Luthero conbuſti iur. can. reo* qui libellus EIVS *Proluſionibus iur. eccleſ. recte conſtituendi* Helmſt. 1744 adiectus.

§. 266.

Non ſolum vero a iurisprudentia canonico-pontificia haec, quae ei imminebat, clades feliciter auerſa: ſed et in eo felicia experta eſt in hoc ſeculo fata, quod, quum GRATIANI Decretum *correctione* quoad materiam, aeque ac quoad formam, indigebat (§. 253.), ea publica auctoritate ſub auſpiciis trium Pontificum, PII IV et V atque GREGORII XIII, eruditiſſimis triginta quinque viris, qui ſub *Correctorum Romanorum* nomine veniunt, commiſſa, hicque labor ab iis a. MDLXXX abſolutus. His Correctoribus romanis in hoc ſtabulo purgando vero, priuata auctoritate, partim praeluerunt,

runt, partim eos ſequuti ſunt, tres illi *Antonii*, CONTIVS, DEMOCHARES et AVGVSTINVS, in quo vltimo *Antonio*, nimirum ANTONIO AVGVSTINO, praeſertim Hiſpania dedit virum, qui, dum circa finem huius ſeculi, quam iuuenis impendit iuris ciuilis reſtitutioni, operam, ſenex factus iuri canonico conſecrauit, cum eo primus coniunxit humaniora ſtudia quae faciunt ad iurisprudentiae canonico-pontificiae emendationem, hincque cum ALCIATO comparandus, et primus Humaniſta inter Canoniſtas appellandus.

§. 267.

Quum etiam hactenus deeſſent *compendariae iuris canonici expoſitiones*, hoc ſeculo et in eo ſenſit iurisprudentia canonico-pontificia noua incrementa, quod hic defectus ſuppleretur. Primus qui hoc perficere tentauit fuit FRANCISCVS DVARENVS, qui, etſi ſub titulo inſtitutionum iuris canonici nullum ſcriptum ediderit, ex praefatione, quam tractatui *de ſacris eccleſiae miniſteriis et beneficiis* a. 1550 edito, praemiſit, conſtat tamen eum primum fuiſſe qui inſtitutiones iuris canonici edere voluit. Poſt eum vero a. 1563 PAVLVS LANCELOTVS inſtitutiones iuris canonici publicauit ex conſilio et mandato PAVLI IV, licet eius approbationem, et vt Pontificis nomine ederentur, obtinere non potuerit. Vnde priuato nomine edidit ſuas inſtitutiones, quo facto mox in ſcholis explicari coeperunt et tandem corpori iuris canonici adiectae ſunt. Eodem fere tempore, nimirum a. 1564, et MARCVS ANTONIVS CVCCHVS priuata auctoritate inſtitutiones iuris canonici ſcripſit, qui eandem cum LANCELOTO laudem anhelaſſe videtur, et vnum alteri obſtetiſſe ne Pontificis nomine alterutrius labor vulgaretur.

§. 268.

§. 268.

IVRISPRVDENTIAE FEVDALIS LONGOBARDICAE vlteriora fata, quae debet recentioribus ICtis Sec. XVI, conveniunt cum iis quae habuit ſub mediis reliquis praeter Gloſſatores (§. 254). Licet enim Humaniſtae huius aeui, praeſertim IAC. CVIACIVS, FRANC. DVARENVS et FRANC. HOTMANVS non plane neglexerint huius partis iurisprudentiae culturam, et omnem dederint operam, vt ei argumentis ex iure romano deſumtis preſſae, ſuccurrerent, nihil tamen efficere potuerunt. Et licet porro CVIACIVS textum iuris feudalis in meliorem ordinem redigere tentabat, dum in V. libros digeſſit quicquid legum eo pertinentium inuenit, haec diuiſio Cuiaciana tamen, nec in ſcholis, nec in foro, vſum et auctoritatem obtinuit,

§. 269.

Licet, prout per ſe patet, Humaniſtarum ortus in Sec. XVI nihil conferre potuit ad meliorem IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE culturam, nec hoc tempore tamen ea plane derelicta. Non defuerunt enim 1) qui antiquiſſimas leges germanicas (*Introd. in iurispr. poſit.* §. 125) typis deſcribi curarunt, veluti SICHARDVS et HEROLDVS. Porro 2) MELCHIOR KLINGE ius Saxonicum provinciale in ordinem redigere ſtuduit, idque edidit Lipſiae 1577 ſub hac inſcriptione: *das gantze Sächſiſche Landrecht mit Text und Gloſſ in eine richtige Ordnung gebracht*; vt taceam eos, qui in linguam aliam tranſtulerunt conſuetudinum germanicarum collectiones. Aſt tamen 3) hoc aeuo nondum orta eſt academica iurisprudentiae germanicae cultura, licet iam antea (§. 255.) coepta quarundam doctrinarum iuris publici academica aliqua cultura continuata, et praeſertim, occaſione reformationis, iuris publici germanici cultura magis pro-

 mota,

mota, variaque ſcripta iuris publici edita de ſingulis quibusdam eius argumentis. Praeſertim vero 4) notandum in hoc tempus incidere IVRISPRVDENTIAE CAMERALIS, quae eſt iurisprudentiae germanicae, ſucceſſiue in varias partes diuiſae, pars, quae a reliquis ſeparata in formam artis redigi coepit, infantiam. Conſtituto a. 1495 iudico camerali, et ab hoc tempore variis Ordinationibus cameralibus (*Introd. cit.* §. 159 n. IX) latis, mox inuenti ſunt ſcriptores qui lucem ei affundere voluerunt, indeque iam Seculo XVI aliqua, licet rudis adhuc, cultura ſcientiae iuris cameralis orta, ſcribendo commentarios in ordinationem cameralem et obſeruationes huc ſpectantes edendo. Primus vero qui ius et proceſſum camerae imperialis in formam artis redegit, fuit NOË MEVRER qui a. 1566 ſcripſit proceſſum cameralem additis formulis ſub titulo: *Cammergerichts-Ordnung und Proceſſ neben allerley deſſelben Formen und Exemplarien*, quem ſequitur DENAISIVS 1590 in *compendio iuris cameralis*, huncque RODINGIVS a. 1598 in opere quod primum edidit ſub titulo: *libri memoriales pandectarum iuris cameralis*.

Io. Chriſt. PETERSEN *de iuris imprimis publici prudentia a tempore reformationis Lutheri in imperio noſtro inſigniter reformata.* In CYPRIANI *Hilar. Euangel.*

§. 270.

Praeterea, quae de fatis iurisprudentiae germanicae (§. 256.) dicta ſunt, certo modo et hic valent. Licet enim non conſtet inter ICtos huius ſeculi fuiſſe qui amplius tentarunt, ſub externo habitu iurisprudentiae germanicae, Germanis obtrudere latinam iurisprudentiam, impura tamen adhuc fuit ſub ICtis Sec. XVI, et huius aeui ICtos de liberando iurisprudentiam germanicam ab hoc malo ſollicitos fuiſſe, tantum abeſt, vt

vt potius illud magis magisque auxerint ſicque celeberrimi ICti germani huius ſeculi adhuc romanizent et longobardizent in iis quae germanica ſunt.

EPOCHA II.

DE

FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS SEC. XVII.

Io. Chriſt. MÜLDENERI Progr. *de fatis ſtudii iuridici per Sec. XVII.* Halae 1699. 4.

Ioan. Iac. AVIANI *illuſtrium controuerſiarum academicarum hoc ſeculo inter excelſa ingenia agitatarum ſylloge legalis.* Ienae 1665. rec. ibid. 1739.

§. 271.

Incrementa potius, quam decrementa, ſenſiſſe iurisprudentiam ſub ICtis Sec. XVII, vel inde facile patet, quod 1) creuerit mirifice *ſubſidiorum* eius cultura, nimirum litterarum elegantiorum et philoſophiae, praeſertim iuris naturae per GROTIVM et PVFFENDORFIVM. 2) Nouae, etiam hoc ſeculo, fundatae *profeſſiones iuridicae* in academiis et gymnaſiis nouiter erectis, tam in Germania, quam extra Germaniam, praeſertim in Belgio, multum contulerunt ad iurisprudentiae faciem sereniorem. Aſt quum caeterum, tam media per quae iurisprudentiae flos magis promotus, quam ipſa incrementa, pro partium iurisprudentiae diuerſitate, differant, et hic ſigillatim quoad ſingulas iurisprudentiae partes eius fata ſunt recenſenda, de quibus in genere adhuc notandum, nec *methodiſtas vniuerſales* huius ſeculi deeſſe, quorſum praeſertim referri poſſunt HENRICVS BOCERVS, HELFR. VLR. HVNNIVS et HENNING. RENNEMANNVS.

§. 272.

Quae prout ſemper, ita et hic, ob antiquitatis venerationem primum occupat locum IVRISPRVDENTIA ROMANA, coepit in hoc ſeculo incrementa in per praec. ſeculo iam coeptam, et hoc ſeculo magis magisque factam, ſtudiorum humaniorum cum ea coniunctionem. Creuit itaque Humaniſtarum numerus in dies, et hi, prout eorum anteceſſores, nonſolum de reſtituendis fontibus iuris romani fuerunt ſolliciti, ſed et his praeſidiis inſtructi, iurisprudentiam romanam magis magisque priſtino nitori reſtituerunt, tam docendo, quam ſcribendo, praeſertim commentarios in libros iuris Iuſtinianei. Nunc etiam elegans iurisprudentia circa medium Sec. XVII. a Gallis ad ICtos Belgas propagata, inter quos ARNOLDO VINNIO haec debetur laus, quod primus ſit inter ICtos Belgas celeberrimus Humaniſta. Licet vero hoc tempore potiſſimum in Gallia et in Belgio floruerint Humaniſtae, aliae nationes tamen iis plane deſtituti non fuerunt, ſed Itali de ſuo MARCO AVR. GALVANO, Hiſpani de ſuo ANT. PEREZIO, et Germani de ſuo CONRADO RITTERSHVSIO gloriari poſſunt.

§. 273.

Nec defuerunt nunc *Reconcinnatores iuris Romani* et *Methodiſtae* qui formam artis iurisprudentiae romanae emendare magisque perficere ſtuduerunt. Quod attinet *Reconcinnatores legum romanarum*, ad hos proprie referri nequit ICtus Gallus IOAN. DOMATIVS, qui circa finem huius ſeculi edidit librum ſub titulo: *Legum delectus ex libris Digeſtorum et Codicis*, in quo leges Dig. et Cod. primarias, et, vt ita dicam, claſſicas ſecundum ordinem titulorum Pandectarum diſpoſuit, vt itaque potius legum epitomen, quam nouum corpus iuris, edidiſſe videatur. Potiore iure itaque huc pertinet

tinet LEIBNITII inſtitutum, qui adhuc adoleſcens XXII annorum a. 1668 conſilium coepit reconcinnandi corpus iuris romani et omnem eius materiam, et ſecundum nouem quae ſibi formauerat ſumma capita in ordinem redigendi. Coepit etiam opus, et exſtant adhuc X. volumina chartae mundae, in quibus diſſectas hinc inde Pandectarum leges iam glutinare coepit adſcriptis nouis rubris, aſt morte impeditus non abſoluit. Ad *Methodiſtas iuris ciuilis* autem, praeter LEIBNITIVM, qui etiam nouam methodum docendae diſcendaeque iurisprudentiam propoſuit, referri poſſunt DOMATIVS ALTHVSIVS, VINNIVS, VVETEIVS, aliique.

Corporis iuris reconcinnandi ratio. Sine loco et anno impreſſionis. 12.

Ratio corporis iuris ad obruſam exacta, auctore VERIDICO a IVSTINIANO 1669 in 12mo.

Henr. Petri HABERKORN J. V. D. *iurisprudentiae Iuſtinianeae ſol reſplendeſcens.* Gorlici 1677. 4.

IVSTINI NOMICI *Conſilium nouiſſimum et omnium hactenus euulgatorum facillimum de incertitudine et ambiguitate iuris tollenda ſeu nouo Codice faciendo.* 1676. in 12mo ſine loci mentione primo, deinde quaſi *Hanouiae* apud Carolum Schefflerum 1679.

W. B. R. C. H. *Examen conſilii Iuſtini Nomici de nouo Codice faciendo* a. 1670. Foliolum vnicum.

NICETAE SPILII *Epiſtola curioſa ſuper quaeſtionibus eruditis variis de tempore, videlicet de corpore iuris reconcinnando vel renouando inque vernaculam conuertendo* &c. Veronae 1681. 12.

G. G. L. L. Noua methodus diſcendae docendaeque iurisprudentiae ex artis didacticae principiis. Franc. 1667. in 12mo. rec. Halae 1748 in 8vo.

§. 274.

Sunt et praeterea qui alio modo ſuccurrere voluerunt ſtudio iuris ciuilis, quam a Reconcinnatoribus et

Methodiſtis factum. Nunc enim 1) magis magisque in morem iuit, loco textus ipſius, *compendia pandectarum* et *inſtitutionum*, explicari in ſcholis, quum nunc poſt WESENBECCII paratitla et aliorum compendia, veluti in Belgio BOECKELMANNI, et in Germania LAVTERBACHII, prodierunt et in ſcholis adhiberi conſueuerunt. Fuerunt etiam 2) qui per *artis mnemonicae* varia ſchemata memoriae diſcentium ſubuenire voluerunt, veluti BVNO aliique. Caeterum 3) *methodus ramiſtica* adhuc in vſu manſit, nec defuerunt etiam qui *methodo tabellari* vſi ſunt in tradendo iure ciuili; licet aliis placuerit, promiſcuis *quaeſtionibus* tam ius ciuile, quam alias iuris partes, exponere, inter quos BRVNNEMANNVS, SCHOTANVS, HOPPIVS et CORVINVS eminent.

§. 275.

IVRISPRVDENTIA CANONICO - PONTIFICIA huic aeuo praeſertim debet horridam et abſtractam eſſe faciem, poſtquam ANTONIVS AVGVSTINVS viam monſtrauerat circa finem Sec. XVI. (§. 266.). Per eum itaque excitati *ICti Galli* in perpolienda iurisprudentia canonico - pontificia omnem operam et induſtriam collocarunt, inter quos praeſertim notandi IANVS A COSTA, IOAN. FLORENS, ANT. DADINVS ALTESERRA, INNOCENTIVS CIRONIVS, IO. DARTIS et PETRVS DE MARCA. Per hos demum ſapuerunt *ICti germani*, et primus inter eos eſt CASPARVS ZIEGLERVS, cui iungi poſſunt IOANNES STRAVCHIVS et IO. SCHILTERVS, qui circa decurſum huius ſeculi hiſtoriam et antiquitates eccleſiaſticas coniunxerunt cum iuris canonici ſtudio, non vero a malo, quo laborabat iurisprudentia eccleſiaſtica proteſtantium, quod nimirum papizet (§. 265.), liberarunt eam. Caeterum Canoniſtae huius aeui, tam pontificii, quam euangelici, *docendo* et *ſcribendo* hanc iurisprudentiae partem coluerunt dili-

gen-

genter, et nonſolum ſyſtemata et compendia in ius canonicum ediderunt, quorum nonnulla ſunt methodica, ſed et ſelecta themata plena manu explicuerunt. Immo circa finem huius ſeculi ICti euangelici *ius eccleſiaſticum euangelicorum* ſcribere coeperunt, licet pleraque ex iure canonico repetant, veluti CARPZOVIVS et BRVNNEMANNVS.

§. 276.

Euidentior lux nunc quoque fulgere coepit IVRISPRVDENTIAE FEVDALI LONGOBARDICAE, eatenus, quod 1) nunc demum Feudiſtae romanizare deſierint in iure feudali Longobardico. 2) In meliorem ordinem quoque redactae ſunt doctrinae iuris feudalis Longobardici, prodeuntibus variis compendiis huius iuris, magis ad perfectam artis formam accedentibus; ſicque praelectiones ad ſingulos textus confuſae compilationis conſuetudinum feudalium Longobardicarum in vſu eſſe deſierunt. Praecipua mutatio vero 3) haec eſt, nunc iuris feudalis Germanici placita magis ac olim exculta eſſe, qua de re infra pluribus agendum.

§. 277.

Accedo nunc ad fata IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE ſub ICtis ſeculi XVII, quae varia ſunt, indeque ſigillatim recenſenda, quoad iam antea ortam *iurisprudentiam cameralem*, et *quasdam doctrinas eius*, quae vel tales ex quibus hoc ſeculo nouae iurisprudentiae germanicae partes enatae, vel tales ex quibus nouae partes in hoc ſeculo nondum enatae ſunt, aſt tamen in eo nouiter, et maiori feruore ac olim, excultae. Praeeunte enim CONRINGIO, ICti Germanici ſub medio Sec. XVII, maiori feruore ac olim, ius ſuum patrium colere coeperunt, vnde breui tempore inſignia coepit incrementa. Immo iam hoc tempore in nouiter fundata a. 1665

academia Kilonienſi, tanquam noua profeſſio iuridica, iuris patrii profeſſio orta eſt.

§. 278.

Iam Sec. praec. ortae IVRISPRVDENTIAE CAMERALIS (§. 269) cultura, ita nunc continuata, vt diſciplina iuris cameralis ſub incudem reuocaretur, et quaſi nouum eius ſyſtema efformatum, dum nonſolum per *Rec Deput. de a. 1600*, ſed et per *Rec Imp. Nov. de a. 1654* multa, eaque grauiſſima, iuris cameralis capita ita reformata, vt inde ipſa diſciplina noua indigeret reformatione, et noua ſcribendi materia adeſſet. Hinc multi, inter quos praecipui ſunt DECKHERRVS et BLVMIVS, hoc aeuo iurisprudentiam hanc excoluerunt, et varii generis ſcripta iuris cameralis ediderunt.

§. 279.

Poſtquam hactenus non niſi ſingulae quaedam doctrinae iuris publici germanici excultae (§. 255. 269), nunc IVRISPRVDENTIAE PVBLICAE GERMANICAE, tamquam nouae parti iurisprudentiae germanicae, mox ſub initium huius ſeculi exiſtentiam dederunt DANIEL OTTO et QVIRINVS CVBACH, quorum ille a. 1616 *Diſſ. iuridico-politicam de iure publico Imp. Rom.* et hic a. 1617 *iurisprudentiam germanico-publicam* edidit, qui tamen ſuam iuris publici ſcientiam debent ARVMAEO. Magno feruore vero ſic orta iurisprudentia publica exculta, tam *docendo* in academiis eam, quam *ſcribendo* noua iuris publici germanici compendia et commentarios in leges imperii fundamentales. Aſt tamen ſereniora habuit haec pars iurisprudentiae fata poſt CONRINGIVM, ac habuit ante eum. Publiciſtae enim iuris publici ſcientiam a ciuili prudentia non ſatis diſtinguebant, praetereaque et hic romanizabant, papizabant, immo et longobardizabant, a qui-

a quibus vitiis magis magisque circa finem huius feculi purgata eft iurisprudentia publica.

§. 280.

Quae coepit, hoc feculo potiffimum, cultura *iuris feudalis ex domefticis fontibus*, non quidem effecit inde enatam effe a reliquis partibus iurisprudentiae feparatam partem, fub iurisprudentiae feudalis germanicae nomine: aft tamen partim in fingulis fcriptis id egerunt ICti huius aeui, partim patria peregrinis funt adiuncta. Et licet haec cultura iam ante IOANNEM SCHILTERVM coeperit per FREHERVM, SANDIVM, FELTMANNVM, GOLDASTVM, potiffimum tamem SCHILTERVS in hoc feculo iuris feudalis germanici ftudium infigniter promouit, tam docendo, quam fcribendo, qui et primus edidit compendium iuris feudalis vtriusque, tam Longobardici, quam Germanici feu Teutonici; ficque nunc inde enata eft IVRISPRVDENTIA FEVDALIS LONGOBARDICO-GERMANICA. Occafionem vero culturae doctrinarum iuris feudalis ex fontibus domefticis dederunt forfan grauiffimae caufae feudales, fub calcem praecedentis et initium huius feculi, ortae, praefertim nunc fontibus his magis ac olim cognitis.

§. 281.

Porro et *doctrina de delictis in hoc feculo ex legibus criminalibus germanicis* explicari coepta, licet nemo adhuc eam feparatim in formam artis redegerit ita, vt inde enata fit noua iurisprudentiae germanicae pars. Nec conftat iam hoc aeuo in academicis praelectionibus feparatim leges criminales germanicas, praefertim C. C. C. explicatas effe. Cultura legum germanicarum criminalium potius facta per additam libris terribilibus earum interpretationem, et licet inter ICtos huius feculi praefertim BERLICHIVS, THEODORICVS

et CARPZOVIVS in ſuis ſcriptis leges criminales germanicas non neglexerunt, nemo eorum tamen iuſtum ſyſtema iurisprudentiae criminalis exarauit.

§. 282.

Quod tandem attinet *reliquas iuris germanici doctrinas*, praeter eas de quibus §. 278 ſeqq. actum, et earum cultura in hoc ſeculo non neglecta, ſed potius maiori feruore ac olim facta. Interim tamen inde nondum orta eſt in hoc ſeculo noua illa pars iurisprudentiae germanicae, quae hodie ſub iurisprudentiae germanicae priuatae nomine venire ſolet. Coluerunt ICti Sec. XVII hunc agrum variis modis. Alii in ſuis ſcriptis, quibus huius vel illius prouinciae aut vrbis leges et ſtatuta explicabant, id egerunt. Alii ſub *vſus hodierni* ſeu *vſus practici* nomine has doctrinas adiecerunt doctrinis iuris romani. Alii, vel conuenientiam ſeu harmoniam iuris romani et germanici, vel, contrario itinere electo, differentias horum iurium inueſtigando, in harum doctrinarum cultura occupati fuerunt. Immo IVST. GEORG. SCHOTTELIVS ex inſtituto pertractauit ſingularia quaedam et antiqua in Germania iura, et GEORG. AD. STRVVIVS in methodico compendio iurisprudentiae romano-germanico-forenſis, iuris germanici doctrinas de quibus loquor in formam artis redigere tentauit, et dedit ſpecimen iurisprudentiae priuatae mixtae.

EPOCHA III.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE SVB ICTIS SEC. XVIII IAM DEMORTVIS ET ADHVC VIVENTIBVS.

Io. Mich. GRIEBNERI Pr. *de incrementis quae proximis temporibus ſenſit iurisprudentia.* Lipſ. 1707. quod inſertum den *Hall. Beytr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. III. P. VII. n* II.

§. 283.

§. 283.

Inſignia et mirifica ſunt incrementa, quae coepit in hoc, in quo viuimus ſeculo, iurisprudentia. Singulae partes eius quae iam exiſtebant in melius reformatae ſunt, praetereaque multae nouae partes nunc demum ortae ſunt, quae ICtos huius ſeculi, partim iam demortuos, partim adhuc viuentes, auctores habent. Variae ſunt tot incrementorum cauſae, inter quas praecipua eſt ſubſidiorum et fontium iurisprudentiae, praeſertim ſanioris philoſophiae, cultura, et in iurisprudentia vſus et applicatio, quae partim in ſeculo praecedente, partim in hoc noſtro ſeculo, vel demum coepta, vel magis magisque promota. His itaque praeſidiis inſtructi ICti huius ſeculi, nec ſumtibus, nec vigiliis pepercerunt in iurisprudentiae cultura, et ſic breui tempore effecerunt iurisprudentiam tot nouis inuentis eſſe locupletatam, praetereaque non tantum elegantiorem, ſed et ſolidiorem factam eſſe.

Abhandlung: *von den Verdienſten des Freyherrn von Wolff vm die poſitiue Rechtsgelahrtheit*, in den Hall. Beytr. zur iuriſt. gel. Hiſt Vol. I. P. II. p. 207.

§. 284.

Vt in recenſendis his fatis a *generalibus* ad ſpecialia ſingularum partium fata progrediar, quaedam de *methodiſtis vniuerſalibus* praemittenda, quorum alii ediderunt methodica ſcripta generalia, alii vero conſilium hoc coeperunt, licet illud exequi non potuerunt. Inter eos qui ad primam claſſem referendi, praecipuus eſt GOTTL. GERH. TITIVS, qui a. 1709 edidit tale methodicum ſcriptum ſub titulo: *iuris priuati Romano-germanici ex omnibus ſuis partibus puta iure ciuili, eccleſiaſtico et feudali, hactenus ſeparari ſolitis, ſecundum genuina iuris naturalis fundamenta compoſiti &c. libri*

duode-

duodecim, quorſum et tendunt mei conatus in *Syſtemata elementari vniuerſae iurisprudentiae poſitiuae* a. 1749. Ad poſteriorem claſſem vero pertinent IO. SAL. BRVNQVELLVS, cuius *Iſagoge in vniuerſam iurisprudentiam* Ienae typis mandari coepta, aſt non abſoluta, et HENR. CHRIST. L. B. de SENCKENBERG, qui a. 1742 ſchema ſyſtematis iuris vniuerſi publicauit, illudque a. 1762 edere coepit, aſt morte impeditus itidem abſoluere non potuit.

Henr. Chriſt. L. B. de SENCKENBERG Tract. ſubitanea *qua ſyſtematis iuris vniuerſi et corporis iuris germanici, nec non proxime edendorum operum et opuſculorum ſchemata deſignantur.* Gieſſae 1742.

Io. Georg. FABER *Zufällige Gedancken über einige neue Bemühungen die Rechtsgelahrtheit zu verbeſſern.* Franckf. und Leipzig 1752. 8.

§. 285.

Porro generatim, quoad *methodum in ſingulis materiis iuris*, notanda ſunt ſequentia. 1) Nunc methodus cauſarum ſeu Ramiſtica ab vſu plane receſſit, poſtquam methodus, vt aiunt, poſitionum, vel theſium contractarum, inualuit, quae circa finem ſeculi praecedentis, auctoribus VLR. HVBERO, et praeſertim GEORG. BEYERO, applicata, quaque BEYERVS nonſolum in iure romano, ſed et in aliis iuris partibus, vſus eſt. 2) Doctores quaeſtionarii etiam non amplius magni haberi coeperunt, nec 3) mnemonicae artis ſchemata noua excogitata ſunt, niſi STRYKIANAS chartas luſorias iuridicas huc referre placeat. 4) Sola tabellaris ſeu dichotomica methodus ex iis, quibus iam olim vſi ſunt ICti, in vſu manſit, et praecipue LYNCKERVS, tam ius ciuile, quam alias iurisprudentiae partes, ſecundum hanc methodum tradidit, qui et iuris concordantias edere voluit. Praeterea 5) noua methodo hoc ſeculo circa a.

1725 IO. GOTTL. HEINECCIVS ius ciuile in suis compendiis Institutionum et Pandectarum tradere coepit, quae est methodi demonstratiuae aemula, et axiomatica dici potest, qua et alii vsi sunt in aliis iurisprudentiae partibus. Tandem 6) circa a. 1731, IO. VLRICO L. B. de CRAMER potissimum auctore, ad iurisprudentiam applicari coepit vera et genuina methodus demonstratiua.

Historie der demonstratiuischen Rechtsgelahrtheit in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. I. P. III. p. 557 et Vol. III. P. IX. p. 201.

§. 286.

Quod attinet speciatim IVRISPRVDENTIAE ROMANAE fata, ad ea pertinet hoc seculo elegantiorum litterarum cum iurisprudentia coniunctionem ad summum fastigium peruenisse. Vicit itaque nunc Humanistarum secta contra Realistas, et victoria, hactenus incompleta, nunc completa facta, ita, vt et *ICti germanici*, ad quorum paucorum tantum palatum hactenus erant hae dapes, nunc et iis delectari coeperint. Sicque, post *Gallos* (§. 261.) et *Batauos* (§. 272.), tandem et *Germani* humanitatis studia cum iuris romani studio coniunxerunt, et iurisprudentia romana elegantior et in Germania suos habuit et adhuc habet cultores, vereque dici potest hodie Germanos hac in re cum aliarum nationum ICtis de principatu contendere.

§. 287.

His subsidiis instructi ICti huius seculi itaque, praesertim Bataui et Germani, solliciti fuerunt, et adhuc sunt de 1) fontibus iuris romani, tam Anteiustinianei quam Iustinianei, restituendis, emendandis et illustrandis; 2) colligendis, restituendis et nouiter edendis iuris graeco-romani fontibus et scriptis doctrinalibus;

3) sin-

3) ſingulis iuris romani capitibus luce elegantiorum litterarum illuſtrandis, et quae praeterea 4) fuerunt et adhuc ſunt aliae eorum occupationes, eo tendentes, vt priſtinus huius partis iurisprudentiae ſplendor reſtituatur. Praeſertim huc ſpectat BRENCMANNI inſtitutum Pandectas Iuſtiniani ad membranas Tuſcas exigendi emendandique, vnde ortum trahit noua quam exſpectamus corporis iuris ciuilis editio a GEBAVERO adornata, in cuius manus venerunt Schedae BRENCMANNI, quas Florentinae parauit, quum ibi ſubſiſteret Digeſta manuſcripta, quae magnus Dux Etruriae ſeruat velut ingentem theſaurum, cum editis denuo conferendi cauſa.

Georg. Chriſt. GEBAVERI *Narratio de Henrico Brencmanno, de Manuſcriptis Brencmannianis, de ſuis in corpore iuris ciuilis conatibus et laboribus* etc. Goett. 1764. 4.

§. 288.

Nec defuerunt in hoc ſeculo Reconcinnatores corporis iuris ciuilis et Methodiſtae. Ad *reconcinnatores* nonſolum referri poſſunt, qui pandectas ſuis auctoribus et libris reſtituere voluerunt, veluti BRENCMANNVS, et actu reſtituerunt, veluti HOMMELIVS: ſed et qui, vel *pandectas*, veluti ICtus quidam Aurelianenſis, qui Pariſiis ab a. 1748 vsque ad a. 1752 edidit pandectas in nouum ordinem digeſtas, vel *totum corpus iuris ciuilis*, veluti EVSEBIVS BEGERVS in corpore iuris reconcinnato 1767 edito, in meliorem ordinem redegerunt. *Methodiſtae*, qui vero diuerſa via inceſſerunt, ſunt SAMVEL DE COCCEII, RÖHRIVS, KRESSIVS, BERGERVS, BÖNIGKIVS, DARIES, HABERNIKKEL, IO. LVD. SCHMID, DIETERICH, HOFACKER et WEISHAVPT.

Pandectae iuris ciuilis auctoribus ſuis et libris reſtitutae per HENR. BRENCMANNVM, *repraeſentata Pandectarum Florentinarum editione, collatoque Ampl. viri Corn. van Bynckershoeck*

ckershoeck MSpto Codice et editione Haloandri. Accedunt variae lectiones quas ipse Holoander edidit, nec non Russardi et Charondae sed et alia quae in prolegomenis indicantur. Speciminis loco hic prodit Alsenus Varus. Amstel. 1709

Io. Sal. BRVNQVELLI Pr. *De Digestis secundum indicem Labitti aliorumque κατὰ πλάτος et verbotenus excudendis.* Götting. 1735.

§. 289.

Quoad methodum *docendi* viua voce in Academiis iurisprudentiam romanam, nunc lectiones in *Codicem* et *Nouellas* non amplius sunt vsitatae, sed cuncta ex illis in *Pandectis* simul traduntur, eaeque, vt olim (§. 274.), non amplius praeleguntur secundum ipsos textus, sed vbique compendia pandectarum substituuntur, et quidem potissimum, in Belgio ECKII vel WESTENBERGII, in Germania vero, BOEHMERI, LVDOVICI, SCHAVMBVRGII vel HELLFELDI compendia. Licet vero praelectiones in ipsum *Institutionum* textum ab initio huius seculi, et in eius progressu, nondum plane extra vsum erant: hodie tamen et in his praelectionibus, in Germaniae academiis substitui nunc solent compendia, et nunc, loco examinis Institutionum HOPPIANI, vel Institutionum SCHAMBOGENII in academiis catholicis, regnat fere vbique in scholis HEINECCIANVM compendium institutionum. Sunt tamen qui improbant methodum docendi ius ciuile secundum Institutiones et Pandectas, et amant methodica compendia.

§. 290.

Nouissima IVRISPRVDENTIAE CANONICO-PONTIFICIAE fata *generatim* considerata, sunt, in hoc seculo continuatam esse iam seculo praecedente coeptam (§. 275.) eius, per historiae et antiquitatum ecclesiasticarum coniunctionem, culturam, tam a Pontificiis quam a Protestantibus, prioresque nunc saniora principia adoptare.

In

In ſpecie vero 1) Decreti et Decretalium reſtitutioni ex ſuis fontibus, aliisque harum collectionum in materia vitiis tollendis, inſudauit IVST. HENN. BOEHMER in ſua corporis iuris canonici editione a. 1746 emiſſa, poſt anteceſſorum ſuorum impenſum laborem, quorſum, praeter ſupra memoratos (§. 266.), pertinent fratres PITHOEI, *Petrus* et *Franciſcus*, quippe quorum emendationi impenſus labor latuit vsque ad finem ſeculi praecedentis, dum eum demum 1687 CLAVDIVS PELLETERIVS, pronepos PETRI PITHOEI, in lucem protraxit, edito corpore iuris canonici ex recenſione et cum notis PETRI et FRANCISCI PITHOEI, et IVSTVS FONTANINI in a. 1727 edito Decreto a IO. TVRRECREMATA ſecundum Gregorianos Decretalium libros diſtincto (§. 243.). Porro 2) quoad methodum huius iurisprudentiae partis, tam ratione ordinis totius diſciplinae, quam ſingularum doctrinarum, alii quidem adhuc hoc ſeculo eam ſecundum ordinem decretalium, alii ſecundum ordinem Inſtitutionum Iuſtinianearum, tractarunt: aſt nunc regnat in ſcholis arbitrarius ordo, ſicque methodicis compendiis vtimur, quorum nonnulla methodo demonſtratiuae aemula, axiomatica nimirum, conſcripta ſunt. Hinc 3) nunc orti ſunt Methodiſtae iuris canonici, quales ſunt inter Pontificios de RIEGGER et ANT. SCHMIDT, inter Euangelicos vero PERTSCHIVS, ENGAVIVS A. L. C. SCHMIDT et G. L. BOEHMERVS.

§. 291.

Praecipua mutatio vero quae contigit hoc ſeculo circa iurisprudentiam canonico-pontificiam, non tam ipſius huius diſciplinae iuridicae internam conſtitutionem, quam potius ei adiunctam hactenus doctrinam *de vſu iuris canonico-pontificii in terris proteſtantium* concernit, cuius praecipua fata haec ſunt. 1) Haec doctrina hactenus papizans, nunc, iurisprudentia eccleſiaſti-

ca

ca naturali magis enucleata, tandem papizare desiit fere, et ab hoc vitio purgari coepit praecipue per TITIVM, THOMASIVM et BOEHMERVM. 2) Licet ad hunc vsque diem plerique Protestantium, in compendiis et systematibus maioribus, simul cum ipso iure canonico-pontificio, doctrinam de vsu iuris canonico-pontificii in terris protestantium tradere soleant: ea tamen nonsolum nunc, vt dixi, magis pura est, sed et magis extensa, ita, vt nunc in academiis euangelicis, non tam iurisprudentia canonico-pontificia, quam potius iurisprudentia ecclesiastica duplex, *Romano-catholicorum* et *Euangelicorum*, simul doceatur. 3) Sunt tamen qui in hoc seculo iurisprudentiam ecclesiasticam Euangelicorum, quae iam sub finem seculi praecedentis separatim a nonnullis tractari coepta (§. 275.), in formam nouae disciplinae iuridicae redegerunt et plane separarunt a iurisprudentia ecclesiastica Romano-catholicorum, quod praesertim ab ACHAT. LVD. CAR. SCHMIDIO factum. 4) Nonsolum tota iurisprudentia ecclesiastiaca euangelicorum sic tanquam noua disciplina iuridica orta est: sed et sunt qui iurisprudentiae huius quasdam doctrinas, quae statum publicum concernunt, sub iurisprudentiae ecclesiasticae euangelicorum *publicae* nomine, iterum separarunt, veluti ESTOR, WIESENHAVER et MAIER.

§. 292.

Secundum hactenus a me obseruatum ordinem, nunc me ad se vocat IVRISPRVDENTIA FEVDALIS LONGOBARDICA, cuius recentissima fata itidem hic recensenda. Haec sunt 1) postquam nunc ius feudale vniuersale seu naturale, a iuris naturalis doctoribus in formam artis redactum, huius disciplinae iuridicae artis formam magis perfectam et systematicam factam esse; 2) Longobardica quaedam, litterarum elegantiorum auxilio nunc melius explicari, ac olim. Quod vero 3) ei adsutam doctrinam de feudis

ex iure germanico attinet, eius fata recentiſſima infra demum recenſenda ſunt.

§. 293.

Sequuntur recentiſſima IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE fata, ea qua fieri poteſt breuitate addenda. Sunt vero huius diſciplinae, quae noſtris diebus experta eſt, fata notatu digniſſima, dum demortui et adhuc viuentes huius ſeculi ICti, per immenſum laborem, et non ſatis mirandum feruorem, quo eius culturam aggreſſi ſunt, eamque adhuc continuant, ſatis compenſarunt antecedentium ICtorum neglectum huius ſtudii. Aſt ſunt haec fata ſigillatim recenſenda, pro diuerſitate partium iurisprudentiae germanicae, quae ſub ingreſſum huius ſeculi, *iam natae erant*, *aſt adhuc in infantia vel pubertate conſtitutae*, et quae *nondum natae quidem*, *aſt tamen iam conceptae*, nunc tanquam noui ingeniorum partus prodierunt.

§. 294.

Quae ineunte hoc ſeculo in pubertate iam conſtituta erat IVRISPRVDENTIA CAMERALIS nunc adoleuit, potiſſimum, vt iam nihil dicam de IO. CHRIST. de BRAND, eorumque qui collectionem ſcriptorum iuris cameralis adornare voluerunt, conatu, per LVDOLFIVM et TAFINGERVM, qui ei nonſolum magis ſyſtematicam artis formam dederunt, ſed et quoad materiam inſigniter eam emendarunt et locupletarunt. Praeterea hoc aeuo et eae doctrinae, quae reſpiciunt rem indiciariam iudicii imperialis aulici, tam ſeparatim a MOSERO, quam etiam coniunctim cum iis quae rem iudiciariam camerae imperialis reſpiciunt, per IO. FRID. WILH. de NEVMANN, CRAMERVM et IO. STEPH. PÜTTERVM in formam artis redactae ſunt. Sic itaque his veritatibus coactis in vnum ſyſtema, nata eſt iurisprudentiae germanicae

noua

noua pars, quae cameralem iurisprudentiam ſub ambitu ſuo comprehendit, et ſub SCIENTIAE REI IVDICIARIAE IMPERII nomine venit, vel, ſi mauis, IVRISPRVDENTIA PRACTICA SVPREMORVM IMPERII IVDICIORVM, dici poſſet. Nonſolum vero ſic, vt dixi, in hoc ſeculo exculta eſt res iudiciaria imperii in genere, et in ſpecie iurisprudentia cameralis, *ſcribendo*: ſed et viua voce *doceri* coepit, tam Wetzlariae iurisprudentia cameralis, quam et noſtris diebus in nonnullis Germaniae academiis, tam rei iudiciariae imperii vniuerſae ſcientia, quam in ſpecie iurisprudentia cameralis.

Io. Chr. de BRAND *de ordine, iuris cameralis compendio dogmatice hiſtorice conſcribendo, maxime congruo.* Marb. 1741.

Anzeige einer zu edirenden Sammlung academiſcher Abhandlungen und ander er Schriften betreffend die Kaiſerliche Reichscammergerichts - Ordnung und die Verfaſſung gedachten Gerichts, unter den Titul: Ius camerale illuſtratum. Gieſſen 1755. 4.

§. 295.

IVRISPRVDENTIAE PVBLICAE GERMANICAE ſub initium praecedentis ſeculi natae (§. 279.) facies etiam hoc ſeculo valde immutata eſt, ſuntque recentiſſima eius fata haec. I. Quae circa finem ſeculi praecedentis iam coepta emendatio huius diſciplinae iuridicae, nunc continuata, et tandem romanizare et longobardizare deſierunt Publiciſtae, qui nunc, nec methodum Inſtitutionum Iuſtinianearum, circa finem praecedentis ſeculi a RHETIO et VITRIARIO doctrinae iuris publici germanici accommodatam, amplius ferre poterant, ſed in compendiis et ſyſtematibus iuris publici, quae nunc magno numero prodierunt, ab illa prorſus abſtinebant, et fere Iuris Romani et feudalis Longobardici in terminis habilibus obliti ſunt. II. Publiciſtae huius aeui per

ſubſidiorum iuris publici, hoc ſeculo inſigniter exculto-rum, vſum emendationem iurisprudentiae publicae ſunt aggreſſi, quorum alii magis ope *hiſtoriae* et *antiquitatum germanicarnm*, alii vero magis *iuris publici naturalis* ſeu *vniuerſalis* auxilio, hoc efficere tentarunt. *Priores*, vel tales ſunt qui *certis hypotheſibus hiſtoricis* ſuperſtruxerunt iurisprud. publicam, veluti HENRICVS COCCEIVS, cuius inuentum nouum ſyſtema quinque aut ſeptem populorum germaniae, magis excoluit, variisque augmentis ornauit, LVDEWIGIVS, vel tales non ſunt, veluti GVNDLINGIVS. Inter *poſteriores* vere agmen ducit TITIVS. III. Poſt hos, iisque ex parte adhuc ſuperſtitibus, IO. IAC. MOSERVS, cuius veſtigia hodie plerique premunt, ab anno circiter 1730 magis temperauit vtriusque ſubſidii vſum, ne tandem loco iurisprudentiae publicae germanicae prodeat, vel hiſtoria imperii, vel iurisprudentia publica vniuerſalis, per horum ſubſidiorum cum ipſa principali diſciplina confuſionem et commixtionem; vnde ab hoc tempore iurisprudentia publica germanica in eo habuit meliora fata, quod magis pragmatica facta, quum ab initio huius ſeculi magis elegans quam pragmatica fuerit, et quaſi ſectas conſtituere hos diuerſos publiciſtas dici poteſt. IV. Aſt ortae ſunt, et vigent adhuc, aliae ſectae inter Publiciſtas, partium ſtudio a ſe inuicem diverſae, quae, licet ſemina earum iam ſparſa olim, in hoc ſeculo tamen effloruerunt demum. Sunt vero hae ſectae in eo iterum diuerſae, quod aliae a ſtudio partium quoad *Imperatorem ab vna*, *et corpus ſtatuum ab altera parte:* aliae vero a ſtudio partium, quoad *diuerſus ſtatuum imperii claſſes inter ſe*, originem trahant. Quoad ſectas *prioris* generis ſunt qui capiti imperii ſeu Caeſari ſolum adhaerent, qui *Caeſarini* vel *Monarchiſtae* appellari poſſunt, et qui e contra ab ordinum partibus ſtant,

ſtant, ita, vt imperii caput ordinibus ſubiiciant, et ei omni fere poteſtate exuto nil niſi inane nomen relinquunt, in quorum gratiam nouum nomen inueniendum, poſſuntque *Hippolitano - Monzambaniſtae* dici, quum mirabilia capita, mirabilia nomina mereantur. Ad ſectas *poſterioris* generis vero pertinent *Churfürſtenerii, Fürſtenerii* etc. IV. Non ſubſtiterunt etiam Publiciſtae huius aeui in cultura iuris publici germanici *generalis*, ſed et culturae iuris publici germanici *ſpecialis* initium incidit in haec tempora.

Ge. Henr. AYRER Pr. *An et quatenus Inſtit. Iuſtin. methodus doctrinae Iur. publ. Imp. Rom. Germ. accommodari poſſit?* Goett. 1756.

Abrah. Gottl. WINCKLER *de ſectae ſtudio in iure publico.* Lipſ. 1747.

Chriſt. Ang. BECK Comm. academ. *de origine et natura errorum in iure publico Imp. Rom. Germ.* Viennae Auſtriae 1748.

Io. Iac. MOSERS *Neueſte Geſchichte der teutſchen Staats-Rechts Lehre und deren Lehrer.* Fr. am Mayn 1770. 8.

IDEM *Von dem Zuſtande des beſonderen teutſchen Staats-Rechts. Nebſt einer Anzeige derer ſeit 1751 hierinn an das Licht getretenen Lehr- und Streit-Schriften.* Frf. 1770. 8.

§. 296.

Fata *doctrinarum iuris germanici feudalis* quod attinet, hoc ſeculo hae doctrinae ita excultae ſunt, vt nunc 1) ſcripta iuris feudalis, germanica potius quam longobardica, contineant; 2) lectiones iuris feudalis in Germaniae academiis magis frequentes factae, et lectionibus in alias iurisprudentiae partes exaequatae; 3) a CHRISTIANO THOMASIO et HENR. CHRIST. L. B. de SENCKENBERG, partim noui fontes iuris feudalis germanici detecti, partim iam cogniti, cum nouiter detectis, in corporis iuris formam redacti. Interim tamen non-

dum contigit huius claſſis veritatibus iuridicis haec felicitas, quod iurisprudentiae feudali Longobardicae detractae et ſeparatim in formam artis redactae, ſicque *iurisprudentia feudalis germanica*, tanquam peculiaris diſciplina iuridica, ex hac cultura non enata eſt; licet LVDEWIGIVS iam ſuo tempore promiſerit ſyſtema iuris feudalis imperii Germanici ſecundum mores medii aeui, eiusque partem ediderit ſub titulo: *iura feudorum*, et IO. GERH. LINDHEIMER a. 1748 Francofurti ad Moenum publicauerit primas quasdam eius lineas ſub titulo: *Verſuch eines allgemeinem teutſchen Lehnrechts.* Id tamen effecit haec cultura nunc *iurisprudentiam feudalem Longobardico Germanicam* magis excultam eſſe.

§. 297.

Meliora itaque fuerunt fata *doctrinarum iuris germanici de criminibus*, quippe quae nunc nonſolum itidem magis ac olim excultae, ope hiſtoriae et antiquitatum germanicarum tam, quam principiorum ſanioris philoſophiae, praeſertim per GEORG. BEYERVM, BERGERVM et KRESSIVM: ſed et praeterea iurisprudentiae Romanae detractae, tanquam peculiaris diſciplina in compendium redactae, et in ſeparatis praelectionibus academicis, ab initio ad ipſum textum C. C. C. et ex poſt ad ductum methodicorum compendiorum explicatae, vnde in hoc ſeculo noua iurisprudentiae pars ſub IVRISPRVDENTIAE CRIMINALIS nomine orta, quam tamen pro parte iurisprudentiae germanicae habendam eſſe ideo puto, quoniam non in peregrinis, ſed in germanicis legibus contentae veritates iuris criminalis in his compendiis proponuntur. Huius culturae academicae, 1) quoad lectiones in ipſum textum C. C. C. primi, quantum ſcio, auctores ſunt CHRIST. THOMASIVS et GEORG. BEYERVS. Paullo poſt 2) methodica compendia iuris criminalis ediderunt

KEM-

KEMMERICHIVS et GAERTNERVS. Aſt tamen 3) praecipua laus introductae talis culturae academicae, qualis eſt hodierna, manet IO. SAM. FRID. de BOEHMER, qui horum conatus ſuperauit edito 1732 pleniori iuris criminalis compendio in auditorii ſui vſum, ad cuius imitationem alii, veluti ENGAVIVS, KOCHIVS, MEISTERVS et QVISTORPIVS idem praeſtiterunt.

§. 298.

Quod attinet *reliquas iuris germanici* PRIVATI *doctrinas* in hoc ſeculo, coepta earum circa finem ſeculi praecedentis cultura (§. 282), nunc magno feruore continuata. 1) Praeſertim SAM. STRYKIVS in vſu moderno Pandectarum, THOMASIVS in variis ſcriptis, quae ſub vſus practici variorum titulorum inſtitutionum, et LVDEWIGIVS in ſuis quae, ſub differentiarum iuris romani et germanici titulo, prodierunt exercitationibus academicis, id egerunt, et adhuc hodie in differentias iuris Rom. et Germ. diligenter inquirere ſolent, qui de themate mixti iuris ſcribunt, licet non ſemper ſub differentiarum vtriusque iuris, ſeu vſus practici, titulo, id fieri ſoleat. 2) Anno huius ſeculi ſeptimo ex his doctrinis per GEORGIVM BEYERVM efformata eſt noua diſciplina iuridica, quae ſub IVRISPRVDENTIAE GERMANICAE PRIVATAE nomine venit, isque fuit primus, quantum ſcitur, qui dicto anno lectionibus academicis eam illuſtrandam ſuſcepit. 3) Huius veſtigia deinde presſerunt alii, licet non eadem omnes inceſſerint via, dum aliter in tradendis huius diſciplinae elementis verſatus eſt IO. FRID. POLAC; aliter HEINECCIVS, ENGAVIVS et BENED. SCHMIDIVS; aliter PÜTTERVS, EISENHARTVS et de SELCHOW; aliter ESTOR. 4) Sunt etiam qui de emendatione huius diſciplinae iuridicae, eaque melius perficienda,

cienda, cogitarunt, suaque non contemnenda consilia proposuerunt, veluti HEVMANNVS, MYLIVS, RVDLOFF.

Georg. BEYERI *disquisitio de vtilitate lectionum academicarum in iuris germanici capita*, quae praemissa EIVS *Delineationi iur. germanici.*

Io. Henr. Chr de SELCHOW *Historia systematum et compendiorum iuris Germanici*, quam sistit Praef. primae editionis EIVS *Elem. iuris Germ. priv. hodierni.*

§. 299.

Tandem ad fata iurisprudentiae germanicae quae habuit sub ICtis recentioribus Sec. XVIII referri debet, eos etiam curam suam extendisse ad leges germanicas *particulares*, seu iura prouincialia et statutaria, nec non ad *specialissima obiecta iurisprudentiae germanicae*. Prius studium produxit scripta, immo academicas praelectiones, quae concernunt huius seu illius prouinciae vel vrbis iurisprudentiam, sicque partium iurisprudentiae positiuae Germanorum prouincialis et localis, seu generatim, particularis (*Introd. in iurispr. posit.* §. 36.) culturam. Posterius studium vero effecit separatim excultas esse varii generis veritates iuridicas, quae pertinent quidem ad vnam alteramve partium iurisprudentiae positiuae Germanorum, quae oriuntur ex diversitate obiecti veritatum iuridicarum (l. c. §. 38): ast tamen dignae visae sunt, vt ex instituto separatim tractentur, indeque ortae sunt variae nouae partes iurisprudentiae, quae, saltem a potiori, ad partes iurisprudentiae germanicae referri debent, quasque partes *iurisprudentiae germanicae minus principales* appellare liceat. De harum partium fatis itaque hic quaedam addenda, cum de partium iurisprudentiae germanicae particularis fatis, veluti *iurisprudentiae Saxonicae*, *Lubecen-*

becensis etc. hic moneri sufficiat, earum culturam, vel ad totam quandam iurisprudentiam particularem extensam, vel ad quandam eius partem, veluti *publicam*, *feudalem*, *ecclesiasticam* etc. restrictam esse:

§. 300.

Inter dictas partes iurisprudentiae germanicae minus principales merito primum sibi vindicat locum IVRISPRVDENTIA PRINCIPVM PRIVATA, seu IVRISPRVDENTIA HEROICA, quae debet ICtis huius seculi suos natales. Postquam enim veritates de Principum iuribus & obligationibus, quibus quoad personam priuatam, quam simul cum publica sustinent, vtuntur, hactenus ab aliis priuatae, ab aliis publicae, iurisprudentiae admixtae, et partim non nisi quoad Principes Germaniae in specie, partim non nisi hae vel illae harum veritatum, sigillatim pertractatae: tandem in hoc seculo IO. MICH. GRIEBNERVS eas, et quidem omnes, tam quoad Principes in genere, quam Germaniae Principes in specie, certis positionibus inclusas in formam artis redegit, easque in peculiaribus praelectionibus academicis explicare coepit, indeque enata est haec noua disciplina iuridica. Eodem fere tempore autem, et GRIEBNERI principiis iurisprudentiae Principum priuatae typis nondum exscriptis, idem, ast tantum quoad principes Germaniae seu status Imperii, tentarunt IO. IAC. HELFRICHIVS et SEB. EBERH. IHERING. Post hos, huius partis iurisprudentiae culturam insigniter promouerunt BVRCH. GOTTL. STRVVIVS; IO. AVG. HELLFELD; IO. FRID. WILH. DE NEVMANN; PÜTTERVS et de SELCHOW, nec scholae academicae huius iuris plane cessant.

Entwurff einer Historie der Priuatrechtsgelahrheit der erlauchten Personen. in den Hall. Beitr. zur iurist. gel. Hist. Vol. I. P. I. p. 97 seqq.

§. 301.

Huc porro referri poteſt IVRISPRVDENTIA MILITARIS. Licet enim dudum ICti de re militari ſcripſerint, hincque varia prodierunt ante haec tempora ſcripta de iuribus et obligationibus militum et re bellica: ante hoc, in quo viuimus, ſeculum tamen, nec iuris militaris ſcientia in artis formam redacta, nec, quantum conſtat, ſingulares ſcholae in Academiis habitae ſunt iuri militari docendo. In hoc noſtro ſeculo vero maior cura adhibita in colendo hoc agro, poſtquam a Sec. XVII ſingularia iura militibus ſcripta ſunt a variis Europae populis. Nonſolum enim integra ex his collecta ſunt corpora iuris militaris per LÜNIGIVM et FRITSCHIVM: ſed et orta eſt, diſciplinarumque iuridicarum numerum augere coepit, iurisprudentia militaris, et in Academiis etiam Doctores iuri militari docendo operam dare inceperunt, auctore potiſſimum ADRIANO BEYERO, qui a. 1710 Ienae edidit prudentiam iuris militaris, quem alii ſequuti ſunt, qui hanc iurisprudentiae partem magis magisque perpoliuerunt, praeſertim FRID. ANDR. GOTTL. GNÜGEN.

Pauli CIESII Medit. acad. *de ſtudio militari huiusque intuitu bibliotheca ſpeciali conſcribenda, in vſum illorum qui etiam militarem amant ſcientiam.* Roſtochii et Lipſ. 1716. 8vo.

§. 302.

Eadem fere fata habuit, quae etiam huc referri poteſt IVRISPRVDENTIA CAMBIALIS. Notetur modo diſtinguendum hic eſſe inter cambialis negotii et iurisprudentiae cambialis originem. In ipſius cambialis negotii originem inquirere non eſt huius loci. Poſtquam vero, inuento negotio cambiali, leges cambiales a variis Europae populis et emporiis ſcribi coeperunt,

runt, noſtra aetate iuris cambialis corpus a SIEGELIO compilatum, et iuris cambialis ſcientia, ſeu iurisprudentia cambialis, ſeparatim tractari coepit, tam huius iuris compendia ſcribendo, quam illud docendo in Academiis, in ſpecialibus praelectionibus iuris cambialis. Sunt vero inter eos, quibus debet iurisprudentia cambialis haec ſua fata praecipui HEYDEGGERVS, IO. CHRIST. FRANCKIVS, SIGELIVS et HEINECCIVS.

§. 303.

Nec multum differunt IVRISPRVDENTIAE MARITIMAE fata a iuris militaris et cambialis fatis. Non defuerunt ante hoc, in quo viuimus, ſeculum, ICti de iure maritimo egregie meriti: aſt nonſolum ex vnico praecipue fonte, nimirum iure romano, illud deduxerunt, ſed et nemo illud in ſyſtema tanquam ſingularem diſciplinam iuridicam redegit. Noſtris temporibus vero nonſolum IO. IVL. SVRLAND totum huius generis veritatum complexum, ſed et HENNINGIVS WEDDERKOP, partem earum, nimirum ius nauticum priuatum, non ex iure romano ſolum, ſed et ſimul ex gentium nauigationis flore illuſtrium recentioribus ordinationibus deduxerunt, et ita pertractarunt, vt inde orta ſit noua diſciplina iuridica, iurisprudentia maritima, cuius pars eſt iurisprudentia nautica priuata, dicta.

§. 304.

Superſunt aliae partes iurisprudentiae germanicae minus principales hic coniungendae Sunt tales iurisprudentia ECCLESIASTICA GERMANICA, ſtudio CHRIST. CONR. WILH. FRIDERICI; iurisprudentia OPIFICIARIA, ſtudio ADR. BAIERI, FR. GOTTL. STRVVII et IO. HENR. FRICKE; iurisprudentia METALLICA, ſtudio IO. GEORG. BAVSEN;

IVS

IVS POLITIAE GERMANORVM, ſtudio IO HEVMANNI et HOFFERI; iurisprudentia FORESTALIS, ſtudio IO. IAC. REINHARDI, noſtris temporibus magis magisque ita excultae, vt tanquam nouae diſciplinae iuridicae conſiderari posſint. Vnde porro paſſim ortae ſunt nouae ſpecies praelectionum academicarum in has, et praecedentes nouas partes iurisprudentiae germanicae priuatae.

Io. Heinr. FRICKE Pr. *Von der Nothwendigkeit die beſonderen teutſchen Privat-Rechte auf Academien zu lehren*, Goettingen 1768.

§. 305.

Haec ſufficiant de incrementis quae coepit in hoc ſeculo iurisprudentia germanica; modo adhuc notetur, inde quod iuris germanici, praeſertim priuati, ſtudium tanto feruore excultum, enatas eſſe inter Germaniae ICtos Germaniſtarum et Latiniſtarum ſectam. Venit vero mihi ſub *ſectae Germaniſtarum* nomine, ſecta eorum ICtorum, qui defendunt vſum forenſem omnium iurium germanicorum, tam antiquorum, quam mediorum et nouorum, et, non niſi in eorum ſubſidium, iuris peregrini, ſi eius rationes in Germania adhuc ſubſiſtunt, vſum forenſem admittunt. Aſt *Latiniſtarum*, huic ſectae oppoſita, ſecta, mihi eſt ſecta eorum ICtorum qui defendunt, non niſi in iis materiis de quibus ius peregrinum plane ſilet, ius germanicum nouum, et eas reliquias iuris germanici antiqui et medii, quarum obſeruantia forenſis, vel notoria, vel probari poteſt, in foro valere, peregrinique iuris vſum forenſem neutiquam ex eo ſolo, quod iuris peregrini ratio deficiat, impugnari poſſe. Differunt itaque Germaniſtae, a ſtudii iuris germanici cultura et huius iuris ſcientia, acquiſitaque circa illud merita, ita

dicti

dicti (§. 126), a Germanistis in hoc significatu pro sectatoribus sumtis. Nec minus Latinistae in hoc significatu differunt ab iis, qui a studii iuris peregrini in Germania ex receptione valentis praecipua cultura et scientia, circa illudque acquisita merita, sub hoc nomine veniunt, suntque in eo significatu qui est huius loci, vel *Romanistae*, a ICtis romanizantibus omnino distinguendi, vel *Longobardistae*, itidem a ICtis longobardizantibus diuersi. Licet vero nostris diebus fere ad galantismum iuridicum, sit venia verbo, pertinere videatur, Germanistam se profiteri, hincque plerique ICti sub his signis militent, et nonnulli eorum iam eo progressi, vt de inuertendo iura tractandi ordine sua proposuerint consilia, veluti GONNE in orat. *de inuertendo iura tractandi ordine*, habita Erlangae 1756, nondum tamen plane deleti sunt Latinistae. Medium tenuere beati: ast pauci sunt qui hac incedunt via.

§. 306.

Superest quoad fata iurisprudentiae sub ICtis recentioribus Sec. XVIII, et hic earum partium iurisprudentiae mentionem fieri, quae ad eas, de quibus hactenus actum, nullo modo referri possunt, ast tamen in hoc in quo viuimus Sec. ortae sunt. Huc refero eam principalem iurisprudentiae partem, quae sub IVRISPRVDENTIAE PRACTICAE nomine venit. Licet enim *ICti anteriorum temporum*, de singulis quibusdam doctrinis ad iurisprudentiam practicam pertinentibus varia ediderunt scripta, praesertim sic dicta *formularia* ab iis edita sunt; dudum etiam doctrina de processu iudiciali in artis formam redacta; nec minus iurisprudentia cameralis ICtis Sec. XVI originem debeat: reliquae iurisprudentiae practicae partes tamen neglectae, et vniversa

versa iurisprudentia practica a nemine tradita est. Ast ineunte hoc seculo ab initio *doctrina de processu iudiciario*, nec non sic dicta *iurisprudentia heurematica*, seu *doctrina de cautelis*, maiori feruore, ac olim, exculta est, et originem coeperunt collegia processualia, praesertim per STRYKIVM, quem alii secuti sunt. Paullo post et *ars relatorio-decretoria*, potissimum per IVST. HENN. BOEHMERVM et FERD. AVG. HOMMELIVM exculta est, post quos alii hanc spartam ornarunt, veluti CLAPROTHIVS, de TEVENAR, WALCHIVS, nec non ESTOR et CARL FERD. HOMMELIVS. Continuata est porro feliciter doctrinarum iuridicarum practicarum cultura, per eos qui *iurisprudentiae practicae publicae* (der Staats- oder Cantzley-Praxis) culturam scribendo et docendo promoeuerunt, quae laus debetur MOSERO patri et filio, PÜTTERO et BECKIO. Extenderunt etiam ICti huius seculi suam curam ad *iurisprudentiam practicam priuatam extraiudicialem*, cuius culturam suscipiebat GONNIVS, qui vero, introductione sua in hanc iurisprudentiae partem vix typis exscribi coepta, mortuus est, indeque imperfectum opus mansit, et licet haec sparta a me suscepta, multum tamen deest adhuc perfectioni huius disciplinae. Iurisprudentiae practicae iudicialis ea *pars*, *quae docet modum tractandi negotia voluntariae iurisdictionis*, quoque nostris demum diebus per CLAPROTHIVM sub iurisprudentiae practicae extraiudicialis nomine in artis formam redacta. Pars altera artis acta tractandi, quae versatur *circa modum acta in archiuis asseruandi et ordinandi* (Registraturwissenschaft), et arti relatorio-decretoriae contradistinguitur, in tenerrima infantia adhuc constituta, PHIL. WILH LVD. FLADTIO, si non omnia, certe multum debet. Tandem vero omnes partes iurisprudentiae practicae simul sumtae sub generali *iurisprudentiae*

tiae practicae nomine, PÜTTERO auctore, in vnum redactae ſunt ſyſtema, quale quid et a me tentatum eſt, indeque nunc orta ſunt in Academiis *collegia practica*, a collegiis proceſſualibus diuerſa, dum manuducunt ad expeditionem quorumcunque negotiorum iuridicorum.

Carl. Gottl. KNORRE *Vorrede zu ſeiner Anleitung zum gerichtlichen Proceſſ.*

Iac. Frid. LVDOVICI *Nachricht, wie er das ſtudium practicum bisher in ſeinen Collegiis getrieben und ſolches zu verbeſſern ſei.* Halle 1703.

Io. Steph. PÜTTER *Vorbereitung zu einem Collegio practico iuris publici.* Goett. 1749. 8vo.

EIVSDEM *Nähere Vorbereitung zur teutſchen Reichs- und Staats-Praxi.* Ibid. 1750.

§. 307.

Tandem et veritates de iuribus et obligationibus gentium europaearum inter ſe, quae pactis, foederibus et obſeruantia innituntur, itidem in hoc ſeculo non amplius pro derelictis habitae ſunt. Fontes earum ſunt collecti, indeque ſcripta, quae *corpora iuris gentium* appellari poſſunt, licet non omnia ſub hoc titulo prodierunt, ſunt orta. Sunt etiam praeterea in artis formam in hoc ſeculo redactae, et in academicis praelectionibus explicari coeptae, hae veritates, indeque exiſtentiae data eſt IVRIS GENTIVM EVROPAEARVM SCIENTIA, ſeu IVRISPRVDENTIA GENTIVM EVROPAEARVM POSITIVA. Debetur vero laus et gloria, quod ſit huius diſciplinae ſtator IO. IAC. MOSER, qui iam a. 1732 ſcholas huius iuris Tubingae aperuit et elementa huius diſciplinae edidit ſub titulo: *Anfangsgründe der Wiſſenſchaft von der heutigen*

tigen Staatsverfaſſung von Europa und dem unter denen Europäiſchen Potenzien üblichen Völcker-oder allgemeiner Staatsrecht. Idem MOSERVS etiam ex hac potiſſimum cauſa, vt hoc ſtudium maiora capiat incrementa, a. 1750 aperuit Academiam iuris publici Hanouienſem de qua ſupra (§. 55.), dictoque anno in eum finem alia edidit elementa iuris gentium europaei. Nec defuerunt alii qui huius diſciplinae culturam promouerunt, velut MABLY, ROVSSET, SCHWEDER, GLAFEI et MOSERVS iunior. MOSERVS ſenior vero iterum noua merita circa hanc diſciplinam acquiſiuit, dum eius partem, *gentem germanicam* concernentem, ſub nomine des teutſchen auswärtigen Staatsrechts, nouiſſime in ſyſtema redegit.

§. 308.

Tandem et huc referri debet ea iurisprudentiae pars, quae mihi ſub IVRISPRVDENTIAE POSITIVAE GENERALIS nomine venit. Eſt haec pars ex mea ſententia vtiliſſima et neceſſaria iurisprudentiae pars, etſi, abſit arrogantia dictis, nemo, quantum ſcio, ante me de cultura veritatum iuridicarum generaliſſimarum, quae hanc partem iurisprudentiae conſtituunt, ita ſollicitus fuerit, vt eas in formam ſyſtematis redegerit. Licet enim IO. EISENHARTI libellus qui prodiit a. 1683 ſub titulo: *Inſtitutionum iurisprudentiae doctrina generalis, qua poſt hiſtoriam librorum vniverſi iuris Romano-Canonico-Germanici, de ſpeciebus et interpretatione legum agitur, communiaque iuris ciuilis principia exponuntur, quae per totam legum ſcientiam theoriae et praxi inſeruiunt* iam eo tendere videatur; is tamen nec omnia continet quae ad hanc ſcientiam pertinent, nec ſatis apta methodo ſingula pertractata ſunt. Duxi vero primas huius

diſci-

disciplinae iuridicae lineas iam a. 1749 in prima editione *systematis elem. iurispr. positiuae*, postea vero a. 1772 in *Noua Introduct. in iurisprudentiam positiuam Germanorum* cuius quartam partem constituit, eam ita suppleui et emendaui, vt nunc demum tanquam noua iurisprudentiae positiuae pars considerari possit.

§. 309.

Haec sunt, quae habuit, a sua origine ad hunc vsque diem, veneranda iuris scientia, fata, quae, si dicta in summam contraho, eo redeunt. Prima et antiquissima iurisprudentiae pars, est iurisprudentia *romana*, qua diu sola culta, accessit tandem iurisprudentia *canonica*, et paullo post *feudalis Longobardica*, tandemque *germanica*. Iurisprudentia *germanica* vero, a paruis initiis, successu temporis ita dilatata et extensa est, vt mox in varias abierit partes, inter quas antiquissimae sunt iurisprudentia *cameralis* et *publica*, iisque per aliquot tempus solis existentibus, nouae iurisprudentiae germanicae partes sunt ortae, quales sunt iurisprudentia *criminalis*, *priuata generatim sic dicta principum priuata*, *militaris*, *cambialis*, *maritima*, *ecclesiastica*, *opificiaria*, *metallica* et *iuris politiae Germanorum scientia*. Nouissime tribus nouis disciplinis locupletata est iurisprudentia, quales sunt iurisprudentia *practica*; *iuris gentium europaearum scientia*; et *iurisprudentia positiua generalis*. Licet vero tanta successiue, et praesertim proximis temporibus, iurisprudentia coeperit incrementa, palmam Mineruae tamen in ea nondum esse occupatam, censeo, et alibi iam libere dixi quid sentiam hac de re, nimirum *in den unvorgreiflichen Gedanken von dem gegenwärtigen Zustande der na-*

türlichen und bürgerlichen Rechtsgelahrtheit in Teutschland, derer nöthigen Verbesserung vnd dazu dienlichen Mitteln. Halae 1749: nec non *in den politischen Vorschlägen zur Verbesserung der iuristischen Vorlesungen auf hohen Schulen* ibid. 1750. Laetor interim iam ab eo tempore, licet id mihi nullo modo tribuam, variis meis desideriis esse satisfactum, et veneror, quisque Themidos filius mecum non vereratur, Summi, quod regit omnia, Numinis, prouidam, in dispensandis iurisprudentia fatis, curam.

NOTITIA
SCRIPTORVM
IVRIDICORVM.

PRAECOGNITA NOTITIAE SCRIPTORVM IVRIDICORVM.

Christ. Frid. MEISTERS *Vorbericht zu seinen öffentlichen Vorlesungen, worinnen er eine Erkenntnis der vornehmsten iuristischen Bücher und Schriftsteller zu geben gesonnen ist.* Goett. 1750.

§. 310.

Absoluta historia iurisprudentiae, tanquam secunda parte hist. litt. iur. vniuersalis, sequitur tertia et vltima eius pars, quae dicitur *Notitia scriptorum iuridicorum* et est pars historiae litterariae iuridicae, quae continet veritates singulares de scriptis iuridicis. (§. 4).

§. 311.

Differt itaque notitia scriptorum iuridicorum, hic obiectiue, sicque pro disciplina quadam, sumta a 1) *notitia scriptorum iuridicorum subiectiue seu habitualiter sumta*; 2) *Lexico scriptorum iuridicorum*, seu, vulgo sic dictis *bibliothecis iuridicis*, nec pro collectione librorum, nec pro loco quo asseruantur, sumtis: sed pro scriptis, quae instar catalogi libros secundum ordinem alphabeticum recensent, ita, prout Notitia ICtorum obiectiue sumta, a Notitia eorum subiectiue sumta, et Lexico ICtorum, differt (§. 18). Diuiditur etiam Notitia scriptorum iuridicorum in *vulgarem* et *doctam*, in eo sensu, in quo Notitia ICtorum l. c. ita diuisa est.

§. 312.

Fontes proprii (§. 7.) partis huius historiae litterariae iuridicae sunt:

I. *Boni catalogi ſcriptorum iuridicorum.*
II. *Ipſae bibliothecae tam publicae, quam priuatae, vt et officinae librariae ſcriptis iuridicis repletae.*
III. *Indices ſcriptorum biographiis ICtorum anneсti ſoliti.*

§. 313.

Ad ſubſidia ſpecialia (§. 9.) notitiae ſcriptorum iuridicorum referri debent:

I. *Scriptorum iuridicorum adſpectus et perluſtratio, in bibliothecis, tabernis librariis et ſectionibus librorum publicis.*
II. *Conuerſatio cum eruditis et bibliopolis ſcriptorum iuridicorum notitia tinctis, per commercium epiſtolicum et conuerſationem in ſpecie ſic dictam, quorſum facit iter litterarium iuridicum.*
III. *Studium hiſtoriae hiſtoriae litterariae, quoad hanc partem hiſtoriae litterariae iuridicae.*

§. 314.

Qui per ſcriptorum iuridicorum *adſpectum* et *perluſtrationem* proficere vult in notitia libraria, in ipſo adſpectu et perluſtratione eorum, non tantum 1) de acquirenda notitia ſcriptorum iuridicorum, quoad eorum externam conditionem, ſollicitus eſſe debet: ſed et 2) vel ſtatim, vel poſtea, inquirere debet in internam eorum conditionem, et indagare quis ſcripſerit, quid ſcripſerit et quomodo ſcripſerit. Praetereaque 3) in bibliothecarum perluſtratione attendere debet quomodo ſit ordinata bibliotheca.

§. 315.

Quoad ſecundum ſubſidium, *conuerſationem* nimirum, et hic valent quae de hoc ſubſidio quoad Notitiam ICtorum dicta ſunt §. 20. num. 1. §. 21.

§. 316.

§. 316.

Vltimum ſubſidium, nimirum *hiſtoriam hiſtoriae litterariae iuridicae, quoad eam partem hiſtoriae litterariae iuridicae de qua hic agendum*, quod attinet, illud ſub ſe comprehendit 1) *notitiam litteratorum iuridicorum ſpecialem* (§. 12.), *quoad eos ex iis quorum praeſertim in notitiam ſcriptorum iuridicorum exſtant merita:* 2) *hiſtoriam hiſtoriae litterariae iuridicae particularem* (§. 13.), *quoad notitiam ſcriptorum iuridicorum;* 3) *notitiam ſcriptorum litterariorum iuridicorum ſpecialem* (§. 14.), *quoad ea ſcripta litteraria iuridica, quae ſunt ſcripta litteraria iuridica bibliographica.*

§. 317.

Sunt vero ex *litteratoribus iuridicis* ſupra §. 12. recenſitis, tales, quorum praecipue in notitiam librariam iuridicam exſtant merita, quique *Bibliothecarii* appellari ſolent, THVRMANNVS, BEYERVS, STRVVIVS, LIPENIVS, IENICHEN, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNVS, IO. ANDR. HOFFMANNVS, MOSERVS, et, qui primo loco nominandus fuiſſet, BVDERVS.

§. 318.

De *hiſtoria notitiae ſcriptorum iuridicorum* notandum, hanc partem hiſtoriae litterariae iuridicae quidem magis excultam eſſe, quam reliquae hiſtoriae litterariae iuridicae partes, nimirum Notitia ICtorum et Hiſtoria iurisprudentiae: aſt tamen et hic palmam Minervae nondum eſſe occupatam. Veterum bibliothecariorum, veluti ZILETTI et FREYMONII, labor enim, nec ſatis ſyſtematicus eſt, nec vltra ſcriptorum titulos plura exhibet. Recentiores vero, vel non per modum diſciplinae tractarunt notitiam ſcriptorum iuridicorum, ſed tantum lexica ſcriptorum iuridicorum ediderunt, veluti LIPENIVS, vel, ſi et ſyſtematice, veluti BVRC.

GOTTH. STRVVIVS et IO. ANDR. HOFFMANNVS ſcripſerunt, multa tamen, tam ratione ordinis, quam eorum quae in Notitia ſcriptorum iuridicorum tradenda, ab iis plane negleċta ſunt. Interim tamem inſignia ſunt, quae coepit notitia ſcriptorum iuridicorum, proximis temporibus incrementa. GEORGIVS BEYERVS a. 1698. Vittebergae aperuit ſcholas litterarias iuridicas bibliographicas, quod et ab aliis poſt eum alibi factum et adhuc hodie fieri ſolet. Sunt porro LIPENII et STRVVII ſcripta bibliographica ita emendata et ſuppleta a IENICHIO, BVDERO aliisque, vt fere noua ſint, et plura debeant emendatoribus, quam auctoribus. Nec minus exſtant egregia ſpecimina bibliothecarum ſpecialium, in quibus ſcripta iuridica certi alicuius argumenti, ex inſtituto, et ſyſtematico ordine, recenſentur. Immo HENR. CHRIST. L. B. DE SENCKENBERG exhibuit iam in Excurſu primo in *Methodo iurisprudentiae* Notitiae ſcriptorum iuridicorum primas lineas, quae ſaliuam mouent et proprius accedunt ad formam artis.

§. 319.

Quoad notitiam ſcriptorum litterariorum iuridicorum bibliographicorum notandum, ſcripta litteraria bibliographica eſſe

I. *Scripta propaedeutica bibliographica.*

Pauca huius claſſis ſcripta ſuis locis in his praecognitis laudanda.

II. *Elementa notitiae ſcriptorum iuridicorum*

1. *generalia*,

Io. Bapt. ZILETI *Index librorum iuris pontificii et ciuilis et ad vtrumque omnium interpretum, qui praxes, ſingularia, deciſiones, repetitiones, tractatus, diſputationes, epitomas, reſponſa, ſiue conſilia, vota, vel qualicunque titulo notas hactenus ſcripſerunt, hodie quarto loco*

loco quam emendatissimus iu lucem editus. Venetiis 1566. 4.

Elenchus omnium auctorum siue Scriptorum, qui in iure tam ciuili quam Canonico vel commentando, vel quibuscunque modis explicando et illustrando, ad nostram aetatem vsque claruerunt, Nomina et Monumenta, partim in lucem antehac prolata, partim in Bibliothecis passim adhuc abdita complectens. Initio quidem a Clarissimis nostri seculi Iurisconsultis D. Io. NEVIZANO, LVDOVICO GOMESIO, IO. FICHARDO et IO. BAPTISTA ZILETO, *summo studio ac diligentia collectus: Iam autem recens* IOANNIS WOLFGANGI FREYMONII *in Obernhausen I. V. Doctoris opera et studio tertia fere parte auctior in lucem datus, et in iustum atque concinnum ordinem digestus.* Francof. ad Moenum 1574. 4.

Georgii DRAVDII *Bibliotheca classica librorum iuridicorum.* Francof. 1625.

Sim. PAVLI *Bibliotheca iuridica.* Argent. 1671. 8.

Henr. Ernest. KESTNERI *Polyhistor in quo praeter methodum in singulis iurium partibus obseruandum praecipui iuris naturae, ciuilis, publici, feudalis, ecclesiastici et qui in praxi solidi quid scripserunt recensentur.* Francof. 1699. 4.

Nic. Christ. LYNCKERI *Instructorium forense ad vniuersum omnium scientiarum complexum et cum primis solidam cuiusque iuris, omnemque reliquam prudentiam, qua rebuspubl. prospicimus directam.* Ienae 1690 et 1698 fol. Ab ipso auctore auctum iterum editum ibid. Pars I. 1752 et Pars II. 175 fol. per IO. CHRIST. FISCHERVM.

Index quorundam iudiciorum vesanorum de celeberrimis ICtis, nostri potissimum temporis, quorum fama, meritis in Rempubl. litterariam nixa, proterue commaculata Instructorio forensi Lynckeriano deprehenditur.

Index repetitus quorundam iudiciorum, ex sanis omnibus caeteris, de celeberr. ICtis aliisque viris eruditis nostri etiam temporis, quorum fama meritis in Remp. variis et varie nixa, tantum non immensa habita, sed agnita

in limitibus suis, et asserta, in Instructorio Lynckeriano immortali et summatibus etiam Viris acceptissimo scripto, vni duntaxat Strykio, eiusque assecli, quod vere iusteque ipsum praeclaris accensere ICtis, eiusque scripta ad nutum eius et persuasionem commendare non posset, inuiso, reperitur.

Burc. Gottl. STRVVII *bibliotheca iuris selecta.* Ienae 1703. 8vo et post varias editiones curante CHRIST. GOTTL. BVDERO 1720. ibid. Nouissima editio est octaua de a. 1756 ibid. 8vo.

Io. Andr. HOFFMANNS *Auserlesene jedoch vollständige iuristische Bibliothec, worinne die auserlesensten Wercke, Bücher und academische Abhandlungen, welche von allen Theilen der Rechtsgelahrtheit bis auf diese Zeit zum Vorschein gekommen, mit aufrichtigen Vrtheilen, wie auch mit hiesigen Orts gewöhnlichen Preisen begleitet.* Pars I. Ienae 1748. 8vo Pars II. ibid. eod.

Henr. Christ. L. B de SENCKENBERG *Notitia iuris litteraria breuissima et selecta.* In EIVS Methodo iurisprudentiae Excurs. 1.

2. *specialia.*

Huius classis scripta infra suis locis sunt recensenda, et hic tantum monendum huc pertinere varias bibliothecas THVRMANNI, veluti *academica* Halae 1700. 4. *Canonicorum* Ib. eod. 4. *Duellica* Ibid. eod. *Statistica* Ib. 1701. 4. *Salinaria* Ibid. 1702. 4. *Cambialis* Hamb. 1704. 4. Conf *Io. Guil.* PFENNIGII *Epistola ad Thurmannum de bibliothecis eius iuridicis.* Rost. 1692. 4.

III. *Bibliothecas iuridicas* seu *Lexica iuridica bibliographica.*

1. *generales,*

Corn. a BEVGHEIM *bibliographia iuridica et politica seu conspectus librorum iuridicorum et politicorum, qui ab a. 1651 per vniuersam Europam in quauis lingua prodierunt.* Amstel. 1678. 1680. 1685. 12.

Mart. LIPENII *bibliotheca iuridica realis.* Francof. 1679 fol. rec. 1720 cura BRVCKNERI, et 1730 cura IENICHII.

Post

Post huius supplementa quae Lipſ. 1743 prodierunt, et AVGVST. de BALTHASAR ſpicilegium ſupplementorum ad eam, Gryph. 1752 editum, nouiſſima editio adſpexit lucem Lipſiae 1757 fol. ad quam varii ſua ſymbola contulerunt.

2. *ſpeciales.*

De his ſuis locis agendum.

IV. *Catalogos, ſaltim potiſſimum, iuridicos.*

1. *bibliothecarum*

A. *publicarum,*

Inter tot catalogos huius generis aliunde notos pauci ſunt qui huc referri poſſunt.

B. *priuatarum*, veluti

ANONYMI *Catal. librorum ſelectiorum iurid. et hiſtor. vna cum apparatu ſtatutorum tam prouincialium, quam iudicialium I. R. G. imprimis circuli Saxon. infer. et regnorum ſeptentrional.*

Nic. Hier. GVNDLINGII *Bibliothecae catalogus ſeu locupletiſſimus theſaurus librorum. Digeſſit C. B. Michaelis.* Halae 1731. 8vo.

Bibliotheca GRIEBNERIANA *cuius pars prior theſaurum librorum variae eruditionis locupletiſſimum, pars poſterior ſelectarum ex omni ſcientiarum genere diſputationum inſignem apparatum continet.* Lipſ. 1734.

Chriſt. Godfr. HOFFMANNI *bibliothecae catalogus ſecundum materias diſtributus, librorum inſignium theſaurum exhibens.* Witteb. 1741. Tomi II.

Bibliotheca Rinckiana ſeu ſuppellex librorum tam impreſſorum, quam MStorum quos collegit EVCHARVS GOTTL. RINCK. 1747. 8vo.

Catalogus praeſtantiſſimi theſauri librorum typis vulgatorum et manuſcriptorum IO. PETRI de LVDEWIG. Halae 1745. Tom. II. 8vo.

Bibliotheca ſelecta quam collegit dum viueret EVERHARDVS OTTO. Bremae 1758.

Bibliotheca HEVMANNIANA *ſiue ſuppellex librorum ad omnia ſcientiarum genera, potiſſimum ad Germaniae ius priua-* tum

tum, politicum atque publicum pertinentium. Cum praefatione IO. BERNH. HOFFERI. Altorfii 1762.

Bibliotheca SENCKENBERGIANA. Pars I. libros iuridicos continens. Vindobonae 1770.

Bibliotheca Georg. Chriſt. GEBAVERI. Pars I. continens libros ex omni iure. Goett. 1773.

2. *Bibliopoliorum,*

Licet plures exſtent catalogi bibliopoliorum, inter eos tamen nondum dantur qui potiſſimum iuridici, ſicque huc referri poſſent.

3. *Scriptorum huius vel illius ICti,*

Catalogus ſcriptorum AVGVSTINI de BALTHASAR *idiomate tam latino, quam germanico ab an.* 1720 *vsque ad an.* 1758 *incl. editorum.* Roſt. 1759. 4.

Scripta quae LINCKERIANVM *nomen praeferunt vel ad illud pertinent edita plurimum vel adhuc ex MScr. edenda.* Ienae 1696.

Vollſtändiges Verzeichnis der Schriften ſo der ſel. Hofrath von Glaſey verfertiget hat, in den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. II. P. VII. p. 548.

Vollſtändiges Verzeichniſs der Böhmeriſchen Schriften, in den Hall. Beitr. zur iuriſt. gel. Hiſt. Vol. I. P. III. p 425.

AHASVERI FRITSCHII *ſcripta varia tam ſacra quam politica hactenus edita.* Ratisbonae 1686. 4.

Catalogus ſcriptorum in Acad. Hallenſi primo deinde et Gieſſena ab a. 1700 *vsque ad a.* 1723 *publicatorum a* IAC. FRID. LVDOVICI. Halae 1741. 4.

IMMANVELIS WEBERI *ſcripta ab a.* 1679. *ſucceſſu temporis edita.* Gieſſae 1724. 4.

V. *Scripta litteraria bibliographica de ſingulis argumentis notitiae ſcriptorum iuridicorum.*

Singula haec ſcripta ſuis locis ſunt recenſenda.

VI. *Ephemerides litterarias iuridicas mere bibliographicas,* veluti

Georg. BEYERI *Notitiae auctorum iuridicorum et iuris arti inſeruientium tria ſpecimina*, quorum primum *Lipſiae a.* 1698; ſecundum 1701; tertium 1705 in 8. prodiit.

Recuſa

Recuſa vero haec ſpecimina emendatius et auctius *ibid.* 1726 *ead. forma.* Sequuta eſt a. 1738 ibid. GOTTL. AVG. IENICHEN *Continuatio Notitiae Auctorum iuridicorum et iuris arti inſeruientium, quam olim euulgauit Georg. Beyerus.* IENICHIO ſucceſſit CAR. FERD. HOMMEL, qui a. 1749 continuationem ſecundam et a. 1750 tertiam et quartam adiunxit, eique HENR. GOTTL. FRANCKIVS, a quo a. 1758 Continuatio V perfecta eſt.

Io. Iac. MOSERI *Vnparteiiſche Vrtheile von iuriſtiſchen und hiſtoriſchen Büchern* P. I. et II. Francof. et Lipſ. 1722. P. III. 1723. P. IV. et V. 1724. P. VI. 1725. 8.

Nachricht von auserleſenen gröſtentheils raren alten vnd neuen iuriſtiſchen Büchern. Zwo Lieferungen. Ien. 1725. 8.

Gründliche Auszüge aus den neueſten iuriſtiſchen Diſputationibus, welche auf hohen Schulen in Deutſchland ſind gehalten worden. Erſter Band. Tubingen 1753. Zweiter Band. ibid. 1755. 8vo.

§. 320.

De *vtilitate* et *neceſſitate* huius partis hiſtoriae litterariae aliquid moneri, vix operae pretium eſt, quum eam nemo vnquam in dubium vocauerit, et reliquae partes ex ea tantum cauſa vtiles et neceſſariae ſint, quoniam haec pars ſine iis intelligi nequit.

Georg. BEYERI Schediasma: *de vtili et neceſſaria auctorum iuridicorum et iuris arti inſeruientium notitia,* EIVS *Notitiae auctorum iuridicorum* praemiſſa.

§. 321.

Ratione *methodi docendi diſcendique* notitiam ſcriptorum iuridicorum, hic ſpeciatim monendum: 1) ſelectorum ſcriptorum tantum rationem eſſe habendam; 2) ſcripta ipſa exhibenda eſſe; 3) de quolibet ſcripto, ſecundum infra in doctrina de conditione ſcriptorum iuridicorum interna dicenda, iudicandum eſſe; 4) cui vſui potiſſimum inſeruiat ſcriptum indicandum eſſe.

TRACTA-

TRACTATIO IPSA.

PARS I.

DE SCRIPTIS IVRIDICIS IN GENERE, EORVMQVE ORIGINE, PROGRESSV, CONDITIONE TAM INTERNA QVAM EXTERNA, NEC NON BIBLIOTHECIS IVRIDICIS.

TIT. I.

DE SCRIPTIS IVRIDICIS IN GENERE.

§. 322.

Sub *ſcriptorum iuridicorum* nomine mihi hic ueniunt omnia ſcripta quae iuridicas veritates continent. Quum vero ſcriptum quod continet veritates iuridicas, ſimul continere poſſit alias veritates, aſt tamen a potiori facienda denominatio; tam ea ſcripta quae non niſi veritates iuridicas continent, quam quae, licet et alias veritates, praeter iuridicas, contineant, potiſſimum tamen iuridicis veritatibus repleta ſunt, ad ſcripta iuridica referri debent.

§. 323.

Licet ex hac ſcriptorum iuridicorum notione facile decidi poſſit, quae ſcripta ad claſſem iuridicorum ſcriptorum referri debeant, quae vero non: nonnulla tamen dantur ſcripta de quibus diſputari poteſt, an huc referri poſſint, vel non. De iis itaque agendum ſigillatim, praemiſſo hoc principio generali, quod ex definitione fluit per ſe: vt ſcriptum, iuridicum ſcriptum, dici poſſit, non requiritur veritates iuridicas, quas continet, formam artis habere.

§. 324.

§. 324.

Quae quum ita ſint, non dubito defendi poſſe, 1) ſcripta quae ſolas leges poſitiuas, ita prout latae ſunt, absque omnibus illuſtramentis, continent, ad ſcripta iuridica referri debere. E contra vero 2) ſcripta litteraria iuridica; 3) ſcripta quae veritates hiſtoriam iuris concernentes ſiſtunt, a ſcriptorum iuridicorum numero eximenda eſſe, et potius ad hiſtorica ſcripta referri debere.

§. 325.

Aſt quid dicendum de ſic dictis *actis publicis* et *diplomatum collectionibus?* Me quidem iudice indiſtincte dici nequit quod ſint, nec quod non ſint, ſcripta iuridica. Omnia redeunt ad contenta horum ſcriptorum, quae eſſe poſſunt veritates iuridicae, aſt tamen non ſemper, nec vnice, nec potiſſimum, acta publica et diplomatum collectiones continet iuridicas veritates.

TIT. II.

DE

ORTV ET PROGRESSV SCRIPTORVM IVRIDICORVM.

§. 326.

Ex dictis de ſcriptis iuridicis in genere, facile decidi poteſt quaeſtio de ſcriptorum iuridicorum ortu. Quum enim ad id, vt ſcriptum ſit iuridicum ſcriptum, non requiratur veritates in eo contentas formam artis habere (§. 321); facile patet ante ortum ICtorum et iurisprudentiae, ſcripta iuridica iam exiſtere potuiſſe. Exſtiterunt etiam iam antea actu, quum pro primo ſcripto iuridico haberi debeat prima lex poſitiua, quae expreſſa voluntate conſtituta et in ſcripturam redacta.

Aſt,

Aſt, ſi ortus ſcriptorum, vt ita dicam, iuridicorum *artificialium* inueſtigandus, APPII CLAVDII liber *de actionibus* eſt primum, quod vidit orbis litteratus, ſcriptum iuridicum (§. 202.).

§. 327.

Sic ortis ſcriptis iuridicis, numerus eorum ab eo tempore quo ICti et iurisprudentia originem traxerunt, per ICtos *veteres*, praeſertim romanos ſtricte ſic dictos, et *medios*, vsque ad dimidium Sec. XV. quidem auctus, prout ex hiſtoria iurisprudentiae conſtat: a dimidio ſeculo XV. vero, inventa arte typographica, potiſſimum inſigniter creuit ſcriptorum iuridicorum numerus, dum praeter noua, quae nunc prodierunt, ſcripta, et quae in manuſcriptis adhuc deliteſcebant, ipſi iuris Rom. Can. et Feud. Long. textus, gloſſae, aliaque voluminoſa ICtorum mediorum ſcripta, typorum beneficio diuulgata.

§. 328.

Quum certum ſit paullo poſt inuentam, medio circiter Sec. XV, artem typographicam, et iuridica ſcripta eſſe typorum beneficio exſcripta, nunc oritur quaeſtio: *quo praeciſe anno prodierit primum ſcriptum iuridicum impreſſum?* quam definire non audeo. Interim mihi nondum innotuit huius generis ſcriptum, quod ante a. 1460 impreſſum. Ab hoc tempore vero *textus iuris canonico-pontificii* et *iuris romani Iuſtinianei*, iam typorum beneficio exſcribi coeperunt. Inter libros, in prima officina typographica Moguntiae excuſos, enim, iam occurrunt libri iuridici, veluti *Conſtitutiones Clementinae* de a. 1460, quale exemplar harum Conſtitutionum Clementinarum exſtat in bibliotheca illuſtris Reipublicae Norimbergenſis membranis impreſſum; nec non IVSTINIANI *Inſtitutiones iuris cum*

gloſſa

gloſſa a. 1468 folio mai. membranis impreſſae. Vnde patet errare qui romanam Inſtitutionum editionem de a. 1476 pro vetuſtiſſima et prima habent.

TIT. III.

DE

SCRIPTORVM IVRIDICORVM CONDITIONE EXTERNA.

§. 329.

Ad conditionem externam ſcriptorum iuridicorum referri poſſunt eorum; 1) *materia* in qua manu vel typis exſcripta; 2) *litterae*, tam quoad figuram, quam quoad medium quo expreſſae; 3) *forma*; 4) *titulus*; 5) *auctoris nomen*; 6) *pretium*; 7) *editiones*; 8) *commercium cum iis prohibitum*; 9) *raritas*, et quae ſunt alia. Aſt, quum meum non ſit ea, in quibus ſcripta iuridica conueniunt cum aliis ſcriptis, hic repetere, ſed talia ex hiſtoria litteraria generali praeſupponenda, paucis hunc locum tractabo, eatenus, quatenus ſpecialia et notatu digna hic obueniunt in applicatione ad ſcripta iuridica.

§. 330.

Quod itaque attinet *litteras*, ſunt quoad eas ſcripta iuridica, vel *MSCta iuridica*, vel *ſcripta typis exſcripta.* De poſteriorum ortu iam dictum, vnde quoad manuſcripta iuridica hic tantum addendum: 1) MSCta iuridica iuris canonici frequentiora eſſe, quam iuris ciuilis; 2) optima MSCta iuridica aſſeruari Romae in Vaticana, Florentiae ac Venetiis; 3) maxime celebre MSCtum iuridicum eſſe codicem MSCtum Pandectarum Florentinum, cuius occaſione enata eſt ſatis nota controuerſia, an omnia Pandectarum exemplaria ex

hoc codice manauerint. Caeterum ſingulorum MSC-torum iuridicorum recenſio, pertinet ad tractationem de ſingulis ſcriptis iuridicis, vbi ſuis locis addenda.

§. 331.

Titulorum ſcriptorum iuridicorum ideo hic ſpeciatim mentio facienda, quoniam et ICti nonnunquam inſolitos et ridiculos titulos dederunt ſcriptis ſuis, ita, vt interdum ex ſolo titulo vix hariolando adſequi liceat, quae ſint ſcripti contenta. Dabo quaedam ſpecimina, quae facile ſuppleri poſſunt. Sic IO. ANDREAE ſuos commentarios in ſextum Decretalium, *Nouellam*; HOPPERVS ſuam Iſagogen in veram iurisprudentiam; *Seduardum*, ROTHERVS ſuam introductionem in proceſſum, *Statuam Mercurialem*, inſcripſere. Praeſertim HERTELIVS artificem ſe praebuit in excogitandis ridiculis titulis ſcriptorum, quae partim ſub ſuo, partim ſub ficto ALBANI de SPINETO, nomine edidit, veluti: *Pyxis nautica per immenſum iuris pelagum*; *Politiſche Thee und Caffee - Taſſen für das delicate Mäulgen der Madame Juſtitz mit der gedoppelten Zunge, oder iuriſtiſche Streitfragen von letzten Willensverordnungen und Erbſchaften*; *Politiſche Schnupftobaks - Doſe vor die wächſerne Naſe der Juſtitz.*

§. 332.

Ratione *nominis auctoris* ſcripta iuridica, prout in genere ſcripta, vel auctorem verum laudant, vel non, tumque vel *anonymica*, vel *pſeudonymica* ſcripta ſunt. Detegendi itaque ſunt anonymi et pſeudonymi, ope eorum ſubſidiorum quae hic ſuppeditat hiſtoria litteraria generalis. Quum vero inſtituti ratio non patiatur omnes et ſingulos hic nominare, dabo in *Appendice* I. huic libello adiuncto ſpecimen bibliothecae iuridicae anonymorum et pſeudonymorum.

§. 333

§. 333.

De *raritate* ſcriptorum iuridicorum hic monendum, cauſas raritatis ſcriptorum iuridicorum conuenire cum cauſis raritatis ſcriptorum in genere, ſicque eas hic non recenſendas eſſe, et, prout in genere ſcripta rara, cara quidem ſemper, aſt non ſemper optima ſunt, ita et idem de raris ſcriptis iuridicis valere. Quod vero attinet ipſa illa ſcripta iuridica quae rara ſunt, vel ſaltem pro talibus haberi ſolent, breuem eorum recenſum in *Appendice* II. adiicio.

§. 334.

Quoad reliqua quae ad ſcriptorum iuridicorum conditionem externam (§. 329.) relata ſunt, veluti *materiam* in qua manu exarata, vel typis impreſſa ſunt; *editionum* eorum varietatem, et *probibitum cum iis commercium*, in applicatione ad ſcripta iuridica ſingularia non obueniunt, praeter hoc vnicum, ſcripta iuridica damnata potiſſimum ea eſſe, quae a Pontifice damnata ſunt, eorum numerum vero non eſſe tantum, aut ipſam hanc externam qualitatem eius ponderis, vt operae pretium eſſe iudicem, ſpecialem eorum recenſum adiici.

TIT. IV.

DE

INTERNA SCRIPTORVM IVRIDICORVM CONDITIONE.

§. 335.

I*nternam ſcriptorum iuridicorum conditionem* veritates ipſae quas continent, et methodus, qua ſunt traditae, conſtituunt.

§. 336.

Quodſi itaque de ſcriptorum iuridicorum bonitate iudicandum, praeſertim conditio eorum interna conſideranda, licet et externa non plane negligenda, indeque oritur ſcriptorum iuridicorum diuiſio in ſcripta *primi ordinis*, *ſecundi ordinis* et *tertii ordinis*. Si enim nec quoad internam, nec quoad externam, conditionem aliquid, quod multum refert, deſiderari poteſt, *primi ordinis*; ſi vero quoad externam conditionem quidem nihil, quoad internam conditionem vero aliquid, deſiderari poteſt, vel vice verſa, *ſecundi ordinis*; ſi tandem quoad vtramque conditionem aliquid deſiderari poteſt, *tertii ordinis* ſcriptum dici poteſt.

§. 337.

Caeterum praeſertim hic notandum, qualia ſint ſcripta iuridica quoad eorum conditionem internam, neutiquam ex eo ſolo diiudicandum eſſe *quis* ſcripſerit; ſed praeſertim attendendum eſſe *quid* ſcripſerit, et *quomodo* ſcripſerit auctor. 1) Quis ſcripſerit ex Notitia ICtorum hauriendum. 2) Quid ſcripſerit auctor adſpectus et perluſtratio ſcripti, vel, ſi ſcriptum ipſum non eſt ad manus, fide digna eius recenſio, dabunt. 3) Quomodo ſcripſerit ex principiis generalibus de methodo docendi per ſcripta, in *Praecogn. vniuerſae eruditionis generalibus* §. 138. ſeqq. a me explicatis, diiudicandum.

TIT. V.

DE

VARIIS SCRIPTORVM IVRIDICORVM DIVISIONIBVS.

§. 338.

Iuridicorum ſcriptorum diuiſiones, ſunt vel communes diuiſiones ſcriptorum, vel propriae diuiſiones

ſcriptorum iuridicorum. Ad priores pertinet e. g. diviſio ſcriptorum iuridicorum in *libros* et *ſcripta minutiora* (kleine piecen); in ſcripta *formae maioris* et *formae minoris*; in ſcripta quae ſunt *collectiones ſcriptorum antea ſeparatim editorum*, et *quae tales collectiones non ſunt*, de iisque hic ex inſtituto non agendum, ſed tantum de diuiſionibus poſterioris generis.

§. 339.

Propria diuiſio ſcriptorum iuridicorum eſt eorum diuiſio I. in *legalia*, quae leges poſitiuas ipſas, vel cum, vel ſine commentario, aliasue veritates iuridicas continent, quae nec theoria veritatum iuridicarum ſunt, nec theoriae huius applicatio; *doctrinalia*, quae theoriam veritatum iuridicarum, aut hanc vel illam eius partem, continent; *caſuiſtica*, quae theoriae veritatum iuridicarum applicationem continent.

§. 340.

Porro diuiſio ſcriptorum iuridicorum iis propria eſt II. quod pro diuerſitate partium iurisprudentiae ad quas pertinent veritates in iis contentae ſint, vel *ſcripta iuris ciuilis in ſenſu latiſſimo ſumti*, vel *ſcripta iuris criminalis*, prout veritates iuridicae in iis contentae, vel ad iurisprudentiam ciuilem in ſenſu latiſſimo ſumtam, vel ad iurisprudentiam criminalem pertinentes veritates ſunt. Hae ſpecies itaque tot admittunt diuiſiones, quot ſunt partes iurisprudentiae ciuilis in ſenſu latiſſimo et iurisprudentiae criminalis, quibus recenſendis hic immorari nolo.

§. 341.

Ad diuiſiones proprias ſcriptorum iuridicorum referri poteſt III. diuiſio eorum in ſcripta iuridica *generalia*, quae nec quoad primam (§. 339), nec quoad ſe-

cundam (§. 340) propriam diuiſionem ſcriptorum iuridicorum ad vnam alteramue claſſem ſcriptorum iuridicorum, quae inde oriuntur, referri poſſunt, et in *ſpecialia* ſcripta iuridica, quae talia ſunt vt ad vnam alteramue dictarum claſſium referri poſſint.

§. 342.

Cum hac diuiſione ſcriptorum iuridicorum in genere in ſcripta iuridica generalia et ſpecialia, non confundenda eſt ſubdiuiſio ſcriptorum iuridicorum doctrinalium (§. 339) in ſcripta iuridica *doctrinalia generalia* et *ſpecialia*. Veniunt vero mihi ſub nomine ſcriptorum iuridicorum doctrinalium generalium, ea ſcripta iuridica doctrinalia, quae ad vnam alteramve claſſem ſcriptorum iuridicorum, quae oriuntur ex ſecunda eorum diuiſione (§. 340) referri nequeunt. Vnde ſcripta doctrinalia ſpecialia ſunt, quae ad vnam alteramue dictarum claſſium referri poſſunt. Specialia ſcripta iuridica cuiuscunque diſciplinae iuridicae ſeu partis iurisprudentiae, reduci poſſunt ad ſcripta *propaedeutica diſciplinae*, quae veritates praecognita ſpecialia diſciplinae concernentes continent, et *principalia*, quae veritates ad ipſam diſciplinam pertinentes continent. Scripta principalia vero ſunt iterum, vel *generalia*, ſi totam diſciplinam continent, veluti *ſyntagmata*, ſeu, vt aiunt, *ſyſtemata*, et *compendia* diſciplinae, vel *ſpecialia*, ſeu *ſcripta de ſingulis argumentis*, ſi non niſi partem theoriae diſciplinae continent.

TIT. VI.

DE BIBLIOTHECIS IVRIDICIS.

§. 343.

Hic de bibliothecis iuridicis in eo ſenſu agendum, in quo *bibliotheca iuridica* eſt collectio ſeu complexus

xus ſcriptorum iuridicorum vnius poſſeſſoris, et quae generatim de iis notanda ſunt paucis explicanda.

§. 344.

Quod itaque attinet I. *ortum bibliothecarum iuridicarum*, ab eo tempore quo ſcripta iuridica orta ſunt (§. 326), et praeſertim poſtquam eorum numerus creuit (§. 327), ex eorum collectione bibliothecae iuridicae oriri potuiſſent: aſt, *quando actu ortae ſint?* et *quae fuerit prima celebris bibliotheca iuridica?* definire non audeo. *Romanos* bibliothecis *priuatis* iam ante Imperatorum tempora inſtructos fuiſſe, noto notius eſt. Inter eas fuiſſe bibliothecas iuridicas, vel ſaltem in his bibliothecis iuridica ſcripta, quot et qualia eo tempore exſtabant, obuia fuiſſe, nullus dubito. De *publicis* bibliothecis poſtea ſub Imperatoribus inſtructis, et *priuatis huius aeui* bibliothecis, idem dicendum. Praeſertim TRIBONIANVM bibliothecam iuridicam habuiſſe, inde conſtat, quod ex ſua bibliotheca ſuppeditauerit libros veterum ICtorum, quibus Digeſtorum compilatores ſunt vſi. Vid. *l. 2.* §. *17* et *l. 3.* §. *17. C. de veteri iure enucl.*

§. 345.

Definiendum II. quae fuerint olim, et adhuc hodie ſint, *inſtructiſſimae bibliothecae iuridicae.* Quum vero, quod attinet *publicas* bibliothecas, ex earum vſu et deſtinatione facile pateat, eas non eſſe particulares iuridicas bibliothecas, ſed potius vniuerſales ad quaſcunque ſcientias pertinentibus ſcriptis inſtructas, licet vna prae altera potiſſimum ſcripta huius vel illius ſcientiae, ſicque et potiſſimum iuridica ſcripta, contineat, non niſi de priuatis bibliothecis hic agendum. Inter tot *priuatas* bibliothecas iuridicas huius aeui *iam diſtractas* autem eminent eae, quarum catalogi ſupra (§. 319.) recenſi-

ti ſunt. Quae inter *nondum diſtractas* priuatas bibliothecas iuridicas, quarum poſſeſſores adhuc viuunt, vero ſint inſtructiſſimae definere non audeo.

§. 346.

Varia ſunt quae, ſi bibliotheca iuridica III. *prudenter colligenda*, obſeruari debent. Aſt omnia eo redeunt bibliothecae collectorem eo reſpicere debere vt bibliotheca fiat 1) inſtructa; 2) ad vſum commoda; 3) ſumtibus parcatur. Vt fiat bibliotheca *inſtructa*, requiritur eam minimum ex qualibet claſſe optima ſcripta generaliora continere, et, his comparatis, ſcripta ſpecialiſſimi argumenti in qualibet claſſe ſunt colligenda. Vt porro bibliotheca *ad vſum commoda* ſit, nonſolum ea apte collocanda eſt, qua de re §. ſeq. ex inſtituto agendum: ſed et optimae editiones comparandae ſunt, et quoties ſcripta quae antea ſigillatim prodierunt, expoſt collectionibus inſerta, his collectionibus potius, quam ſeparatis horum ſcriptorum editionibus, bibliotheca eſt inſtruenda. Vt tandem in colligenda bibliotheca *ſumtibus parcatur*, commoda occaſio ſingula ſcripta comparandi exſpectanda, et potiſſimum ex publicis ſectionibus bibliothecarum ea coëmenda ſunt.

§. 347.

Si bibliotheca iuridica prudenter collecta IV. *apte ordinanda*, hic quidem, ſi in vlla alia re, valet illud: quot capita, tot ſenſus: aſt tamen licebit, quid ego hac de re ſentiam, paucis exponere. Ex fine propter quem ſingula ſcripta, quae bibliotheca continet, in certum ordinem rediguntur, facile patet, eam bibliothecam eſſe bene ordinatam, quae ita ordinata eſt, vt, vi ordinis ſecundum quem ſingula ſcripta ſe inuicem ſubſequuntur, 1) ſtatim appareat vbi ſcriptum, ſi poſſeſſor ſcit

hoc

hoc vel illud ſcriptum prodiiſſe nonſolum, ſed et illud in ſua bibliotheca obuium eſſe, locum ſuum habere debeat; 2) ſi poſſeſſor vtrumque ignorat, ex ipſo adſpectu eius loci in quo, ſi tale ſcriptum, quale eſt illud quod quaerit, exiſtit, et ſua bibliotheca illud continet, obuium eſſe debet, ſtatim ſcire poſſit, quot et qualia eius generis ſcripta ſua bibliotheca contineat, vt et, ſi inſtructa eſt, quot et qualia eius generis ſcriptorum hactenus prodierint. Hic duplex finis vero ſimul, per ordinem ſecundum quem ſingula ſcripta in bibliotheca iuxta ſe inuicem collocanda, obtinetur, ſi in ordinanda bibliotheca iuridica ſequentes regulae obſeruantur.

I. *Scripta iuridica quae ſunt libri, ſeparanda a ſcriptis iuridicis minutioribus, vt ſic bibliotheca duabus conſtet partibus, quarum altera continet libros iuridicos, altera vero ſcripta iuridica minutiora, et cuilibet parti ſeparatus locus aſſignandus eſt, in quo ſcripta ſecundum hanc differentiam in loculos ſuos, ad hunc finem diverſo modo conſtruendos et diuidendos, redigenda ſunt.*

II. *Quodlibet ſcriptum, ſiue ſit liber, ſiue ad ſcripta minutiora referendum ſcriptum, per ſeparatam ligaturam ab altero ſeparari debet.*

III. *Quoad ſcriptorum formam, non niſi ſcripta formae maioris, nimirum in folio et quarto maiori, et formae minoris, quorſum reliquae formae referri debent, a ſe inuicem ſeparanda ſunt.*

IV. *Sic ſeparata ſcripta in ſuos loculos redigenda ſunt, et quidem ſcripta quae ſunt libri, in qualibet forma, maiori et minori, ſecundum eum ordinem ſe inuicem ſubſequi et iuxta ſe inuicem collocari debent, quem obſeruabo in ſequenti tractatione de ſingulis ſcriptis iuridicis. Licet vero ſcripta minutiora ſecundum eundem ordinem in ſuos loculos redigi poſſint: conſultius tamen eſſe iudico, omnia haec*

ſcripta tanquam doctrinalia ſcripta conſiderari, licet forſan hoc vel illud magis pro exegetico ſeu caſuiſtico, quam doctrinali ſcripto habendum ſit, tumque quoad ordinem horum ſcriptorum, eum ordinem in quem ſcripta doctrinalia a me in ſequenti tractatione redacta ſunt, obſeruari.

V. *Vt bene ordinata bibliotheca talis maneat, opus eſt quodlibet ſcriptum per ſignum eius claſſis ſcriptorum ad quam pertinet, et additum numerum, locum eius in hac claſſe determinantem, diſtingui.*

Georg. MACKENZEI Orat. habita Edenburgi Id. Mart. 1689 *de ſtructura bibliothecae pure iuridicae.* Londini 1689. 8.

PARS II.

DE SINGVLIS SCRIPTIS IVRIDICIS.

§. 348.

Dum nunc de ſingulis ſcriptis iuridicis agendum, ante omnia certae claſſes generales ſcriptorum iuridicorum conſtituendae ſunt, in quas, quotquot vnquam prodierunt ſcripta iuridica, redigi poſſunt, ſiue adhuc exiſtant, ſiue iam deperdita ſint. Licet vero ex variis diuidendi fundamentis, ex quibus ſcripta iuridica diuidi poſſunt in ſuas ſpecies, vario modo hae claſſes conſtitui poſſint, non datur tamen, ſi quid video, magis commoda generalis diuiſio, quae tam in addiſcenda notitia ſcriptorum iuridicorum, quam in ordinanda bibliotheca iuridica, ſuum praeſtat vſum, quam haec, quod ſint, vel ſcripta *generalia* (§. 341), quae conſtituunt *bibliothecam generalem*, vel *ſpecialia* (§. cit.), quae conſtituunt *bibliothecam ſpecialem.*

SECTIO

SECTIO. I.

BIBLIOTHECA IVRIDICA GENERALIS.

§. 349.

Ad bibliothecam iuridicam generalem omnia ſcripta iuridica, quae ſunt collectiones ſcriptorum (§. 338), referri quidem nequeunt: aſt tamen ſcripta quae huc pertinent non niſi collectiones ſcriptorum ſunt. Videlicet collectiones ſcriptorum quae antea ſeparatim prodierunt, ſunt vel collectiones ſcriptorum *eiusdem ſingularis argumenti*, vel *diuerſi argumenti.* Prioris generis collectiones huc referri nequeunt: ſed tantum eae collectiones, quae ſunt poſterioris generis. Hae vero ſunt in duplici differentia, dum aliae ſunt collectiones ſcriptorum *diuerſorum auctorum et diuerſorum argumentorum*, aliae vero collectiones ſcriptorum *vnius auctoris plane diverſi argumenti*, ſeu ea ſcripta quae *Opera et opuſcula ICtorum* appellari ſolent. Secundum hanc differentiam itaque de ſcriptis vtriusque claſſis nunc agendum.

MEMBRVM. I.

DE COLLECTIONIBVS SCRIPTORVM DIVERSORVM AVCTORVM ET VARII ARGVMENTI.

§. 350.

Haec claſſis ſcriptorum iuridicorum continet nonnulla maxime momentoſa ſcripta iuridica de quibus ſpeciatim agendum, iisque praemiſſis reliqua addenda.

TIT.

TIT. I.

DE

TRACTATV VNIVERSI IVRIS, SEV VVLGO SIC DICTO TRACTATV TRACTATVVM.

Christ. WOLDENBERGII *Indices tres auctorum et tractatuum vniuersi iuris.* Ienae 1679. 12.

§. 351.

Primum locum inter scripta iuridica merito occupat locupletissimus ille thesaurus iuris, qui vulgo sub *Tractatus tractatuum* seu *Oceani iuris* nomine venire solet, cuius verus titulus vero est: *Tractatus vniuersi iuris*, indeque cum scriptis quae sub dictis titulis, veluti *Tractatus tractatuum iuris Tomi XVII.* Lugd. 1549 fol. et *Tractatus doctorum iuris* seu *Oceanus iuris Tomi IX.* Lugd. 1535 fol. prodierunt, non confundendus. Licet vero hoc immensum opus praesertim scripta doctrinalia mediorum ICtorum contineat, illud tamen ideo ad bibliothecam generalem referri debet, quoniam scripta in eo contenta ad varias iurisprudentiae partes pertinent, nec de omnibus in eo contentis scriptis dici potest quod sint doctrinalia scripta.

§. 352.

Est vero operis huius, cuius pleniorem et accuratam recensionem dedit CAR. FERD. HOMMELIVS *in Cont. III. et IV. Notitiae auct. iurid. Beyerianae*, quodque a. 1584. Venetiis in fol. publicauit FRANCISC. ZILETVS bibliopola eruditus, totus titulus hic: *Tractatus vniuersi iuris duce et auspice Gregorio XIII. Pontifice maximo in vnum congesti: additis quam plurimis antea nunquam editis hac * nota designatis XVIII. materias XXV.*

Volu-

Voluminibus comprehendentes. Praeter Summaria singulorum Tractatuum, accessere locupletissimi indices, ita distincte et ordinate compositi, vt Lector materias omnes, temere antehac sparsas, artificiosa distributione, sub vno quasi adspectu, positas, contueri possit. Constat XVIII. Tomis, quorum quilibet tractatus singularis cuiusdam materiae continet. Quum vero nonnulli Tomi in Partes iterum diuisi, et praeterea indices tres Tomos constituant, totum opus completum in XXVIII Voluminibus prodiit.

§. 353.

Quilibet XVIII Tomorum sistit tractatus eiusdem argumenti, et continet Tom. I auctores de *iure cognoscendo et interpretando*; T. II. de *statutis et consuetudine et priuilegiis*; T. III. in duas partes diuisus de *iudiciis*; T. IV. de *probationibus*; T. V. de *sententiis et re iudicata;* T. VI. in duas partes diuisus de *contractibus licitis;* T. VII. de *contractibus illicitis;* T. VIII. de *vltimis voluntatibus*; T. IX. de *matrimonio et dote* T. X. cuius duae sunt partes de *feudis;* T. XI. itidem in duas partes diuisus P. I. de *iudiciis criminalibus*; P. II. de *iudiciis criminalibus sanctae inquisitionis;* T. XII. de *publicis fiscalibus*, *pace et bello*; T. XIII. duarum partium, de *potestate ecclesiastica*; T. XIV. de *censuris ecclesiasticis;* T. XV. in duabus partibus de *beneficiis et rebus ecclesiasticis*; T. XVI. de *dignitate et potestate seculari;* T. XVII. de *variis iuribus et acquisitionibus*; T. XVIII. de *variis verbis iuris.* Tractatus in hoc opere collecti adscendunt ad numerum DCCXV, cumque ii hic specifice allegari nequeant, in *App.* III. indicem eorum alphabeticum adiicio, qui simul et aliorum scriptorum in thesauris sequentibus contentorum indicem continebit.

TIT. II

TIT. II.

DE

OTTONIS THESAVRO IVRIS ROMANI.

§. 354.

Prout praecedens collectio, de qua modo dictum, continet potissimum scripta ICtorum mediorum: ita OTTONIANVS thesaurus sistit Humanistarum inter recentiores ICtos scripta, quorum numerus ad XCVII. adscendit. Ideo vero hic thesaurus non praecise ad vnam alteramue classem specialem scriptorum iuridicorum referri potest, quoniam partim legalia, partim doctrinalia scripta continet, licet omnia scripta in eo contenta sunt scripta iuris Romani.

§. 355.

Prodiit hic thesaurus primum Lugd. Bat. a. 1726 IV Tom. auspiciis et prouidentia BYNCKERSHOECKII, ast cura et vigiliis EVERH. OTTONIS. Noua eius editio legitima vero sequuta est Vltrai. a. 1733 fol. mai. eaque quinque tomis constat, quorum quintus tamen demum a. 1735 accessit. Est praeterea secunda editio multo auctior et emendatior, praesertim praefationes OTTONIANAE in secunda editione multum auctae sunt. Caeterum adhuc monendum editionem quae 1744 Basileae prodiit esse furtivam recusionem.

§. 356.

Ipsorum scriptorum, quae singuli tomi continent, recensionem, eo ordine quo in singulis Tomis obueniunt, hic adiicere non necessarium iudico, quum ea vbique obuia, veluti apud STRVVIVM in *Bibliotb. iur.* Cap. X. §. III. et IENICHEN in *Cont. not. auct. iurid. Beyerianae.* Sufficiet itaque plenum huius operis titulum

hic

hic exhiberi, ſcripta ipſa vero potius ſecundum ordinem alphabeticum, in *App.* III. ſimul cum ſcriptis in Tractatu tractatuum obuiis, ſunt recenſenda. Titulus ipſe hic eſt: *Theſaurus iuris Romani, continens maiora meliorum interpretum opuſcula, in quibus ius romanum emendatur, explicatur, illuſtratur, itemque claſſicis aliisque auctoribus haud raro lumen accenditur.*

TIT. III.

DE

COLLECTIONE SVB TITVLO: IVRISPRVDENTIA ROMANA ET ATTICA.

§. 357.

Collectio quae ſub titulo: *iurisprudentia romana et attica* prodiit, potiſſimum ad ius romanum pertinet, et eſt quaſi continuatio Theſauri Ottoniani, hincque merito ei iungenda. Licet vero potiſſimum BALDVINI ſcripta ſiſtat, tamen et aliorum ſcripta in illam collecta ſunt, indeque claſſem ſcriptorum, de quibus hic loquor, referri poteſt. Prodiit haec collectio ſucceſſiue in tribus tomis, quorum ſingulorum notitiam ſigillatim dabo.

§. 358.

Primus tomus publicae luci expoſitus eſt Lugd. Bat. 1738 in fol. ſub titulo: *Iurisprudentia romana et attica continens varios commentatores, qui ius romanum, atticum item claſſicos alioſque auctores veteres emendarunt, explicarunt, illuſtrarunt. Cum praefatione* IO. GOTTL. HEINECCII *Tom. I. in quo Franc Balduini ICti Opuſcula omnia.* Recenſionem huius primi tomi exhibent *die allerneueſten Nachr. von iuriſt. Büchern vnd Schriften &c.* Vol. 1. P. 1. num. 1. Scripta ipſa BALDVINI

DVINI in hoc tomo primo contenta ſunt: 1) *Praefata de iure ciuili*, 2) *ad Leges* ROMVLI, 3) *Commentarii ad LL. XII. Tabb.* 4) *Comment. ad Leges* VOCANIAM, FALCIDIAM, IVLIAM, PAPIAM POPPAEAM, RHODIAM, AQVILIAM, 5) *Comment de Pignoribus et Hypothecis; de conditionibus; ad* PAVLLVM *de diuiſione ſtipulationum in l. 2. et 4. de V. O; ad eundem de cautione lecta in Auditorio* PAPINIANI; *ad* PAPINIANVM *de euictione et duplae ſtipulatione; ad Regulam* CATONIANAM; 6) *Comm. de Iurisprudentia Mutiana.* 7) CONSTANTINVS M. 8) *Catheſis iuris ciuilis.* 9) *Notae ad Libr. I. et II. Digeſtorum ſ. Pandectarum*, 10) *de quaeſtione olim agitata in Auditorio* PAPINIANI *ſ. ad l. 40. de rebus creditis.* 11) *Annotationes in titulum de Aedilitio Edicto.* 12) *Diſp. II. de iure ciuili ex* PAPINIANO *cum vita* PAPINIANI. 13) *ad Leges Maieſtatis ſeu perduellionis.* 14) *Explicatio L. 14. C. de Pactis.* 15) IVSTINIANVS. 16) *Comm. in Nov. I. IV. XVIII. et CXVIII.* 17) *Comment. in* IVSTINIANI *leges de re ruſtica; It. in Nov. Conſt. I. de haered. et Lege* FALCIDIA *Scholia.* 18) *Comm. ad Edicta veterum Principum Romanorum de Chriſtianis* 19) *ad Leges de famoſis libellis et de Calumniatoribus.* 20) *de inſtitutione hiſtoriae vniverſae et eius cum iurisprudentia coniunctione.* 21) *Relatio ad* HENRICVM, *Andium* DVCEM, *cum* LATINI PACATI *Panegyrico ad* THEODOSIVM *et* EVMENII *Orationem de ſcholis cum adnotationibus* BALDVINI. 22) *Schola Iuris ciuilis Argentinenſis.* 23) *Oratio, de Legatione Polonica ad Sarium Zamoscium.*

§. 359.

Hunc tomum primum excepit ibidem a. 1739 tomus huius operis ſecundus. Itidem ei praefationem praemiſit HEINECCIVS et ſub hoc titulo prodiit: *Iurisprudentia romana et attica Tom. II. in quo* BARTHOLOMAEI CHESII *ICti interpretationum iuris L. II. et de differentiis*

rentiis iuris liber. *Item* GVIDONIS PANZIROLI *ICti variarum Lectionum* L. III. Pleniorem recenſionem huius tomi vide l. c. *Vol. II. P. X. num. XVI*, ipſa ſcripta in eo contenta vero titulus indicat.

§. 360.

Tertius et vltimus huius operis tomus cuius recenſio itidem l. c. *Vol. III. P. XIX. num. XVI.* obuia prodiit demum a. 1741 cum Praef. PETRI WISSELINGII, in eoque comparent recuſae SAMVELIS PETITI *leges Atticae et Commentarius cum animaduerſionibus* IAC. PALM. a. GRENTEMESNIL, A. M. SALVINII, C. A. DVCKERI et PETRI WISSELINGII.

TIT. IV.

DE MEERMANNI THESAVRO IVRIS CIVILIS ET CANONICI.

§. 361.

Et huius claſſis ſcriptum eſt MEERMANNIANVS theſaurus in ſupplementum OTTONIANI theſauri editus, indeque vel ideo ei adiungendus. De propoſito ſuo ipſe MEERMANNVS latius egit in *Conſpectu theſauri* Hagae Comitum a. 1751. 8vo. publicati, cuius contenta recenſet *die Vnpartb. Critik über iuriſt. Schriften Vol. II. p. 99 ſeqq.* Promiſſis ſtetit MEERMANNVS et ab anno 1751 ad annum 1754 ſeptem voluminibus in folio ſucceſſiue prodiit hoc opus, in quo iunctim exhibentur varia et rariſſima optimorum interpretum, inprimis Hiſpanorum et Gallorum, opera ius ciuile et canonicum ex humanioribus litteris, antiquitatibus ac veteris aeui monumentis illuſtrantia.

§. 362.

Ipse titulus huius operis hic est: *Nouus thesaurus iuris ciuilis et canonici, continens varia et rarissima optimorum interpretum, inprimis Hispanorum et Gallorum opera, tam edita antehac, quam inedita, in quibus vtrumque ius emendatur, explicatur, atque ex humanioribus litteris, antiquitatibus et veteris aeui monumentis illustratur. Ex collectione et Museo* GERARDI MEERMANNI, *ICti et Reip. Roterodamensis syndici. Hagae comitum apud Petrum de Hondt* 1751 fol. Tom. II. ibid. eod. T. III. 1752. Tom. IV. eod. Tom. V. eod. Tom. VI. 1753. Tom. VII. eod.

§. 363.

Singulorum CV. scriptorum in septem tomis huius thesauri contentorum seriem dederunt alii, veluti STRVVIVS *in biblioth. iur. Cap. X.* §. 3. et *die Vnpartb. Critick etc. Vol. III. p. 99. et 283. Vol. IV. p. 34, 92, 195 et 447. Vol. V. p. 3.* Secundum alphabeticum ordinem vero haec scripta cum aliis recensita sunt in App. III. huic libello adiuncto.

TIT. V.

DE

RELIQVIS COLLECTIONIBVS HVIVS GENERIS.

§. 364.

Supersunt, praeter dictas collectiones scriptorum iuridicorum variorum auctorum et diuersi argumenti, adhuc aliae collectiones huius generis, quorsum refero I. DISSERTATIONES IVRIDICAS BASILEENSES Sec. XVII collectas. Prodierunt nimirum dissertationes iuridicae selectiores in dicto seculo in Academia Basileensi ventilatae,

latae, in collectionem redactae in forma quarta. Completa haec collectio constat decem voluminibus his:

Dissert. Basileensium Vol. I-VIII. Basil. 1618-24.
Dissert. Basileensium Vol. nov. Basil. 1653.
Dissert. Basileensium Vol. singulare. Basil. 1673.
Io. Phil. a VORBVRG Index realis in septem priora volumina sub titulo: *Encyclopaedia iuris publici et priuati.* Francof. 1640.

§. 365.

Porro II. huc referri potest *Dan.* FELLENBERG *Iurisprudentia antiqua, continens opuscula et dissertationes quibus leges antiquae praesertim Mosaicae, Graecae et Romanae illustrantur.* Tom. I. Bernae 1760. Tom. II. ibid. 1761. 4. prodiit, et valde optandum hanc egregiam collectionem, cuius Tom. I. decem et Tom. II. duodecim lectu digna opuscula continet, continuari.

§. 366.

Nec minus III. collectio huius generis est, quae Bremae prodiit et adhuc continuatur per *Gerb.* OELRICHS. Coepit is a. 1769 salutare consilium colligendi dissertationes iuridicas selectissimas in Academicis belgicis habitas et edidit eum in finem 1769 collectionem sub titulo: *Thesaurus dissertationum iuridicarum selectissimarum in academiis belgicis habitarum. Continens dissertationes historico - antiquaria - iuridicas quibus varia iuris ciuilis capita veterumque auctorum loca emendantur, illustrantur, explicantur.* Vol. I. continens tres tomos prodiit 1769 et Vol. II. idiem in III. tomos diuisum 1770. 4. Post hanc collectionem aliam edere coepit sub titulo: *Thesaurus nouus dissertationum iuridicarum selectissimarum in academiis belgicis habitarum. Continens dissertationes iuridicas theoretico - practicas.* Prodiit 1771 Vol. I. duobus tomis constans, et 1772.

Vol. II. primus tomus lucem adſpexit, cuius continuatio exſpectatur.

MEMBRVM. II.

DE COLLECTIONIBVS SCRIPTORVM VNIVS AVCTORIS ET VARII ARGVMENTI, SEV DE OPERIBVS ET OPVSCVLIS ICTORVM.

§. 367.

Collectiones ſcriptorum vnius auctoris aſt varii argumenti, ſeu Opera et Opuſcula ICtorum, ſunt partim *mediorum* ICtorum, partim *recentiorum* ICtorum opera et opuſcula.

TIT. I.

DE

OPERIBVS ET OPVSCVLIS MEDIORVM ICTORVM.

§. 368.

Quum *veterum* ICtorum opera ſeu opuſcula non exſtent, nec eorum ICtorum qui inter medios ICtos ſub *Gloſſatorum* nomine, ſiue in ſenſu latiori, ſiue in ſenſu ſtrictiori veniunt (§. 127); hic tantum de reliquorum mediorum ICtorum operibus et opuſculis agendum.

§. 369.

Licet vero poſt inuentam artem typographicam vsque ad initium Sec. XVII. in colligendis et imprimendis ſcriptis huius vel illius ICti medii, quam maxime occupati fuerint eruditi et bibliopolae, harumque collectionum variae dentur, hodie tamen haec ſcripta tantam non praeſtant vtilitatem, vt operae pretium ſit

ea hic sigillatim recenseri. Sufficiet itaque veluti exempli causa notari:

BARTOLI *Opera quae nunc exstant omnia.* Basileae V. Voll. in qua editione accedunt BREDERODII *loci communes in omnia Bartoli opera.*

BALDI *Opera.* Venetiis 1595 fol. IV. Vol. et Lugd. 1585 fol. VII. Voll.

Vldar. ZASII *Opera omnia.* Tom. VI. Francof. 1590. fol.

TIT. II.

DE

OPERIBVS ET OPVSCVLIS RECENTIORVM ICTORVM.

§. 370.

Inter opera et opuscula recentiorum ICtorum a se inuicem separari possunt *collectiones quae, si non omnia, tamen potiora, huius vel illius ICti scripta* continent, et quae non nisi *opuscula minora, praesertim dissertationes,* complectuntur.

§. 371.

Prioris classis collectiones sunt:

Andr. ALCIATI *Opera omnia.* Basileae 1571. 1582 fol. V. Tomis. Francof. 1617. fol. IV. Vol.

Guil. BVDAEI *Opera.* Tomi IV. Basileae 1557. fol.

Eguin. BARONIS *Opera omnia in tres tomos diuisa.* Lut. Par. 1562. fol.

Nic. BVRGVNDI *Opera omnia quae de iure fecit.* Bruxellis 1674.

Corn. van BYNKERSHOEK *Opera omnia.* Tomi II. Edidit et praefatus est PHIL. VICAT. Colon. Allobr. 1761. fol.

Iac. CVIACII *Opera omnia in X tomos distributa* cura *Car. Annib.* FABROTTI, Parisiis 1658. fol. Recusa Neapoli 1722. et 1727. fol.

Franc. CONANI *Opera.* Neapoli 1724. fol.

Herman. CONRINGII *Opera ex editione et cum animadversionibus* IO. GVIL. DE GOEBEL Tomi VII. Brunſw. 1730. fol.

Ant. CONTII *Opera omnia ſtudio Edm.* MERILLII in vnum redacta Par. 1626.

Hug. DONELLI *Opera.* XII. Tom. Lucae 1762 - 1768.

Franc. DVARENI *Opera.* Lugd. 1584. fol. Francof. 1584. 1592. 1598. 1607. fol. Lucae 1765.

Gerh. et *Theod.* FELTMANNI *Opera iuridica.* Arnhemiae 1764. fol.

Franc. FLORENTIS *Opera iuridica ſtudio I. Douiatii antea Pariſiis collecta atque in duas partes diuiſa* cura IGNATII CHRISTOPH. LORBER a STÖRCHEN. Norimb. 1756. 4.

Frid. GERDESII *Opera omnia* Tomi III. Gryphisw, 1728. et 1729. 4.

Ant. GOVEANI *Opera iuridica philologica et philoſophica ex bibliotheca Gerh.* MEERMANNI edidit vitamque auctoris praemiſit Iac.. van WAESSEN. Roterod. 1766. fol.

Petri GVDELINI *Opera omnia.* Antwerp. 1685. fol.

Io. Gottl. HEINECCII *Opera omnia.* Geneuae 1746 et 1748. 4. mai. VIII. Tomis.

Franc. HOTMANI *Opera in tres tomos diſtributa.* Geneuae T. I. et II. 1599. et Tom. III. 1600. fol.

Guil. MARANI *Opera omnia,* ex recenſione CHR. HENR. TROTZ Trai. ad Rhenum 1741. fol.

Em. MERILLII *Opera* Editio noua. Neapoli 1720.

Gerardi NOODT *Opera omnia.* Lugd. Bat. 1724. Col. Agrip. 1732. 1735. fol.

Ant. PERETZ *Opera* in tribus Tomis. Venetiis 1738. fol.

Sam. STRYKII et *Io. Sam.* STRYKII *Opera omnia, vna cum* IO. FRID. RHETII *binis voluminibus diſputationum.* Vlmae 1743 - 1755. fol. Volumina XVI.

Sam. STRYKII *Operum praeſtantiorum* Tomi quatuor. Halae Magd. 1746. fol.

Io. Ortw. WESTENBERG *Opera omnia iuridica.* Hanov. T. I. 1746. Tom. II. 1747. Tom. III. et vltimus 1758. 4.

§. 372.

§. 372.

Ad posterioris classis collectiones referri possunt:

Georg. Henr. AYRERI *Opuscula varii argumenti.* Tom. I. Göttingae 1745. 8. Tom. II. ibid. 1747. 8. mai.

EIVSDEM *Opusculorum minorum variique argumenti sylloge noua.* Goett. 1752. 8. mai.

Ioan. Casp. BARTHEL *Opuscula iuridica.* Francof. Tom. I. 1756. Tom. II. *eod.* 4. Tom. III. 1765. 4.

Godofr. BARTHII *Dissertationes.* Lips. 1733. 4.

Georgii BEYERI *Dissertationes et opuscula* Lips. 1723. 4.

Io. Georgii BERGERI *Dissertationes iuris selectae.* Lipsiae 1707. 4.

Iac. BORNII *Dissertationes selectae* Lips. 167 et 1705. 4.

Barnab. BRISSONII *Opera minora* ex recensione TREKELII Lugd. Bat. 1747. fol.

Frid. BRVMMERI *Opuscula* cura GEORG. BEYERI. Lips. 1712. 8.

Christ. Gottl. BVDERI *Opuscula quibus selectiora iuris publici feudalis, ecclesiastici et germanici argumenta exhibentur,* Ien. 1744. 8. mai.

Henr. de COCCEII *Exercitationes curiosae.* Lemgouiae 1722. 4.

Io. Vlr. L. B. de CRAMER *Opuscula.* Tomi IV. Marb. 1742-1756. 4. *Supplementum opusculorum* Ibid. 1767.

Iusti Christ. DITHMARI *Dissertationum academicarum atque exercitationum sylloge.* Lips. 1737. 4.

Io. Er. EISENHARDT *Opusc. iuridica.* Halae 1771. 4.

Iac. GOTHOFREDI *Opuscula varia.* Geneuae 1641. 1654. 4. et ex recensione FRANC. CAR. CONRADI Helmst. 1732. 4.

EIVSDEM *Opuscula iuridica minora* cum praef. CHRIST. HENR. TROTZII. Lugd. Bat. 1733. fol.

Mich. Henr. GRIEBNERI *Opuscula.* Halae 1722. 4.

Nic. Hier. GVNDLINGII *Exercit. academicae.* Tom. I. Halae 1736. et Tom. II. ibid. 1737. 4.

Laur. Andr. HAMBERGERI *Opuscula ad elegantiorem iurisprudentiam pertinentia.* Ien. et Lips. 174 . 8.

Io. Andr. HANNESEN *Sylloge Opusculorum varii argumenti* cum praef. MEISTERI. Goett. 1765. 8.

Ferd. Christoph. HARPRECHT *Diss. acad. iuxta ordinem ff.* Tub. 1737. 4. II Vol.

Io. Nic. HERTII *Commentationum et opusculorum de selectis et rarioribus ex iurisprudentia vniuersali, publica, feudali, romana nec non historia germanica argumentis.* Francof. 1737. 4. mai. II. Voll.

Vlr. HVBERI *Opera minora et rariora.* Ex edit. et cum animadv AB. WIELINGII. Trai. 1746.

Zach. HVBERI *Diss. iuridicae et philologicae.* Franeq. 1703. 4.

Ioan. Ad. ab ICKSTADT *Opusculorum iuridicorum* Tom. I. Ingolstadii 1747. Tom. II. Ibid. 1749. 8.

Mart. KAHLII *Opuscula minora.* Francof. ad Moenum 1751 4

Ioan. KLEIN *Volumen disputationum iuridicarum.* Berol. 1706. 4.

Io. Georg. KVLPISII *Dissertationes academicae.* Argent. 1705. 4.

Wolfg. Ad. LAVTERBACHII *Disputationes iuris.* Tub. 1694. IV. Tomis, et ibid. 1728 seqq. Tomis IV. 4.

Petri de LVDEWIG *Opuscula miscella.* Halae 1720. fol.

Io. Wilh. MARCKART *Exercit. academicae.* Harderouici 1751.

Erici MAVRITII *Dissertationes ex iure publico, feudali et priuato in vnum volumen collectae.* Francof. 1692. 4.

Io. Iac. MOSERI *Opuscula academica, quibus selecta iuris cum publici tum priuati itemque ecclesiastici capita explicantur, multis accessionibus passim aucta et luculentis obseruationibus locupletata.* Ienae. 1744. 4.

Christ. Frid. Georg. MEISTER *selectorum opusculorum sylloge.* Goett. 1766. 8.

Godofr. Lud. MENCKENII *Opuscula.* Halae 1770. 8.

Vlr. OBRECHT *academica in vnum volumen collecta.* Argent. 1704. 4.

Eu. OTTONIS *Diss. iuris publici et priuati.* Vltr. 1723. 4.

Bern. Henr. REINOLDI *Opuscula iuridica rariora.* Lugd. Bat. 1755. 8.

Aug. Fr. SCHOTT *Opuscula iuridica.* Lips. 1770. 4.

Gabrielis SCHWEDERI *Disputationes varii argumenti.* Eslingae 1731. 4. II. Voll.

Ant.

Ant. SCHVLTING *Comment. academicae.* Halae 1770. Vol. II. Ibid. 1772. 8.

Io. Henr. Christ. de SELCHOW *Electa iuris Germanici publici et priuati.* Lipſ. 1771. 4.

Ioan. STRAVCHII *Opuſcula iuridico-hiſtorico-philologica* curis CONR. FRID. REINHARDI et CAR. GOTTL. KNORRII. Halae 1729. 4.

Io. Wolffg. TEXTORIS *Diſputationes academicae iuris publici et priuati.* Francof. 1698. 4.

Io. Gottl. TITII *Diſſertationes iuridicae varii argumenti.* Lipſ. 1729. 4.

Petri de TOVLLIEV *Collectanea* edita a IOAN. WOLBERS. Gröningae 1737. 4.

Chrfrid. WAECHTLERI *Opuſcula iuridico-philologica rariora* cum praef. TROTZII. Vltr. 1733. 4

Caſpar. ZIEGLERI *Diſputationes ſelectae varii argumenti.* Lipſ. 1712. 4.

SECTIO. II.

BIBLIOTHECA IVRIDICA SPECIALIS.

§. 373.

Abſoluta bibliotheca iuridica generali, ſequitur ſpecialis (§. 348) in qua ſcripta *iuris ciuilis in ſenſu latiſſimo*, a ſcriptis *iuris criminalis* ſunt ſeparanda, indeque bibliotheca ſpecialis in duas partes diuidenda ſub *bibliothecae iuris ciuilis* et *iuris criminalis* nomine.

MEMBRVM. I.

BIBLIOTHECA IVRIS CIVILIS.

§. 374.

Bibliotheca iuris ciuilis, quae ſub ſe comprehendit omnia ſcripta iuris ciuilis (§. 373), partim legalia, partim doctrinalia, partim caſuiſtica ſcripta (§. 339.) continet, et ſingularum harum ſpecierum complexus mihi ſub bibliothecae iuris ciuilis *legalis*, *doctrinalis* et *caſuiſticae* nomine venit.

CAPVT. I.

BIBLIOTHECA IVRIS CIVILIS LEGALIS.

§. 375.

Bibliothecam iuris ciuilis legalem constituentia scripta in hac differentia sunt, quod alia sint *scripta legalia stricte sic dicta*, quae proprie sic dictas leges positiuas ita concernunt, prout eas concernere debent, vt ad scripta legalia (§. 339) referri possint; alia vero *actorum publicorum et diplomatum collectiones*, quippe quae suo modo etiam ad scripta legalia referri possunt (§. 325).

I.

DE SCRIPTIS LEGALIBVS STRICTE SIC DICTIS.

§. 376.

Quum dentur inter scripta legalia stricte sic dicta talia quae sunt collectiones legum, quae in eo conueniunt quod versentur circa idem obiectum, siue differant in eo, quod sint leges a legislatoribus diuersis latae, siue non: alia vero, et pleraque, talia non sunt, haec scripta a se inuicem separari necesse est. Posteriora mihi veniunt sub nomine *scriptorum legalium generalium*: priora vero *collectionum legum eiusdem obiecti*.

(1)

DE SCRIPTIS LEGALIBVS GENERALIBVS.

§. 377.

Vt haec scriptorum legalium classis in ordinem redigi possit, inter scripta legalia *secularia* et *ecclesiastica* distin-

diſtinguendum eſt, prout vel ſocietatum ſecularium, veluti rerumpublicarum, vrbium &c. vel ſocietatum eccleſiaſticarum, leges ſunt quas continent et concernunt.

(A)
DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS SECVLARIS.

§. 378.

Scripta legalia huius claſſis ſunt totuplica, quotuplices ſunt leges rerumupblicarum aliarumque ſocietatum ſecularium. Sunt itaque vel SCRIPTA LEGALIA IVRIS ANTIQVORVM POPVLORVM, veluti iuris *Hebraeorum*, *Aegyptiorum*, *Graecorum* in genere et in ſpecie iuris *Attici*, *Romanorum*, *Longobardorum*, *Francorum etc.* vel SCRIPTA LEGALIA HODIERNORVM POPVLORVM, tam OCCIDENTALIVM, veluti *Hiſpanorum*, *Gallorum*, *Danorum*, *Suecorum*, *Germanorum etc.* quam ORIENTALIVM. Aſt, quum in his initiis hiſtoriae litterariae iuridicae vniverſalis, potiſſimum iurisprudentiae poſitiuae Germanorum ratio habenda, quoad huius claſſis ſcripta notitia haec reſtringenda: ad ſcripta legalia iuris 1) *Romani*; 2) *Francici aliorumque antiquorum populorum qui Germaniam olim inhabitarunt*; 3) *Germanici.*

Car. Ferd. HOMMEL *Bibliotheca iuris Rabbinica et Saracenorum Arabica.* Byruthi 1762. 8.

(a)
DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS ROMANI.

§. 379.

Scripta legalia Iuris Romani ſunt duplicis generis, vel ſcripta iuris *Latino Romani*, vel ſcripta iuris *Graeco-Romani.*

(A)
DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS LATINO-ROMANI.

§. 380.

Iuris Latino-Romani ſcripta legalia concernunt, vel *Anteiuſtinianeum ius*, vel *Iuſtinianeum* et *Poſtiuſtinianeum ius*, in eo ſenſu in quo ſub iuris *Iuſtinianei* nomine venit ius a Iuſtiniano, vel conſtitutum, vel compilatum.

(a)
DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS LATINO-ROMANI ANTEIVSTINIANEI.

§. 381.

Scripta legalia quae ad hanc ſcriptorum claſſem referri poſſunt, ſunt quadruplicis generis, videlicet; 1) talia quae ſingulas ſpecies Iur. Rom. Anteiuſt. concernunt; 2) ſcripta legalia barbarorum populorum, qui ante IVSTINIANVM prouincias imperii romani ſibi ſubiecerunt, in quibus contentae ſunt iuris romani Anteiuſtinianei laciniae; 3) ſcripta veterum ICtorum Romanorum; 4) collectiones ſcriptorum huius claſſis.

TIT. I.
DE
SCRIPTIS IVRIS ROMANI ANTEIVSTINIANEI SINGVLAS EIVS SPECIES CONCERNENTIBVS.

§. 382.

Inter ſcripta legalia iuris romani Anteiuſtinianei, quae concernunt diuerſas legum Anteiuſt. romanarum ſpecies, dantur ſcripta, *generalia* ideo dicenda, quoniam plures

plures iuris Romani Anteiustinianei species simul tractant. Huc referri possunt:

Parduphi PRATEII *Iurisprudentia vetus, Draconis et Solonis, cum Romano iure legum regiarum et decemuiralium collato.* Lugd. 1559. 8.

Ant. AVGVSTINI *de legibus et SCtis liber cum notis,* FVLVII VRSINI. Lugd. 1592. 4 mai.

Iac. GODOFREDI *fontes quatuor iuris ciuilis, puta LL. XII. Tabb. et Legis Iuliae et Papiae fragmenta notis illustrata; Item edicti perpetui vt et Sabinianorum librorum ordo seriesque in vnum collecti.* Genev. 1653. 4to.

S. H. van IDSINGA *Variorum iuris ciuilis liber singularis, quo leges quaedam Regiae et Decemuirales illustrantur.* Harlingae 1738. 8. mai.

§. 383.

Dantur porro inter huius classis scripta talia quae *specialia* dicenda, quoniam non nisi vnam alteramue speciem legum romanarum Anteiustinianearum concernunt. Talia scripta sunt quoad

1. *Leges regias,*

 Ius papirianum, in quod commentatus est GRANIVS FLACCVS tempore IVLII CAESARIS. Ast vtrumque opus cum ipsis legibus regiis intercidit.

2. *LL. XII. Tabb.* praeter plura alia scripta antiquiora

 Aloysii L. B. a LOCELLA *Tria tentamina ad illustrandas LL. XII. Tabb.* Viennae Austriae 1754. 4.

 Io. *Nic.* FVNCCII *Leges XII. Tabb. suis quotquot reperiri potuerunt fragmentis restitutae et obseruationibus critico antiquariis illustratae.* Rint. 1754. 4.

3. *Leges in specie sic dictas,* in quibus

 A. *plures leges in specie sic dictae coniunctim recensitae et illustratae sunt*

Paul.

Paul. MANVTIVS *de legibus romanis.* Venetiis 1557. et Parif. 1598.

Catalogus legum antiquarum vna cum adiuncta summaria interpretatione; per IOAN. VLRIC. ZASIVM Brigantinum.

Lud. CHARONDAE *Annot. ad Zasii catalogum Legum antiquarum.* Parif. 1555. 8.

B. *singulares quasdam leges ex iis, earumque capita, peculiari studio collectas et commentariis illustratas,*

Herm. NOORDKERK *Specimen lectionum seu Disquisitio de lege Petronia.* Amftelod. 1731.

Iac. VOORDA *Commentarius ad L. Falcidiam.* Harlingae. 1738. 8.

Fr. BALDVINI *ad leges de iure ciuili, Voconiam, Falcidiam, Iuliam, Papiam Poppaeam, Rhodiam, Aquiliam Commentarii.* Heidelb. 1559. et Halae 1730. cum praef. GVNDLINGII. 8.

Ioan. Gottl. HEINECCII *Commentarius ad L. Iuliam et Papiam Poppaeam.* Amft. 1726. et ibid 1731. 4.

Frid. BRVMMERVS *ad L. Cinciam de salariis honoribus et officiis causarum patroni.* Parif. 1668. 4.

4. *Edicta magistratuum* et in fpecie *Edictum perpetuum.*

Io. Chr. Gottl. HEINECCII *Florum sparsio ad edictum aedilitium* Halae 1738. 4.

Io. Gottl. HEINECCII *Opuscula posthuma, in quibus historia edictorum edictique perpetui ordini et integritati suae restituti aliaque continentur.* Halae 1743. 4.

5. *Constitutiones principum.*

A. *huius vel illius Principis,*

Io. Aug. BACHII *Traianus.* Lipf. 1747. 8.

Io. Ortw. WESTENBERGII *Diuus Marcus.* Lugd. Bat. 1736. 4.

B. *plu-*

B. *plurium collectarum* indeque enatos *Codices Anteiustinianeos*, nimirum

a. *Gregorianum et Hermogenianum.*

Vtriusque non nisi pauca fragmenta supersunt, quae, postquam ab aliis suis editionibus C. Th. adiecta, SCHVLTINGIVS *iurispr. Anteiust.* inseruit.

b. *Theodosianum.*

Post aliorum editiones, veluti IO. SICHARDI Basil. 1528. fol. IO. TILII Parisiis 1549; IAC. CVIACII Lugd. 1566. et alibi postea; IAC. GODOFREDI Lugd. 1665, optima est quae prodiit cura IO. DAN. RITTERI Lipsiae ab a. 1736-1743 in VI. Tomis fol. Conf. BEYERI *Not. auct. iurid. Spec. II. num. XI. XII. XIII. Acta ICtorum P. VIII. n. I. Noua acta ICtorum P. I. n. VII.*

TIT. II.

DE
SCRPITIS LEGALIBVS BARBARORVM POPVLORVM.

§. 384.

Quae ad scripta legalia iuris romani anteiustinianei referri etiam possunt barbarorum populorum, compilationes legum, sunt eae compilationes legum, quae factae a populis qui ante IVSTINIANVM prouincias imperii Romani occidentalis sibi subiecerunt, veluti *Ostrogothis* in Italia, *Visigothis* in Gallia et Hispania et *Burgundionibus.* Hae legum compilationes enim ita factae sunt, vt in iis ipsum ius Romanum compositum et inflexum paullulum ad suos mores, statumque rerum qui tunc erat.

§. 385.

§. 385.

Ad tales compilationes legum vero pertinet I. *Edictum Theodorici Ostrogothorum regis*, quod varias iuris romani Anteiustinianei lacinias continet et centum atque quinquaginta capitibus constat. Separatim editum quidem non exstat, ast tamen inuenitur in LINDENBROGII *Codice legum antiquarum* de quo paullo post.

§. 386.

Huc etiam referri debet II. ALARICI *Regis Visigothorum Breuiarium legum Romanarum*, vulgo ANIANI *Breuiarium*, quod et sub LEGIS ROMANAE vel LEGIS THEODOSIANAE nomine apud scriptores sequentium temporum venit. Est veluti corpus iuris Romani, compilatum a. 506. ex Codicibus tribus *Gregoriano*, *Hermogeniano* et *Theodosiano*, *Nouellisque*, nec non ex CAII *institutionibus*, PAVLLII *receptis sententiis*, VLPIANI *regularum libro singulari*, et PAPINIANI denique libris, subiuncta interpretatione Gothica. Totum hoc scriptum legale vero non amplius exstat, sed sensim multae eius partes intercidere, praecipue Codicis Gregoriani et Hermogeniani breuiaria ferme tota, et ex PAPINIANO excerpta. Quae supersunt a variis publicata sunt in scriptis ad Codicem Theodosianum §. 383. notatis, et exstant etiam apud SCHVLTINGIVM *in iurisprud. Anteiustinianea.*

§. 387.

Est porro III. scriptum huius generis illud, quod vulgo sub nomine *Papiani responsorum* venit. Est vero illud tanquam iuris Romani corpus iussu Regis Burgundionum GVNDEBALDI compositum et ex iisdem quibus ALARICI *breuiarium* fontibus haustum. Primum a CVIACIO editum est sub finem editionis suae Codicis Theodosiani a. 1566 (§. 383.), et exstat quoque apud

apud SCHVLTINGIVM l. c. Caeterum de nomine PAPIANI videantur quae dicta sunt §. 113.

TIT. III.

DE SCRIPTIS VETERVM ICTORVM ROMANORVM, ALIORVMQVE SCRIPTIS QVAE EA CONCERNVNT.

§. 388.

Scripta veterum ICtorum romanorum in se considerata quidem ad scripta doctrinalia referri deberent: ast tamen, si consideramus vsum quem nobis hodie praestant, ad legalia potiori iure referri possunt, quam ad doctrinalia. Notitia eorum praeterea perutilis et necessaria est, et dolendum pleraque horum scriptorum deperdita esse, indeque non nisi de iis hic agendum, quae adhuc quoad fragmenta supersunt.

§. 389.

Quod itaque attinet I. ipsa scripta veterum ICtorum romanorum, vel potius fragmenta eorum quae supersunt, huc referri possunt:

CAII *Institutiones*, quae quidem integrae non exstant, sed tantum EIVS Institutionum, seu Epitomes eorum, libri II. Hoc scriptum vero nonsolum separatim prodiit, sed et exstat apud SCHVLTINGIVM in *Iurisprudentia Anteiustinianea.*

IVLII PAVLI *receptarum sententiarum ad filium libri quinque.* Nec hoc PAVLI scriptum integrum exstat, sed sunt tantum excerpta ex eo quae habemus, et exstant post aliorum editiones apud SCHVLTINGIVM l. c.

Tituli ex corpore VLPIANI *XXIX.* Hoc fragmentum ex Vlpiani Regularum libro singulari desumtum, di-

versum est ab ipso hoc VLPIANI scripto. Post aliorum editiones, quoque a SCHVLTINGIO Iurispr. Anteiust. insertum est, et ad illud pertinet sequens scriptum: IOAN. CANNEGIETERI *Domitii Vlpiani fragmenta libri singularis regularum et incerti auctoris collatio legum Mosaicarum et romanarum.* Trai. ad Rhenum 1768. 4.

COLLATIO LEGVM MOSAICARVM ET ROMANARVM, quod scriptum sine dubio auctorem habet ICtum quendam Sec. V. (§. 111.) et nonsolum a PETR. PITHOEO 1572. Lutetiae in 4. editum est, sed et legi potest apud SCHVLTINGIVM l. c. Ad huius scripti illustrationem prodierunt HERM. CANNEGIETERI *Commentarius ad fragmenta veteris iurisprudentiae, quae exstant in collatione legum Mosaicarum et Romanarum.* Franequerae 1765. 4. nec non IOAN. CANNEGIETERI scriptum modo allegatum.

Fragmentum veteris ICti de iuris speciebus et de manumissionibus, seu, secundum alios, *Fragmentum regularum.* Sub priori titulo edidit hoc scriptum post CVIACIVM, PITHOEVM et SCHVLTINGIVM l. c. MATHIAS RÖVER. Lud. Bat. 1739. 8.

§. 390.

Huc etiam pertinent II. ea scripta per quae excerpta ex scriptis ICtorum in Digestis dispersa, ad suas reducta sunt sedes, pristinaeque quadantenus figurae restituta scripta ICtorum, qualia sunt:

IACOBI LABITTI *index legum quae in Pandectis continentur*, qui index primum lucem vidit Paris. a. 1557. 8. deinde cum librorum iuris indice IO. BAPT. ZILETTI Venetiis 1596. prodiit, postea Lipsiae 1616. 8. cum annotationibus GVIL. SCHMVCKII publicam lucem adspexit, recusus porro Lugd. Bat.

Bat. 1674 et 1724. Franc. et Lipſ. cura GVNDLINGII. Tandem WIELINGII iurisprudentiae reſtitutae, de qua infra, inſertus eſt.

Caroli Ferdinandi HOMMELII *Palingeneſia librorum iuris veterum. Siue Pandectarum loca integra ad modum indicis Labitti et Wielingii oculis expoſita et ab exemplari Taurelli Florentino accuratiſſime deſcripta.* Tom. I. Lipſ. 1767. Tom. II. ibid. eod. Tom. III. ibid. 1768. 8.

§. 391.

Ad ſcripta huius claſſis referri etiam debent III. ea ſcripta in quibus, aut plurium ICtorum Romanorum ſcripta coniunctim, aut huius vel illius eorum vnum vel plura ſcripta, illuſtrata ſunt, quorſum, praeter varia ſcripta CVIACII huius generis, veluti eius IVLIVS PAVLVS, PAPINIANVS etc. pertinent

Gregorii MAIANSII *ad triginta Iurisconſultorum omnia fragmenta, quae exſtant in iuris ciuilis corpore, commentarii.* II. Tomi Geneuae 1764. 4.

Franciſci BALDVINI *Scaeuola* ſiue *de iurisprudentia Muciana commentarius.* Baſileae 1558. 8.

Henr. Theod. PAGENSTECHER *ad Sext. Pomponium ad Sabinum de re teſtamentaria et bonorum poſſeſſionem Commentarii.* Lemgov. 1733. 4.

EIVSDEM *Ius Pegaſianum* Ibid. 1741.

Io. SCHILTERI *Herennius Modeſtinus de cautelis illuſtratus.* Argent. 1687.

Edm. MERILLII *Differentiarum liber ſingularis reſtitutus ex libris manualium Iulii Pauli.* Paris 1683. 4.

Iac. LECTII *Aemilius Macer et Modeſtinus de poenis.* Lugd. 1597. 8.

Ant. Dad. ALTESERRA *Triphonini XXVI. libri diſputationum.* Tholoſae 1679. 4.

TIT. IV.

DE COLLECTIONIBVS SCRIPTORVM LEGALIVM IVRIS ROMANI ANTEIVSTINIANEI.

§. 392.

Licet SCHVLTINGIVS, nec primus, nec vnicus fuit qui iuris Anteiuſtinianei reliquias collegit, is tamen ſuperauit anteceſſorum induſtriam in adornanda tali collectione. Qui ante eum iam ſimile quid tentarunt ſunt SICHARDVS, CVIACIVS et praeſertim huc pertinet collectio quaedam variorum ſcriptorum ſub titulo: *De origine et progreſſu iuris ciuilis Romani auctores et fragmenta veterum ICtorum, cum notis Vinnii et aliorum* auctore et collectore S. LEEWIO IC. Lugd. Bat 1672. 8. Ad huius imitationem ANT. SCHVLTINGIVS edidit a. 1717 Lugd. Bat. in 4to ſuam *Iurisprudentiam Anteiuſtinianeam*, cuius nouam editionem curauit GEORG. HENR. AYRERVS Lipſ. 1737. 4.

§. 393.

Quae ſcripta collegerit SCHVLTINGIVS patet ex ipſa inſcriptione huius libri, quae his concepta verbis: *Iurisprudentia vetus Ante-Iuſtinianea qua continentur quae ſuperſunt ex* CAII *Inſtitutionum Libris IV. Iulii* PAVLLI *Sententiarum receptarum ad filium Libri V. et Fragmentum ex Inſtitutionum Lib. II. Tituli ex Corpore* VLPIANI *XIX. Codicis Gregoriani et Cod. Hermogeniani Fragmenta, quae inuenta hactenus fuere omnia. Moſaicarum et Romanar. legum collatio ex integris* PAPINIANI PAVLLI, VLPIANI *aliorumque veterum iuris auctorum libris ante tempora Imperatoris Iuſtiniani deſumta, cum quibusdam aliis Fragmentis. Conſultatio veteris cuiusdam Iurisconſulti.* PAPINIANI *Reſponſorum liber.* DOSITHEI *Magiſtri*

giſtri Liber III. continens D. ADRIANI *Imp. Sententias et Epiſtolas cum commentariis notis et interpretationibus Viror. doctorum integris.*

(b)

DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS LATINO-ROMANI IVSTINIANEI ET POST-IVSTINIANEI.

§. 394.

Nonſolum ipſa corpora iuris romani iuſtinianei ad hanc claſſem referri debent: ſed et varia alia ſcripta legalia, quae in tali relatione cum hoc corpore iuris ſunt, vt magis commodus locus, quam hic, iis aſſignari nequeat. De ſingulis his ſcriptis itaque nunc agendum.

TIT. I.

DE IPSO CORPORE IVRIS ROMANI IVSTINIANEI SEV CORPORE IVRIS CIVILIS.

§. 395.

Corporis iuris ciuilis, quod eſt complexus earum collectionum iuris romani quae IVSTINIANVM auctorem habent, et nouellarum IVSTINIANI, variae dantur ſpecies. Sunt nimirum, vel corpora iuris ciuilis *vulgaria*, quae exhibent textus iuris ciuilis in eo ordine, ſecundum quem a compilatoribus collocati ſunt, vel *reconcinnata*, ſi in eo textus in alio, magis artificioſo, ordine exhibentur. Vulgaria corpora iuris ciuilis ſunt porro, vel corpora iuris *gloſſata*, id eſt, notis ICtorum mediorum illuſtrata, vel *non gloſſata*, quae ita non illuſtrata ſunt; et poſteriora ſunt porro, vel *Gothofrediana corpora iuris ciuilis*, vel *non*, ſuntque corpora iuris *Gothofrediana* ea, quae ſecundum internam ſuam condi-

tionem, conueniunt cum ea editione quae per Dionyſium Gothofredum a. 1583. primum prodiit. Secundum hanc differentiam itaque de variis editionibus corporis iuris ciuilis agendum, quae primam eius editionem de a. 1499. ſubſequutae ſunt, quaeque, quoad eas editiones quae Sec. XV. et XVI prodierunt, in FABRICII *Bibliotheca graeca Vol. XII. p. 359.* et BRENCMANNI *Hiſtoria Pandectarum Lib. III. Cap. IV.* recenſentur.

§. 396.

Quod attinet corporis iuris ciuilis *vulgaris gloſſati* editiones varias, inter eas praeſertim notari meretur tanquam optima, ea editio corporis iuris ciuilis huius generis, quae Genev. 1593 et 1614. cura *Petr.* ab AREA BAVDOZA in IV. Tomis 4. prodiit.

§. 397.

Quoad editiones corporis iuris ciuilis *vulgaris non gloſſati Gothofrediani* notandum, ab eo tempore, quo prima eius editio a. 1583. prodiit, ſaepiſſime hanc editionem typis repetitam eſſe. Diſtinguendae vero ſunt editiones quae ante a. 1663 typis exſcriptae ſunt, ab ea editione quae Amſtelodami a. 1663. fol. cura Simonis van Leeuwen prodiit eamque ſubſequutae ſunt. Poſt hanc nouam editionem enim quae a. 1663. cura SIM. van LEEVWEN emendata et aucta eſt, prodierunt Gothofredianae editiones cura Sim. van Leeuwen emendatae quaeque *Gothofredo - Leeuwenianae* editiones dici poſſunt, ad quas etiam referri poſſunt variae *Lipſienſes editiones* quae ex officina Gleditſchiana in 4to mai. a. 1688. 1720. 1726 et 1740 prodierunt.

§. 398.

Sequuntur editiones corporis iuris ciuilis *vulgaris non gloſſati* quae ad Gothofredianas editiones referri ne-

neqeunt. Inter has notari merentur editio LVD. RVSSARDI Lugd. 1561. fol. et Antwerpiae a. 1567. nec non 1570; ANTONII CONTII Parisiis 1562. nouem voluminibus in 8. excusa editio quae etiam Lugduni 1580 quatuordecim tomis in 12. prodiit; LVD. CHARONDAE editio quae Antwerp. 1575 f. prodiit. Huc etiam pertinent CHRIST. HENR. FREISLEBENII editio Altenb. 1721. 1753. 4. et ea editio quae Halae 1735. 4. cum Praef. IO. GOTTL. HEINECCII prodiit.

§. 399.

Progredior ad corpora iuris ciuilis *reconcinnata*. Licet vero, prout constat ex historia iurisprudentiae iam alii cogitauerint de reconcinnando corpore iuris ciuilis, non nisi vnicus EVSEBIVS BEGERVS tamen illud actu praestitit. Is enim edidit Francof. et Lipf. 1767. 4. *Corpus iuris ciuilis reconcinnatum, in III. Partes distributum cum praef. L. B. de Senckenberg.* Tomi III. Vlmae 1766 - 1768. 4.

Eusebii BEGERI *Conspectus corporis iuris romani ad ordinem institutionum systematice dispositi et accessionibus locorum parallelorum ex reliquis iuribus imperii communibus aucti.* Francof. et Lipf. 1764. 8.

TIT. II.

DE SCRIPTIS SINGVLAS PARTES CORPORIS IVRIS CIVILIS CONCERNENTIBVS.

§. 400.

Partes corporis iuris ciuilis sunt, vel *principales s. essentiales* eius partes, quales sunt Institut. Iustin; Pandectae; Codex repetitae praelectionis et Nouellae Iustiniani, vel *minus principales* quae differunt pro editio-

num corporis iuris ciuilis diuerſitate. Hinc et ſcripta quae ſingulas partes corporis iuris ciuilis concernunt, differunt pro hac diuerſitate et ſecundum eam de iis agendum.

§. 401.

Exſtat ingens numerus ſcriptorum legalium, quae ſpeciatim *Inſtitutiones Iuſtinianeas* concernunt. Eorum notitiam Duumuiri, IO. PETRVS DE LVDEWIG in *Vita Iuſtiniani* Cap. III. et GEORG. CHRIST. GEBAVERVS in *Prolegomenis hiſtoriam Inſtitutionum adumbrantibus, Ordini ſuo Inſtitutionum* praemiſſis, dederunt. Meum erit horum ſcriptorum turbam in ordinem redigere, et cuiuslibet claſſis ſelectiſſima ſcripta annotare. Sunt vero ſcripta legalia quae Inſtitutiones Iuſtinianeas concernunt

I. *Ipſius inſtitutionum Iuſtinianearum textus variae editiones, quae vel ſolum textum continent, vel breues notas ei ſubiunctas*, quorſum pertinent:

Inſtitutionum ſeu *Elementorum D. Iuſtiniani ſacratiſſimi Principis Libri IV.* Norimb. 1529. 8.

D. Iuſtiniani Inſtitutiones ex recenſione Iac. Cuiacii. Editionem curauit et animaduerſiones nonnullas adiecit IO. BERNH. KOEHLER. Goett. 1772. 8. mai.

Fl. Iuſtiniani Imp. Inſtitutionum libri quatuor ſeu legitimae ſcientiae prima elementa. IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS recenſuit ex Codice MSCto optimae notae, emendauit, adnotationibus illuſtrauit atque THEOPHILI paraphraſin ſubiunxit cum duplici indice. Halae 1718. edit. ſec. 1728. 4.

Euerh. OTTONIS *Commentarius et notae criticae ad Iuſtiniani Inſtitutionum libros IV. a Cuiacio emendatos.* Vltr. 1729. Francof. Lipſ. 1743. 4.

Iani a COSTA *Commentarius ad Inſtit.* Par. 1659, *quem cum* THEODORI MARCILII *et* M. ANT. MVRETI *in Inſtit.*

Instit. notis edidit IOAN. van de WATER 1719. 4. L. Bat. et ibid. a. 1744. IO. CONR. RVCKER in 4 mai.

Car. Frid. WALCHII *Introductio in lectionem Institutionum,* quae praemissa EIVS editioni Comm. Hoppiani ad Institutiones.

Io. Christoph. KOCHII Pr. *de codice manuscripto Institutionum Iustiniani ad mare Balticum reperto.* Gies. 1772.

II. *Graeci textus* seu *Paraphraseos Theophili editiones,* inter quas sequens instar omnium est:

Θεοφίλου Αντικηνσωρος τα Ευρισκομενα. THEOPHILI *Antecessoris Paraphrasis Graeca Institionum Caesarearum: cum notis integris* P. NANNII, I. CVRTII, D. GOTHOFREDI, H. ERNSTII *et* C. A. FABROTI *ac selectis quam plurimorum Eruditorum obseruationibus cum editis, tum ineditis. Lectionum varietates ex primariis editionibus et Pithoeano MS. inseruit, nouam versionem* κατα ποδας *concinnauit, suasque animaduersiones et* επικρισεις *addidit* GVL. OTTO REITZ *ICtus. Qui et fragmenta Theophilina nunc primum collecta, et titulos Graecos de V. S. et de R. I. denuo recognitos, nec non XX. Excursus varii argumenti, cum Glossario Theophilino, subiunxit.* Tomi II. Hagae Comitis 1751. 4.

III. *Versiones aliae Institutionum,*

1. *germanicae.*

Prima earum est *Ortolph.* FVCHSPERGERI sub titulo: *Iustinianischer Instituten wahrhafte Dolmetschung.* Fanc. 1535. fol. et nouissima quae prodiit sub titulo: *Die vier Bücher der Institutionen des Kaisers Iustinianus nach den angehengten Grundtext verbessert von zweien Freunden der Rechtsgelahrtheit.* Lemgo 1765. 8. Notanda etiam sequens Commentario instructa: *Der teutsche Iustinianus oder Kaiser Iustiniani Institutionum vier Bücher aus*

dem lateinischen Grundtexte ins Deutsche übersetzet, vnd durch einen Commentarium erläutert. Augustae Vind. 1716. 4. *Neue Zusätze zum deutschen Iustiniano.* ibid. 1735.

2. *belgicae, gallicae, hispanicae, italicae*

De his versionibus videatur LIPENIVS l. c. p. 722.

IV. *Commentarii in quatuor Instit. libros*, qui sunt

1. *critici magis quam practici*

Franc. BROEI *Expositiones in Institut. Libros IV.* Paris. 1622. 4.

Ant. Dadini ALTESERRA *breuis et enucleata expositio in Instit. Libros IV.* Tolosae 1665 4.

Edm. MERILLII *Comm. in L. IV. Inst. Imper.* cum praef. C. H. TROTZ. Trai. ad Rhenum 1739.

Arnoldi VINNII *Comm. ad Instit. academicus et forensis.* Amstel. 1655. 4. et saepius deinde. Optima et recentissima editio est quae prodiit Lugd. Bat. 1726 cui praefationem notulasque adiecit HEINECCIVS 4to. mai.

Ant. MATTHAEI A. F. et N. *Commentarius ad Institutiones in quo illustratur etiam ius hodiernum quo vtimur.* Trai. ad Rhenum. 1672. 4. Ad. L. II. T. I. vero tantum perductus hic commentarius, nec confundendum hoc scriptum cum huius MATHAEI Patris et Aui laboribus ad Institutiones.

2. *practici magis quam critici*

Casp. MANTZII *Comment. ratio-regularis in IV. Instit. libros.* Nor. 1671. fol.

Ioan. SCHNEIDEWINI *Comm. ad Instit.* Argent. 1595 et saepe alias. Idem hic Commentarius Venetiis 1680 et 1735 prodiit sub titulo: *Ioan.* OINOTOMI *Commentarius iu IV Libros Institutionum.*

Io. HARPRECHTI *Comm. ad Instituta.* Tub. ab a. 1609. 1613 in 8vo. singularibus voluminibus absolutus,

quae deinceps iunctim edita praesertim Francof. ad Moenum 1708 sub titulo: *Commentarius in quatuor libros Instit. iuris ciuilis.* II. Vol. fol.

Ioach. HOPPII *Commentatio succincta ad Instit. Iustinianeas, praecognitis iurisprudentiae aucta.* Gedani 1683. 4. Post varias subsecutas editiones, prodiit iterum Francof. ad Moenum 1772 cura CAR. FRID. WALCHII qui notas adiecit, et cum EIVS Introductione in lectionem Institutionum.

V. *Scripta quae faciunt ad notitiam Instit. Iustin.*

Nic. Christ. LYNCKERI *Sciagraphia Instit. Imperialium.* Ienae 1686. fol.

Andr. HOMBVRG Pr. *de multitudine nimia commentatorum in Institutiones iuris.* Helmst. 1701. 4.

Christ. WOLDENBERGII *subsidium iuris s. index scriptorum, interpretum et commentariorum antiquorum et recentiorum maxime celebratorum super quatuor I. libros in et extra germaniam exstantium ad haec vsque tempora productus.* Rost. 1659. 4.

§. 402.

Progredior ad *Pandectas* et quae huc pertinent scripta legalia. Sunt ea iterum varii generis, indeque accurate a se inuicem distinguenda, secundum has quae nunc sequuntur classes:

I. *Codex pandectarum MSCtus Florentinus*, olim *litterae Pisanae*, *Pandectae Pisanae*, *Codex Pisanus* et *Archetypum* dictus. Celebre hoc MSCtum quod a Pisanis Sec. XII. Amalphi repertum et Pisas, Sec. XV. vero Florentiam, translatum, ibique in publico palatio in pretiosa cista sancte asseruatur, constat duobus voluminibus prope quadratis in membrana conscriptis. *Quo tempore hic Codex scriptus sit?* nec non

vtrum

vtrum ex hoc Manuſcripto Florentino omnia, quae ſuperſunt Pandectarum exempla manauerint? valde, diſceptatur inter eruditos. Licet vero defendi nequeat hunc Codicem ipſius *Iuſtiniani* vel *Triboniani* exemplar fuiſſe, valde probabile tamen eſt eum proxime poſt exceſſum *Iuſtiniani* Sec. VI. conſcriptum eſſe. Nec poteſt, me iudice, probari omnia Pandectarum quae ſuperſunt exempla ex hoc MSCto manaſſe, plurimorum parentem tamen eſſe concedendum eſt.

Henr. BRENCMANNI *Hiſtoria Pandectarum ſeu Fatum Exemplaris Florentini, accedit gemina diſſertatio de Amalphi.* Trai. ad Rhen. 1722.

Guid. GRANDI epiſtola *de Pandectis ad Ioh. Aueranium.* Piſis 1726. rec. 1727.

Bern. TANVCCII Epiſtola, *in qua nonnulla refutantur ex epiſtola Guid. Grandi.* Luccae 1728.

Guid. GRANDI *Vindiciae pro ſua epiſtola de Pandectis aduerſus inanes querelas et oppugnationes Bernh. Tanuccii.* Piſis 1728.

Bern. TANVCCII *Difeſa ſeconda dell' vſo antico delle Pandette, de ritrouamento del famoſo manoſcritto di eſſe in Amalphi.* Firenza 1729.

Bartholom. LVCCABARTI *nuoua diſſamina della ſtoria delle Pandette Piſane e di chi prima le ramentaſſe.* Faenza 1730.

Chriſt. Gottl. SCHWARZII Diſſ. *an omnia Pandectarum exemplaria, quae adhuc exſtant, e Florentinis manauerint?* Altorf. 1732.

Henr. BRENCMANNI Epiſtola ad V. C. Franc. Heſſelium, *qua examinantur praecipua capita epiſtolae V. CL. Guid. Grandi de Pandectis, nec non diſſertationis ſimilis argumenti, auctore V. CL. Chriſt. Gottl. Schwartzio.* Traiecti ad Rhen. 1734.

Chriſt. Gottl. STIEVII Diſſert. epiſt. *de Controuerſia inter Guid. Grandum et Bern. Tanuccium circa inuentionem Codicis Pandectar. Piſani, nunc Florentini.* Lipſ 1740. 4.

Leop.

Leop. GVADAGNI *de Florentino Codice, omnium quae exstant Pandectarum exemplorum parente, disquisitio.* Denuo edidit variasque obseruationes subiecit CAROLVS FRID. WALCHIVS. Ienae 1755. 8.

Nachlese von der Frage: *Ob alle itzo vorhandene Exemplare der Pandecten aus den Florentinischen abgeschrieben worden.* In den *Braunschweigischen Anzeigen* 1754. num. 24. p. 818 seqq.

Anmerckung: *daß die vulgati Codices Pandectarum aus dem Archetypo codice Florentino nicht ausgegangen.* In *Christ. Vlr.* GRVPEN *Obseruat. rerum et antiquitatum Germanicarum.* Observ. XVI. p. 284 seqq.

Carl. Gottl. KNORRENS *Beweis das im Iahr 1137 bei Eroberung der Stadt Amalphi die Handschrift der Pandecten denen Pisanern von dem Kaiser Lothario II. nicht geschencket worden.* In EIVS *rechtlichen Anmerckungen* num. *III.* p. 16 seqq.

II *Textus Pandectarum variae editiones* de quibus ante omnia notandum editiones pandectarum duplici modo inter se differre.

1. Pro diuersitate ordinis secundum quem textus dispositi sunt, in Pandectas *vulgares* et *reconcinnatas* diuidi possunt, suntque Pandectae reconcinnatae

R. I. P. ICti Aurelianensis, *Pandectae Iustinianeae in nouum ordinem digestae, cum legibus Codicis et Novellis quae Ius Pandectarum confirmant aut abrogant. Praefixus est index titulorum et diuisionum omnium, quo totius operis specimen quoddam et quasi materiarum appendix exhibetur. Subiecta quoque tabula, qua nominatim leges omnes cum paragraphis et versiculis ordini Digestorum restituuntur. Tomus primus continens Prolegomena et Praefationem et XXII. priores libros.* Parisiis et Carnuti 1748. fol. mai. *Tomus II. continens librum XXIII-XXVIII. cum adiectis fragmentis LL. XII.*

Tabb.

Tabb. et Edicti Perpetui. Parisiis et Carnuti 1749. *Tomus III. continens librum XXXIX-L. cum speciali tractatu tituli de V. S. in modum indicis verborum et rerum alphabetici et tituli de R. I. in breve sententiarum omnium compendium.* Ibid. 1752.

2. Pro diuersitate lectionis quam seruat editio, vulgo quidem tres editiones numerantur *Vulgata*, *Haloandrina s. Norica*, et *Florentina*. Ast sic dicta vulgata editio, non est vna eademque editio, sed multiplex, et dantur variantes Vulgatae lectiones. Vnde potius dicendum sub *Vulgatae* nomine venire omnes Pandectarum editiones, quae seruant lectionem in quam plures antiquae lectiones conspirant. Sic itaque vulgatae opponi debent omnes editiones, quae dictam lectionem non seruant, inter quas praesertim notari merentur duae sequentes Pandectarum editiones:

Digestorum s. Pandectarum Libri L. editi Norimbergae per GREGORIVM HALOANDRVM. 1529. 4. ad cuius exemplar Pandectae postea alibi editae sunt, veluti Parisiis apud Carolum Guillandum 1540 vndecim voluminibus in 8.

Pandectae Florentinae per *Taurellios.* Florentiae ex officina Laurentii Torretini 1553. fol. Tribus vel duobus voluminibus vero constare hanc editionem falsissimum est, dum non nisi vno volumine comprehensum totum archetypum Florentinum in hac editione, per LAELIVM TAVRELLVM, adiutore filio FRANCISCO TAVRELLO, cui pater editionem permisit, iussu COSMI III. magni Etruriae ducis, facta.

III. *Versiones Pandectarum graecae*, quae, licet exstitisse graecas Pandectarum versiones THALELAEI et STEPHANI certum sit, non amplius exstant.

IV. *Com-*

IV. *Commentarii ad Pandectas*, vbi maxima cautione opus est ne fallat titulus, quum varia dentur scripta, quae, licet ad seriem librorum pandectarum composita, non huc, sed potius ad doctrinalia scripta, pertinent. Sunt vero commentarii ad Pandectas

1. *incompleti certos tantum libros absoluentes.*

Eginarius BARO *ad τὰ πρῶτα Digestorum.* Paris 1548. fol.

Antonii FABRI *Rationalia Pandectarum*, quae ab a. 1604-1616. fol. separatim prodierunt in quinque voluminibus, ast a. 1663 in eadem forma coniunctim. Pertingit hic commentarius vsque ad Lib. XIX. ff.

Gerardi NOODT *Commentarius ad libros XXVII. Pandectarum.* Opp. eius Tom. II.

Ant. SCHVLTINGII *Enarratio Partis primae seu Librorum IV Pandectarum.* Lugd. Bat. 1720. 8.

Ioan. Georg. WAGNERI *Resolutiones pandectarum methodo demonstratiua adornatae.* Lignitii 1743. 4.

2. *totum pandectarum textum absoluentes*, vt BARTOLI, BALDI aliorumque mediorum ICtorum commentarios taceam,

Io. BRVNNEMANNI *Comm. ad Pandectas.* Francof. ad Oderam 1670. fol. et postea saepius.

V. *Scripta, vel generatim pandectas concernentia, vel ad singulos titulos Pandectarum directa, quae magis exegetica quam doctrinalia* sunt,

1. *Collectiones scriptorum huius classis*,

Variorum Repetitionum seu Commentariorum iuris civilis Volumina VIII. Lugd. 1554. fol. quae collectio plures ducentis scriptoribus continet, qui ad singulares pandectarum leges fuerunt commentati

2. *Sin-*

2. *Singularia ſcripta huius claſſis.* Licet multa, ſatis momentoſa, ſcripta, ſub nomine *commentatorum ad certos pandectarum titulos*, praeſertim ad Tit. Pand. de R. I. et de V. S. recenſeantur in bibliothecis iuridicis STRVVII *Cap. VII. §. IX-CX.* et HOFFMANNI *P. I. Sect. I. Cap. III. §. 32. ſeqq.* pauca eorum tamen huc referri poſſunt, quum potius doctrinalia ſcripta ſint, quae infra ſuis locis alleganda. Praeter legalia, quae dictis locis obueniunt, vero, hic notari merentur

Sigism. Reich. IAVCHII *Meditationes criticae de negationibus Pandectis Florentinis partim recte, vel male iam adiectis, aut detractis, vel circumſcriptis, tam in MSCto quam variis editionibus, partim etiamnum adiiciendis, aut tollendis, aut transferendis ex ſententia Alciati, Auguſtini, Zoanuetti, Cuiacii, Hotmanni, nouiſſimaque auctoris cenſura et recenti opera.* Amſtel. 1728. 8.

Io. Gottfr. SAMMET *receptarum lectionum ad Iauchium Liber ſingularis.* Lipſ. 1750. 4.

Io. IENSII *Stricturae ad Iuſtiniani Codicem ac Pandectas multo quam ante locupletiores. Praefixa eſt ampliata demonſtratio, Pandectas nunc exſtantes ex verſione graeca eſſe traiectas: item vlterior τῶν βασιλικῶν Notitia ac plurima emendatio.* Rotterodami 1749. 4. Conf. die Vnparth. Critic. Vol. I. P. III. p. 163 ſeqq.

VI. *Scripta quae faciunt ad notitiam Pandectarum,*

Nic. Chriſt. LYNCKERI *vniuerſi iuris Pandectarum methodus dichotomica.* Ienae 1678. fol.

§. 403.

Sequitur inter libros corporis iuris ciuilis *Iuſtiniani Codex repetitae praelectionis*, vbi obueniunt:

I. *Tex-*

I. *Textus huius codicis editiones.*

Codicis Iustinianei ex repetita praelectione Libri XII. ex fide antiquorum exemplarium quoad fieri potest a GREGO. HALOANDRO *diligentissime purgati recognitique.* Nor. 1530 fol.

II. *Versiones codicis graecae*, quarum tamen nulla exstat, licet certo constet versionem graecam exstitisse.

III. *Commentarii in*

1. *codicem ipsum*, quorum alii

A. *ad singulares quosdam codicis libros tantum directi*, veluti

Georg. Ad. STRVVII *Ius sacrum Iustinianeum, seu progymnasmata ad titulos priores libri primi Codicis.* Ien. 1668. 4.

Simon Petr. GASSER *Praelectiones ad Codicem Iustinianeum eosque titulos qui in Digestis non continentur. Accedunt Iac. Gothofr. Prolegomena ad Codicem Theodosianum.* Halae 1727. 4.

B. *totum codicem vel saltem plurimos eius libros illustrant*,

Io. SICHARDI *Comment. in Codicem Iustin. ex edit. Franc. Modii.* Francof. 1586. fol.

Hub. GIPHANII *Enarrationes et Commentarii in VIII libr. Cod. Iustin. leges celebriores.* Colon. 1614. 4.

Ant. PERETZ *Praelectiones in Codicis Iustiniani Libros IX.* Louanii 1642. f. Postea a. 1651. Auctor etiam ad tres posteriores Codicis libros commentatus est, vnde dein enatae sunt variae editiones harum praelectionum quae ad omnes Codicis libros directae, veluti Antwerpiae 1720 f. et Venetiis 1738. f.

CYPRIANI REGNERI ab OOSTERGA *Commentaria et Animaduersiones in omnes et singulas leges quae duode-*

cim libris Codicis continentur. Traiecti ad Rhenum. 1666. 4. et ſub nouo titulo: *Cenſura Belgica* ibid. 1669. 4.

Io. BRVNNEMANNI *Commentarius in Codicem.* Lipſ. 1663. 4. poſtea in folio ſaepius recuſus, praeſertim cura SAM. STRYKII 1699 et 1708.

2. *Iuſtiniani L. deciſiones*,

Emundi MERILLII *Commentarius in L. deciſiones Iuſtiniani.* Pariſ. 1618. 4. Antwerp. 1622. fol.

Petr. Franc. LINGLOIS *ad quinquaginta Deciſiones Iuſtiniani.* Antwerp. 1661.

Io. STRAVCHII *Exercitationes ad L. Deciſiones* IVSTINIANI. Ien. 1659. Gieſſ. 1676. 4.

3. *Authenticas*,

A. *in genere*, veluti

Chr. Phil. RICHTERI *Expoſitio omnium authenticarum Codici Imperatoris Iuſtiniani inſertarum.* Ien. 1661. 4. Viteb. 1675. 4.

B. *hanc vel illam authenticam in ſpecie*,

Andr. GERHARD *de ſtudioſorum priuilegiis ac auth. habita C. ne filius pro patre.* Ienae 1606. 4.

Franc. Petri RABVET *Analyſis Authenticae: omnes peregrini C. comm. de ſucceſſione.* Argent. 1735. 4.

IV. *Scripta Codicis commodiorem vſum concernentia*,

Theodori Ianſonii ab ALMELOVEEN *Faſtorum Romanorum conſularium Libri duo* 1705. et cura *Io. Lud.* VHLII Amſt. 1740. 8.

Petri RELANDI *Faſti conſulares.* Trai. ad Rhenum. 1715. 8.

Aug. BARBOSAE *Collectanea ex Doctoribus tum priſcis, tum neotericis in Codicem Iuſtiniani.* Lugd. 1637. fol. et poſtea ſaepius.

Nic. Chriſt LYNCKERI *ſeries Iuſtinianei Codicis.* Ien. 1725. fol.

Io.

Io. BRVNNEMANNI *memoriale legum Codicis per quaestiones adornatum* Francof. 1665. 12. saepius ibi recusum.

§. 404.

Quoad *Nouellas* IVSTINIANI sequentia notanda sunt scripta legalia:

I. *Variae nouellarum editiones et versiones*, quales sunt

1. IVLIANI *Epitome Nouellarum*, quam NICOLAVS BOERIVS primus in publicam lucem protraxit. Lugd. 1512. et Venetiis 1538. 8. et ab eo tempore saepius recusa est, indeque notandae LVDOVICI MIRAEI et ANTONII AVGVSTINI editiones, praecipue vero notanda Parisiens. editio de a. 1689. fol. curante FRANC. DESMARES.

2. *Authentica Nouellarum versio*, quae in antiquioribus corporis iuris editionibus sincere frequentissime edita, in nouioribus tamen mirum in modum interpolata.

3. *Haloandrina Nouellarum editio*, quae prodiit Norimbergae 1531. fol. in eaque HALOANDER graecum Nouellarum CLXV textum edidit, elegantemque versionem adiecit. Recusae sunt hae Nouellae saepius graece et latine. Conf. FABRICII *biblioth. graeca Vol. XII. p. 400.*

4. *Variorum aliorum editiones Haloandrinam emendantes et supplentes*, inter quas optima est quam edidit IO. FRID. HOMBERGK ZV VACH Marp. Catt. 1717. 4. sub titulo: *Nouellae Constitutiones Dn.* IVSTINIANI *ex graeco in latinum conuersae et notis illustratae. Accedit.* F. PITHOEI *glossarium obscurorum verborum* IVLIANI *Antecessoris CP. Item* ANT. AVGVSTINI *Episcopi Herdensis quorumdam verborum*

Iuliani interpretatio; EIVSDEM *paratitla seu scholia: nec non* CVIACII et AGYLAEI *obseruationes de dierum annotatione.*

II. *Commentarii in Nouellas Iustiniani, aliaque scripta quae faciunt ad earum illustrationem,*

Matth. STEPHANI *Expositio siue Commentarius Nouellarum.* Gryph. 1653. 4. et ex Auctoris MSCto auctus cum notis IO. BRVNNEMANNI. Viteb. 1733. 4.

Caroli SCHARSCHMIDII *Ius Iustinianeum nouum continens Exercitationes XXIV. ad Nov. Iustiniani Imperatoris.* Francof. et Lips. 1676. 4.

Petrus GVDELINVS *de iure nouissimo.* Arnh. 1661. 4.

Conr. RITTERSHVSII *Nouellarum Iustiniani expositio methodica.* Arg. 1615. 1669. 4.

III. *Scripta quae faciunt ad notitiam Nouellarum*

Iac. Frid. LVDOVICI *Compendium Nouellarum Iustiniani.* Halae 1702. 8.

Nic. Christ. LYNCKER *Nouellarum Iustinianearum methodica exegesis.* Viennae 1726. fol.

Andr. HOMBORG Progr. *de praecipuis in Novellas et titulum de R. I. et V. S. commentatoribus.* Helmst. 1702.

§. 405.

Ad scripta quae partes corporis iuris minus principales concernunt, quae nunc, absolutis scriptis partes eius principales concernentibus, sequuntur (§. 400), referri quidem possunt scripta legalia de *Nouellis* LEONIS et *consuetudinibus feudorum*: ast de his scriptis infra suis locis agendum. Vnde hic tantum de XIII. *Edictis Iustiniani*, quae corporibus iuris ciuilis adiici solent, monendum, *graece* eas, vna cum Nouellis IVSTINIANI,

IVSTI-

IVSTINI et LEONIS ediſſe HENRICVM SCHRIMGERVM, Pariſiis 1558. fol. *latine* vero, vna cum *Leonis* nouellis, HENRICVM AGYLAEVM Pariſ. 1561. 8.

TIT. III.

DE SCRIPTIS QVAE FACIVNT AD SINGVLORVM TEXTVVM CORPORIS IVRIS CIVILIS ILLVSTRATIONEM.

§. 406.

Sequitur ea ſcriptorum legalium iuris Romani claſſis, quae faciunt ad ſingulorum textuum corporis iuris ciuilis illuſtrationem, ſicque commentarii quidem ſunt, aſt tales, qui ſingulos textus ex variis corporis iuris ciuilis partibus explicant. Vnde *ſcripta exegetica iuris ciuilis* appellari poſſunt.

§. 407.

Quum dentur ſcripta quae, licet ipſa exegetica ſcripta non ſint, remittunt tamen ad exegetica ſcripta, vel loca ſcriptorum doctrinalium, quae huius vel illius textus explicationem continent, eorum notitia praemittenda. Sunt vero huius generis ſcripta:

M. ANT. DELRIO *Miſcellanea ſcriptorum vniuerſi iuris ciuilis.* Editio optima eſt quae cura PETRI BROSSAEI prodiit Lugd. 1606. 4.

SEBASTIANI NAEVII *Syſtema Selectorum Ius Iuſtinianeum et feudale concernentium, quo vltra* Remiſſiones *Raphael.* SEILERI: Reportata *Bernhardini* ALPHANI: Notas *Marc. Ant.* DELRIO, *Petr.* BROSSAEI, *Io.* HENNEQVINI, *Franc.* MODII, et STREITMANNI: Aduerſaria COSTALII: Memorabilia *Cateliani* COTTAE: Repertorium BERTACHINI, *Nicol.* de MILIS, DOBERCINI, et *Marc.* MANTVAE: Locos commu-

nes *Brunori* a SOLE, nouis *Iac.* SCVLTETI additionibus auctos: *Non minus ex veterum quam Neotericorum Interpretum ac DD. repetitionibus, commentariis, tractatibus, atque tum aliorum excellentium ICtorum, tum imprimis noblissimor. et amplissimorum Camerae Imperialis Assessorum obseruationibus Consiliis et Decisionibus; Sententiae, Conclusiones Theoremata et Quaestiones ordine ad vtriusque illius iuris titulus, leges, capitula et paragraphos, veluti sedes suas ordinarias relate continentur.* Francof. ad Moen. 1608. fol.

Carl. Ferd. HOMMEL *Corpus iuris ciuilis cum notis variorum.* Lipf. 1768. 8.

§. 408.

Sequuntur scripta exegetica iuris ciuilis ipsa, quorum auctores potissimum ICti humaniores inter recentiores Ciuilistas sunt, indeque pertinent ad elegantiorem iurisprudentiam romanam. Non paruus datur vtilissimorum huius generis scriptorum numerus, quorum potiora, praeter ea quae in OTTONIS et MEERMANNI thesauris obueniunt, sunt

Ios. AVERANII *Interpretationum iuris libri duo.* Lugd. Bat. 1716. 8. ibid. 1736. 8. Nouissima editio continet *Libros quinque* cum vita Auctoris in duos tomos distributa. Lugd. 1758. 4.

Georg. d'ARNAVD *variarum coniecturarum Libri II.* Franeq. 1738 et Louardiae 1744. 4.

Corn. van BYNCKERSHOECK *Obseruationum iuris Romani libri IV.* Lugd. Bat. 1710. 4. et ibid. 1720. Cum praefatione HEINECCII. Halae 1723. 4.

EIVSD. *Obseruationum iuris romani libri quatuor, quatuor prioribus additi, nempe V. VI. VII. VIII.* Hal. 1739. 4.

Balt.

Balt. BRANCHV *Obseruationes ad ius Romanum.* Lugd. Bat. 1721. 8.

EIVSD. *Obseruationum ad ius Romanum Decas altera.* Lugd. Bat. 1723. 8.

Petr. BONDAM *Animadversiones criticae.* Franequer. 1746. 4.

Pauli BVSII *subtilitates iuris.* Franeq. 1612. 8.

Herm. CANNEGIETER *Obseruationes iuris romani* Lib. I. Franeq. 1768. 4.

Iani a COSTA *Praelectiones ad illustriores quosdam titulos locaque selecta iuris ciuilis. Edidit notisque illustrauit B.* VOORDA Lugd. Bat. 1773. 4.

Io. Lud. CONRADI *reprehensorum in obseruationibus super iure ciuili diuersorum liber singularis.* Lipſ. 1756. 8vo.

Iac. CVIACII *Obseruationum et emendationum libri XXVIII.* Optima editio eſt halenſis de a. 1737 ad quam auctorum citationes et locorum graecorum interpretationes, cum IO. GOTTL. HEINECCII de Cuiacii aduerſariis et obtrectatioribus praefatione, acceſſerunt.

Antonii FABRI *Coniecturarum iuris ciuilis libri XX.* Editio tertia prodiit Lugd. 1605. 4. et nouiſſima ibid. 1666. fol.

Petri FABRI *semestria.* Paris 1570. Lugd. 1590.

Petri Paul. IVSTI *Obseruationes iuris criticae.* Viennae 1765. 4.

Marc. LYKLAMA *Membranarum Libri VII.* Leow. 1644. 4.

EIVSD. *Benedictorum Libri IV.* Lugd. Bat. 1617. 12.

Io. Guil. MARCKARTI *Probabilia receptarum lectionum iuris ciuilis.* Trai. ad Rhenum 1737 et 1737 II. partes. 8.

Emundi MERILLII *Obſeruationum libri VIII, quae cum differentiarum iuris ex Iulii Pauli libro ſingulari et variantium lectionum ex* CVIACIO *libris III. etc. editae ſunt.* Neapoli 1720. 4.

Aegid. MENAGII *Amoenitates iuris.* Pariſiis 1664 et poſtea ſaepius. Nouiſſima editio eſt quae cum HOFFMANNI praefatione prodiit. Lipſiae 1738. 8.

Ger. NOODTII *Obſeruationum libri in quibus complura iuris ciuilis aliorumque veterum ſcriptorum loca aut illuſtrantur aut emendantur.* Lugd. Bat. 1706. 4. Succeſſere obſeruationum libri quatuor Lugd. Bat. 1733. et ex editione ſecunda ibidem 1735 4.

EIVSD. *Probabilium iuris libri quatuor.* Lugd. Bat. 1674. 4. Ibid. 1691. 4.

Herm. NOORDKERK *Obſeruationum decas in quibus varia iuris romani capita exponuntur aut emendantur.* Amſt. 1731. 8.

Hier. de OROZ *de apicibus iuris ciuilis Lib. V. quibus fere duo millia textuum eiusdem iuris explicantur.* Lugd. 1661. et 1733. fol.

Alex. Arn. PAGENSTECHER *liber Benedictorum.* Bremae 1709. 8.

Guil. PAVW *varia iuris ciuilis capita.* Vltrai. 1734. 4. rec. Halae 1737. 8.

I. L. E. PÜTTMANNI *Interpretationum et obſeruationum quibus difficiliora quaedam I. R. capita explicantur et ab emendationibus vindicantur Liber ſingularis.* Lipſ. 1763. 8.

EIVSDEM *Probabilium iuris ciuilis Liber ſingularis.* Lipſ. 1768. *Liber ſecundus.* ibid. 1773. 8.

Bern. Henr. REINOLDI *Variorum liber ſingularis.* Bremae 1709. 8.

Erneſt.

Ioach. Conr. RÜCKERI *Interpretationes quibus obſcuriora quaedam iuris capita illuſtrantur.* Lugd. Bat. 1749. Liber ſecundus. Ibid. 1752. 8.

Erneſt. Frid. SCHROETER *Reſolutiones legum difficiliorum Codicis.* Vinariae 1667. 4.

Ant. Dan. SONNEMANNI *Praelectiones publicae ad LL. notabiliores D. et C.* Francof. 1695. 4.

Georg. Ad. STRVVIVS *in Gothofredi Immo.* Francof. ad Moenum 1695. 4.

Iac. VOORDA *Interpretationes et emendationes iuris romani.* Vltrai. 1735. 8. Edit. 2. 1768.

EIVSDEM *Electorum liber ſingularis, quo difficiliora I. Rom. loca explicantur, emendantur, vindicantur.* Trai. ad Rhenum 1749. 8.

Hub. Geor. van VRYHOFF *Obſeruationes iuris ciuilis* Amſtel. 1747. 8.

Io. van de WATER *Obſeruationum iuris Romani libri III. in quibus multa iuris ciuilis capita emendantur et explicantur.* Trai. 1713.

Abrah. WIELINGII *Lectionum iuris ciuilis libri duo.* Amſtel. 1736. Traiect. 1740. 8.

TIT. IV.

DE SCRIPTIS QVAE FACIVNT AD NOTITIAM CORPORIS IVRIS CIVILIS ET EIVS COMMODIOREM VSVM.

§. 409.

Scripta quae faciunt ad corporis iuris ciuilis notitiam, partim corporis iuris ciuilis notitiam tantum concernunt, partim ſimul etiam ad corporis iuris canonici notitiam introducunt, quae hic cum prioribus coniungenda. Sunt vero huius generis ſcripta:

Io. Hier. HERMANNI *historia corporis iuris Iustinianei.* Ien. 1731. 8.

Adam. RICCII *de librorum iuris quantitate et qualitate.* Regiom. 1635. 8.

Alb. GENTILIS *de libris iuris ciuilis et canonici.* Hanouiae 1705. 8.

Anacephalaeosis totius corporis iuris ciuilis. Erl. et Lipſ. 1749. 12.

Eberh. SPECKHAN *Vniuersi iuris Romani Caesarei et Pontificii, secundum omnia cuiusque volumina, partes, libros et titulos breuis, succincta et synoptica compositio, continuatio et exegesis.* Helmſt. 1669. 4.

Io. SERPILII *Compendiosa delineatio totius iuris can. et ciuilis, in vtroque tam allegandi quam abbreuiationes legendi modum exhibens in gratiam tironum studii iuris consignata* a. 1651. Ien. 1690. Franc. et Lipſ. 1720.

Io. Frid. GEORGI *Tabellae iuris vniuersi, ciuilis scilicet et Canonici, sciagraphicae.* Ienae 1666 in fol. forma pat.

§. 410.

Ad commodiorem corporis iuris vſum faciunt praeter DOMATII *delectum legum D. et C.* Amſtel. 1703 4. indices iuris, qui variant inter ſe nonſolum pro diverſa inſtituti ratione, ſed et in eo quod alii ſeparatim ius ciuile, alii ſeparatim ius canonicum, alii vtrumque ius ſimul reſpiciant. De iis qui ſeparatim ius canonicum reſpiciunt infra agendum, de reliquis hic, poſſuntque huc referri:

A. G. C. S. I. S. *Faſciculi rubricarum vtriusque iuris, ſiue indicum titulorum iuris can. et civ. in ordinem alphabeticum reductorum.* Vindeb. 1735.

Io.

Io. Lud. WALTHERI *Lexicon iuridicum indices vtriusque iuris corporis tam civ. quam can. exhibens locupletissimos.* Goett. 1744.

Io. Hier. HERMANNI *Concordantia iuris.* Ienae 1745. 4.

Stephani DAOYS *Index ad corpus iuris ciuilis, auctus per Thomam de Iuges.* Venetiis 1610. Lugd. 1612. ac Geneuae 1635. fol. Iteratam editionem emendatam et locupletatam ante aliquot annos publico programmate indixit *Val. Franc.* ab EMMERICH ſub titulo: *Corpus ciuilis alphabeticum, abſolutiſſimam ſummam omnium, quae tam in textu, quam in gloſſa reperiuntur ordine alphabetico continens.*

Collectio ſcriptorum ab *Abrab.* WIELINGIO facta ſub titulo: *Iurisprudentia reſtituta ſiue index chronologicus in totum iuris Iuſtinianei corpus ad modum* IAC. LABITTI, ANT. AVGVSTINI *et* WOLFG. FREYMONII *noua tamen et faciliori methodo collectus. Acceſſerunt Opuſcula IV.* IAC. LABITTI, HENR. HAHNII, HENR. BRENCMANNI *et* BERNH. HENR. REINOLDI. Amſtel. 1727. 8.

Georg. Henr. AYRERI Praef. *de neceſſitate et vtilitate indicum iuris variisque eorundem generibus ac pretio diuerſo* ad IO. LVD. WALTHERI *Lexicon iuridicum* et in *Opuſc. Tom. II. num. XII.*

TIT. V.

DE SCRIPTIS QVAE IVRIS ROMANI CENSVRAM, COLLATIONEM CVM ALIIS IVRIBVS ET VALOREM CONCERNVNT.

§. 411.

Superſunt, praeter hactenus recenſita ſcripta legalia iuris romani alia, quae ad bibliothecam legalem potius

potius, quam doctrinalem, referri posse censeo. Huc pertinent primo ea scripta quae *censuram iuris romani concernunt*, siue sint censurae ipsae, siue censurarum censurae, veluti:

VV. CC. *Io. Iac.* WISSENBACHII *emblemata Triboniani et Ioan.* WYBO *Tribonianus ab emblematibus Wissenbachii liberatus.* Praefationem praemisit IO. GOTTL. HEINECCIVS. Halae 1736. 8.

Vlrici HVBERI *Eunomia romana siue censura censurae iuris Iustinianei, continens examen praecipuorum iuris locorum secundum Pandectas et Institutiones quae vt falsa, iniqua, inhonesta, corrupta, subornata varie traducta secundum veras Iurisprudentiae, philosophiae ciuilis, historiae et sacrarum literarum rationes, vindicantur, sumantur, aut explicata illustrantur et cum vsu temporum conferuntur.* Posthumum opus quod recensuit ZACHARIAS HVBER. Amstel. 1724. 4.

Iac. MAESTERTII *de iustitia romanarum legum libri duo.* Lugd. Bat. 1547. 4.

Cypr. REGNERVS ab OOSTERGA *de iniustitia quarundam legum romanarum, contra Iac. Maestertium.* Lugd. Bat. 1647.

Alex. Arn. PAGENSTECHERI *Irnerius iniuria vapulans siue Commentarius ad authenticas Codici Iustinianeo repetitae praelectionis per Dn. Irnerium vt nonnulli male putant, parum curate quin et erronee assertas, aut ab eodem perperam omissas.* Grön. 1702. 4.

§. 412.

Sequuntur scripta *collationem iuris romani cum aliis iuribus concernentia*, quae in eo differunt, quod concernant collationem cum iure

I. *cano-*

I. *canonico*,

Conradi RITTERSHVSII *differentiae iuris ciuilis et canonici.* Argent. 1618. et quae cum eo exſtant differentiae GEORGII LAVTERBECKS, IO. EMMERICI a ROSBACH. Francof. 1625. 8. Argent. 1638. 4.

Io. Frid. BOLCKELMANNI *differentiae iuris ciuilis et canonici hodierni.* Scriptum hoc cum adnotationibus edidit CORN. van. ECK Traiecti ad Rh. 1694. 8. et iterum cum notis EVERH. OTTONIS recuſum eſt ibidem 1737. 8. mai. qui IOACH. HASSAEI differentias iuris ciuilis et canonici adiecit.

II. *germanico*, et quidem quoad

1. *leges imperii*,

Michaelis GRASSI *Collationum iuris ciuilis romani cum Receſſ. Imperii Rom. Germanici vt et in ſpecie cum ordinatione criminali Imp. Caroli V. ſectiones viginti.* Tubingae 1723. 4.

2. *leges prouinciales et ſtatuta.*

A. *in genere*,

Henrici GIESEBERTI *Iuſtinianus Harmonicus legum romanarum et ſtatutorum plerorumque Germaniae populorum, imo et Iſraelitarum gentium aliarum.* Lubecae 1670. 4.

B. *in ſpecie quoad ſingulas leges prouinciales et ſtatuta*, cuius generis ſcripta tanquam nimis ſpecialia hic non recenſenda.

III. *aliis iuribus*, quorum ſcriptorum recenſionem praeſens inſtitutum itidem non permittit.

§. 413.

Tandem et huc referri poſſunt ſcripta, quae ſingularum iuris romani legum *vſum hodiernum* ſeu *forenſem* reſpiciunt; quum ſcripta, quae theoriam de auctoritate iuris romani in Germania et alibi continent, non huc,

huc, ſed ad bibliothecam doctrinalem potius, referri debeant. Quae cum ita ſint huius claſſis ſcripta ſunt:

Simonis a GROENEWEGEN *Tractatus de legibus abrogatis et inuſitatis in Hollandia viciniſque regionibus.* Amſtel. 1699. 4.

Simonis van LEEVWEN *Cenſura forenſis theoretico-practica, id eſt, totius iuris ciuilis romani, vſuque recepti et practici methodica collatio. Qua non tantum ipſa iuris romani fundamenta ad rationis et veritatis cenſuram methodice reducuntur, ſed et ad vſum practicum transferuntur.* Vbi variae editiones a ſe inuicem diſtinguendae, veluti *prima* Lugd. Bat. de a. 1662. 4. *ſecunda* et *tertia* de a. 1678 et 1685 Amſtel. fol. et *quarta* a GERARDO de HAAS procurata Lugd. Bat. 1741. fol.

Epiſtola bono publico edita qua exponitur iudicium de libro hoc anno prolato cui titulus: cenſura forenſis theoretico-practica. Lugd. Bat. 1662. 12.

Io. SCHILTERI *Praxis iuris romani in foro Germanico iuxta ordinem edicti perpetui et pandectarum Iuſtiniani.* Prodiit primo ſub titulo: *Exercitationes ad quinquaginta libros Digeſtorum* Ienae 1675. 1680. 4. Sub hoc titulo vero ibid. 1698. fol. et poſtea ſaepius veluti Lipſ. 1713. Francof. 1733. f.

Sam. STRYKII *Vſus modernus pandectarum.* Primo prodiit eius ſpecimen Francof. 1690. Continuationes ſucceſſiue prodierunt partim STRYKIO viuente, partim poſt eius mortem. Nunc opus integrum coniunctim exſtat ab a. 1716. Halae ſaepius recuſum 4.

(B)

(B)

DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS GRAECO-ROMANI.

§. 414.

Abſoluta notitia ſcriptorum iuris latino-romani, progredior ad notitiam ſcriptorum iuris graeco-romani (§. 379). Licet vero inter ſcripta iuris graeco-romani obueniant ſcripta, quae ad *doctrinalia* potius, quam legalia, referenda eſſe videntur, hic tamen omnem ſcriptorum iuris graeco-romani notitiam ſub ſcriptorum *legalium* nomine abſoluere placet, cum legalia et doctrinalia ſcripta huius generis a ſe inuicem diſtingui, et haec infra demum recenſeri, ordinem turbare, nec tamen proficuum eſſe, facile pateat. Poſſunt vero ſcripta iuris graeco-romani reduci ad *ſingula ſcripta iuris graeco-romani* et *collectiones ſcriptorum huius generis.*

TIT. I.

DE SINGVLIS SCRIPTIS IVRIS GRAECO-ROMANI.

§. 415.

Inter ſingula ſcripta iuris graeco-romani merito primum locum occupant I. ea ſcripta, quae concernunt *ipſos libros Baſilicorum*, quos HALOANDER et VIGLIVS ZVICHEMVS indicarunt, ſcholisque ICtorum intulerunt. Poſt hos GENTIANVS HERVETVS, IACOBVS CVIACIVS et CAROLVS LABBAEVS eos per partes edere coeperunt. Tandem vero CAR. ANNIB. FABROTVS edidit ſexaginta Baſilicorum libros ſub titulo: Βασιλικῶν *Libri LX. in VII. Tomos diuiſi latine et graece.* Pariſ. 1647. f. Interim tamen et in hac editione tantum XLI Libri integri exſtant, reliqui XIX vero e ſynopſi editi ſunt, e quibus poſtea quatuor, nimirum

mirum Libri XLIX. L. LI. et LII in *thesauro* MEERMANNIANO Tom. V. integri in lucem reuocati sunt.

§. 416.

Sequuntur II. ea scripta iuris graeco-romani quae concernunt *constitutiones Imperatorum ad ius graeco-romanum pertinentes.* Non desunt huius generis MSRta et editi libri, inter quos, praeter eos, qui in collectionibus titulo sequenti recensendis obueniunt, notari merentur

Henr. SCRIMGERI *graecus Nouellarum Leonis codex*, quem ex bibliotheca Fuggeriana Paris. 1558 in lucem protraxit.

Latina earum versio Henrici AGYLAEI Basil. 1661. 8.

Casp. Achat. BECK *de nouellis Leonis eorumque vsu et auctoritate.* Ien. 1726. 4.

Nouellae Constantini Porphyrogenneti, quas ex Codicibus regiis Paris. 1606. edidit CAROLVS LABBAEVS.

§. 417.

Progredior III. ad ea scripta huius classis quae sunt *Institutiones iuris graeco-romani* et *Eclogae*, *Synopses*, *Manualia* seu πρόχειρα appellari solent, quorsum pertinent:

Ecloga Basilii Macedonis ab eo anno 876. confecta, et XL. titulis absoluitur, quae vero edita non est.

XL librorum βασιλικῶν *ecloga seu synopsis per* IO. LEVNCLAVIVM *graece et latine.* Basileae 1575. fol. ad quam pertinent CAROLI LABBAEI *Obseruationes in synopsin Basilicorum.* Paris. 1606. 8.

Michaelis PSELLI *Synopsis legum versibus Iambicis et politicis graece et latine* per *Franc.* BOSQVETVM. Parisiis 1632. 8.

§. 418.

§. 418.

Tandem IV. *Glossaria, Promtuaria, aliaque scripta* huc pertinent, dum ICti graeco-romani Basilicorum libros glossis nomicis illustrarunt, aliisque modis iurisprudentiae culturam per scripta sua promouerunt. Scripta huius classis typis diuulgata sunt:

CYRILLI, PHILOXENI et *aliorum Glossaria latino-graeca et graeco-latina cum veteribus glossis verborum iuris* per *Carolum* LABBAEVM. Paris. 1679. fol.

CONSTANTINI HARMENOPVLI *Promtuarium*, quod varie editum, veluti per THEODOR. ADAMVM SVALENBERGIVM graece Parisiis 1540. 4. per BERNH. a REY latine Coloniae 1547. et rursus latine per IOANNEM MERCERVM Lugd. 1556, graece et latine demum cura DIONYSII GOTHOFREDI Geneuae 1587. et 1600. 4.

EVSTATHII *de temporum interuallis liber*, quem SIMON SCHARDIVS graece cum versione sua, subiunctis legibus Rhodiorum naualibus et IVSTINIANI militaribus et georgicis Basileae 1561. 8. edidit.

TIT. II.

DE

COLLECTIONIBVS SCRIPTORVM IVS GRAECO-ROMANVM CONCERNENTIVM.

§. 419.

Ad collectiones scriptorum quae ius graeco-romanum concernunt, refero BONEFIDII ius orientale et LEVNCLAVII ius graeco-romanum. De his collectionibus itaque hic agendum, licet negari nequeat varia continere, quae huc non pertinent, a potiori tamen haec scripta optimo iure huc referri possunt.

§. 420.

Primam collectionem ENIMVNDVS BONEFIDIVS ſub titulo: *Ius orientale*, graece, cum verſione latina ſeparatim ſubiuncta, edidit a. 1573. 8vo. Maius opus vero, quod in hoc genere BONEFIDIVS parauit, lucem non vidit. Diuiſa eſt haec collectio in III. libros, et quae in ſingulis his libris offeruntur lectori, haec ſunt ex recenſione FABRICII *in Bibliotb. graeca Tom. XII. Lib. VI. Cap. VI.*

Liber I. *Conſtitutiones Imperatorum*, HERACLII, LEONIS ICONOMACHII, CONSTANTINI CABALLINI, NICEPHORI, LEONIS ARMENI, THEOPHILI, BASILII, LEONIS et ALEXANDRI, CONSTANTINI POPHYROGENITI, ROMANI SENIORIS, NICEPHORI PHOCAE, BASILII PORPHYROGENITI, ROMANI ARGYRI, ZOES, MICHAELIS τȣ ϛρατιωτικȣ, ISAACI COMNENI, MICHAELIS, NICEPHORI BOTANICTAE, ALEXII COMNENI, ALEXII COMMENI *ſecundi*, ISAACI ANGELI, IOANNES DVCAE, MICHAELIS PALAEOLOGI, incerti Imperatoris.

Liber II. *Decreta Patriarcharum et Synodorum CPolitanor.*

Patriarch. ab A. C.

400. Ioannis Chryſoſtomi.
458. Gennadii.
784. Turaſii.
806. Nicephori Confeſſoris.
933. Theophylacti.
996. Siſinii.
999. Sergii.
1025. Alexii.
1043. Michaelis, Niceta protoſyncello et chartophylace.
1154. Conſtantini Chliareni.
1064. Ioannis Xiphilini.
1084. Nicolai.

1134

1134 et 1255. Stype et Arsenii.
1155. Lucae.
1169. Michaelis Anchiali.
1178. Theodosii.
1226. Germani.
1280. Manuelis.
1289. Athanasii.

Incertorum Patriarcharum.

Nomina Metropolium LXXX et Archiepiscopalium ciuitatum XXXVIII.

Liber III. *Responsa et Epistolae Patriarcharum et aliorum SS. Patrum.*

Adriani Papae ad Basilium Achridenum, Archiepiscop. Thessalon.

Basilii ad Adrianum.

Nicetae Metropolitae Heracleensis responsa ad Constantini episcopi quaestiones.

Demetrii Chomateni Archiep. Bulgariae. Eiusd. ad Constantinum Cabasilam, Metropolitam Dyrrachenum.

Ioannis Episcopi Citri ad eundem Cabasilam.

Eliae metropolitae Cretensis ad Dionysium Monachum.

Nicephori Chartophylacis ad Theodosium, monachum Corinthium.

Nicetae metropolitae Thessalonicensis ad Basilium Cappadocem.

Ioannis Zonarae de profluuio seminis.

Theodori Balsamonis responsa ad LXIV quaestiones Marci patriarchae Alexandrini data A. C. 1193.

Incerti de translatione Episcoporum.

§. 421.

Post BONEFIDIVM ex pluribus bibliothecis Asiae et Europae diligenter conquisiuit, recensuit et interpre-

tatus eſt IO. LEVNCLAVIVS Conſtitutiones Impp. Graecorum, Patriarcharum decreta, ſynodales ſententias, ſcriptaque alia iuri tam ciuili quam canonico Graecorum lucem afferentia. Quum vero LEVNCLAVIVS poſt hoc opus abſolutum exſtinctus, editionem eius curauit MARQVARDVS FREHERVS cui erat a viuo LEVNCLAVIO commendatum. Sic prodierunt a. 1596. Francof. in fol. *Iuris Graeco-Romani tam canonici quam ciuilis Tomi II.* IO. LEVNCLAVII *ſtudio ex variis Europae Aſiaeque bibliothecis eruti latinique redditi, nunc primum editi cura Marquardi Freheri, cum eiusdem auctario, chronologia iuris ab exceſſu Iuſtiniani ad amiſſam Conſtantinopolin et Praef. ad Imp. Rudolff. II.* Recenſio huius ſcripti obuia eſt, tam in FABRICII *Bibliotheca graeca Tom. XII. Lib. VI. Cap. VI,* qui et indicem ſcriptorum aliorumque in IO. LEVNCLAVII Iure Graeco-Romano commemoratorum adiecit, quam in BEYERI *Notitia auct. iurid. Spec. I. num XX.* qui poſterior contenta ipſa ſic recenſet. Continentur

Tomo primo:

I. *Harmenopuli, Sebaſti, Nomophylacis et Iudicis Theſſalonicenſis, epitome iuris Canonici Graecorum:*

Comprehendit *ſex Sectiones*, quarum *prima* de Epiſcopis et Synodis, *ſecunda* de Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis, *tertia* de Clericis, *quarta* de Monachis et Monaſteriis, *quinta* de Laicis, *ſexta* de Mulieribus agit. Intermixta ſunt Scholia graeco-latina vel explicantia ſenſum, vel ius varium notantia.

II. *Nouellarum Auguſtalium de rebus eccleſiaſticis Liber vnus.*

Continet Nouellas Imperat. Iuſtiniani, Heraclii, Baſilii Macedonis, Leonis Philoſophi, Leonis et Alexandri, Coſtantini Porphyrogennetae, Nicephori, Phocae, Baſilii Porphyrog. Iſaaci Commeni, Nicephori

phori Botaniatae, Alexii Comneni, Calo Iohannis, Manuelis, Commeni, Alexii Commenii II, Iſaaci Angeli, Ioh. Ducae Batatzis &c.

III. IV. *Decretorum Synodalium Libri duo.*

Continent Sententias Synodales et Sanctiones Pontificias Archiepiſcoporum et Patriarcharum Conſtantinopoleos: Chryſoſtomi, Gennadii, Taraſii, Nicephori, Siſinnii, Sergii, Alexii, Michaelis, Conſtantini Chliareni, Nicolai Grammatici, Nicolai Mazalonis: Arſenii, Lucae, Michaelis Anchiali, Theodoſii, Germani, Manuelis, incertorum denique Patriarcharum. Quorum Liber primus (ſicut et Nouellarum Auguſtalium Liber) antea a Bonefidio editus, nunc multo correctior et auctior, eius denique verſio locis innumeris recenſita; ſecundus vero plane nouus prodiit.

V. VI. *Reſponſorum Libri duo.*

Continent Reſponſa, Epiſtolas et Sententias aliorum Epiſcoporum, ſanctorumque Patrum. Quorum *primus* itidem auctior correctiorque, quam antea BONEFIDIO, *ſecundus* plane nouus prodit.

VII. THEODORI BALSAMONIS, *Patriarchae Antiocheni meditata ſ. reſponſa.*

VIII. MATTHAEI MONACHI, *quaeſtiones et cauſſae matrimoniales.*

IX. IVSTINIANI *Imp. Edictum de fide orthodoxa.* Graece nunc primum et multo auctius editum.

X. CONSTANTINI HARMENOPVLI *de Sectis et verae fidei confeſſione liber vnus.*

Tomo II. continentur:

I. MICHAELIS ATTALIATAE, *Proconſulis et Iudicis Opus de iure ſiue Pragmatica, Michaelis Ducae Imp. iuſſu facta.*

II. *Delectus Legum compendiarius et correctio iuris antiqui in id quod aequius melius per Imperatores Basilium, Leonem, Alexandrum et Constantinum Augustos; cum praefatione eorundem.* Publicata circa annum Christi 838.

III. *Novellarum Augustalium liber, de rebus ciuilibus et iudiciariis.* Habet Nouellas Basilii Macedonis, Constantini Porphyrogenetae et Basilii Constantini et Leonis, Romani senioris, Romani minoris, Nicephori Phocae, Basil. Porphyrog. Alexii Comneni, Manuelis Comneni &c.

IV. *Responsi veteris formula ex iure de nudis pactis.*

V. *Testandi formula vetusta, qua Gregorii Nazianzeni testamentum continetur. Vitae et Operibus eius addendum.*

V. EVSTATHII *Antecessoris liber de temporalibus interuallis a momento vsque ad centum annos.* Nunc multo auctior et integrior quam antea a *Schardio* vel *Cuiacio* editus.

VII. *Leges Militares Ruffi.*

VIII. *Leges colonariae.*

IX. *Leges Nauales Rhodiorum et aliae.* Omnes prioribus editionibus *Balduini*, *Schardii*, aliorum, longe integriores et meliores.

(b)

DE SCRIPTIS LEGALIBVS IVRIS FRANCICI ET IVRIS ALIORVM POPVLORVM QVI GERNANIAM OLIM INHABITARVNT.

§. 422.

